




HISTORIA
ECCLESIASTICA.

HISTORIA
ECCLESIASTICA
VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

Res præcipuæ, non solùm ad Historiam, sed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Ecclesiæ Disciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Responsiones perstringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS SEPTIMUS

Complectens Sæculum Ecclesiæ Decimum Sextum.

AUCTORE


FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, & Collegii Casanatensis Theologo, Ord. Fratrum Præd.



ROMÆ MDCCXXI.
Ex Typographia Tinassii.

SUPERIORUM PERMISSU.



NOS FR. ANGELUS GULIELMUS
MOLUS

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Fratrum Prædicatorum humilis Vicarius & Procurator Generalis salutem.

Tenore præsentium nostrique auctoritate Officii licentiam facimus Reverendo admodùm Patri Fr. *Ignatio Hyacintho Amat de Graveson* in Sacra Facultate Parisiensi Doctori, ac in Collegio Casanatensi Conventus Sanctæ Mariæ super Minervam de Urbe Theologo, Provinciæ nostræ Provinciæ Alumno, typis edendi Opus in plures Tomos distributum, cui titulus est: *Historia Ecclesiastica variis Colloquiis digesta, &c.* dummodò priùs approbatum fuerit à duobus Ordinis nostri in Theologia Magistris, & aliis servatis de jure servandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 2. Aprilis 1720.

FR. ANGELUS GULIELMUS MOLUS
Vic. & Proc. Generalis Ordinis.

Loco ✝ Sigilli.

Fr. Bernardus d'Arcet Magister, & Socius.

Registr. fol. 82.

APPROBATIO.

JUſſu Reverendiſsimi Patris Fratris *Gulielmi Molo* totius FF. Ordinis Prædicatorum Vicarii, & Procuratoris Generalis, ſeptimum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomum, decimum ſextum repreſentantem Sæculum, à Clariſsimo Viro Fratre *Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, concinnatum, magnâ animi cum voluptate legi, pervolvique. Si enim Turcarum progreſſus regna divexantium, Lutheranorum, Calviniſtarum, & aliorum Anticatholicorum hæreſes variis in Europæ regionibus venenoſas agentes radices, ſacrilegia, rapinas, cœdes, incendia invehentes, magis lacrymas cient, quàm verba poſtulent, certè non poteſt non parere miram animi voluptatem divina benedictio præſtans, fidem ubique lucra facientem ſua, expulſam à Turcis, & expugnatam à Sectariis, ad fidelium ſolamen, ſuique tutamen in Americam extendiſſe propagines, Indias irradiaſſe, & doctrinæ lumen, pietatiſque calorem in novis Sacrarum Religionum Inſtitutis, vel antiquiorum reformationibus reſtauraſſe, nimirùm in Theatinis, Capuccinis, Recollectis, Jeſuitis, Barnabitis, Sommaſchis, Doctrinæ Chriſtianæ, & Oratorii Presbyteris, quæ, aliaque hujus Sæculi ſanctitatis miracula fusè juxtà accuratèque perſequitur noſter

noster Auctor, prophanas novitates obiter quidem, at nervosè profligans, ubi differendi se præbet occasio. Cæterùm, cùm Tomus isto nihil aliundè complectatur, quod fidei, bonisve moribus dissonum esse videatur, ut publici quantocyùs juris fiat, dignissimum planè esse censeo. Datum Romæ in Conventu, & in Collegio S. *Mariæ* super Minervam, die 30. Decembris, anni 1720.

Fr. Antonius Bardon, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, Catedraticus Casanatensis, Ordinis Prædicatorum.

APPROBATIO.

PRæclarum ſanè, ac multis nominibus proficuum Opus auſpicari, res eſt haùd unâ laude digna, aſt incredibili penè ſtudio, rapido curſu, ſummâ diligentiâ, felici marte, iſtud ad finem uſquè perducere, magnorum certè encomiorum ſeges eſt. Hanc in ſe provinciam ſuſcepit, ſuſtinuit, ac ſuperis benè fortunantibus, propedièm explebit Vir Clariſſimus Frater *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus. Decurſis quippè, illuſtratis, atque, doctorum Ariſtarchorum judicio, pulchrè concinnatis quindecim prioribus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæculis, decimum ſextum jam ejuſdem Hiſtoriæ Sæculum, Tomo ſeptimo comprehenſum, prælo paratum habet. De cujus ſtyli majeſtate, rerum geſtarum accuratâ narratione, maturo Factorum difficilium Criterio, peramænâ valdè methodo, aliiſque præcellentiſſimis dotibus, non eſt, quòd plura differam impræſentiarùm. Prodeat igitùr in publicum Tomus iſte, ſanæ fidei, caſtiſque moribus conſentaneus. Prodeat cunctorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſorum applauſibus excipiendus. Prodeat demùm ad maximum celeberrimi Authoris decus, & ornamentum. Cùm enim priores Tomi præ omnium manibus verſentur, ab omnibus avidè legantur,

atque

atque præconiis non vulgaribus celebrentur; quidni id augurari mihi liceat, Tomum hujusmodi omne quoque punctum apud eosdem esse laturum. Datum Romæ, in Conventu Sanctæ *Mariæ* super Minervam, die primâ Anni 1721.

Fr. Patricius Plonket Ordinis Prædicatorum, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus.

AP-

APPROBATIO

REVERENDI ADMODUM PATRIS

LEONIS A S. FELICE

Carmelitæ Discalceati, Sacræ Theologiæ Prælectoris, & Definitoris Provincialis.

BEnè cœpit, prosequitur meliùs, properans ad finem, usque in finem commendandus R. Admodùm P. Mag. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson*, Doctor Sorbonicus, ac Collegii Casanat. Theol. Ord. Prædic. Profectò concludet optimè; Optima siquidem Ecclesiasticæ Historiæ Monumenta quæque, consuetâ styli mirâ claritate, majori eloquentia, omniscia eruditione, omni cum delectu addiscenda, Discipulo PRINCIPI de more exponit: Exponens, inter Principes loquitur sapientiam, ut *cum Principibus sedens, solium gloriæ teneat* (*a*) Tenens *loquitur, quæ decent sanam doctrinam* (*b*) ut semper *in labiis ejus inveniatur Sapientia* (*c*) ac Discipulus Princeps *Audiens Sapiens Sapientior sit* (*d*) Quamobrèm, cùm (jubente Reverendissimo P. F. Gregorio Selleri, Sac. Apost. Palat. Mag.) Sæcu-

[a] 1. *Reg. cap.* 2. [b] *ad Titum cap.* 2.
[c] *Proverb.* 10. [d] *Proverb.* 1.

Sæculi decimi sexti Tomum hunc septimum, non modicâ mentis jucunditate revolverit ac juxtà Christianorum Morum disciplinam, Fideique Theologicę Assertis conformia adinvenerit omnia, Impressione dignum jure optimo existimavit. Ita dabat Romæ in Collegio Sanctæ *Mariæ* de Victoria 1. Septembris 1720.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Excalceatus Sac. Theol. Prælector, ac Definitor Provincialis.

INDEX

INDEX
COLLOQUIORUM

Quæ in ſexto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tomo continentur.

COLLOQUIUM PRIMUM,

COLLOQUIUM SECUNDUM,

COL-

COL-

COLLOQUIUM SEXTUM,

De Doctrinà Fidei, de Disciplinà tàm Ecclesiasticà, quàm Monasticà, necnon de Ethices Christianæ Doctrinà Sæculi decimi sexti.

pag. 507.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

T. Episcopus Heracliæ, Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

MEN-

M E N D A,

Quæ irrepserunt in Editionem hujus Tomi septimi Historiæ Ecclesiasticæ.

Pag.	Lin.		Lege.
8.	22.	Æpyptus	Ægyptus
11.	2.	sexcenta	sexaginta
14.	30.	MDLXXII.	MDLXXI.
19.	12.	suis	suæ
21.	17.	Comitis	Comitiis
48.	19.	sicarum	sicarium
75.	29.	fulgine	fuligine
84.	20.	Indarum	Indiarum
106.	7.	profectos	profectas
107.	6.	quos	quas
117.	6.	Ferdinandæ	Ferdinandi
120.	4.	Ponticem	Pontificem
272.	25.	protendebant	portendebant
281.	14.	fueretur	frueretur
320.	12.	quæ Leonem X.	adde, *inter*
331.	9.	judiciis	judicis
362.	5.	ejusdem Concilii Tridentini	adde, *Catechismi*
572.	14.	Paulo	Petro

Alia leviora menda, si quæ, amice Lector, inter legendum offendas, tute facilè emendabis, & pro tuâ benignitate condonabis.

HISTORIA ECCLESIASTICA

DECIMI SEXTI SÆCULI

Variis Colloquiis digesta.



LACTANTIUS FIRMIANUS, cujus linguam unicè miratur Sanctus *Hieronymus*, Christianæ Religioni adversùs Ethnicos patrocinaturus, cumprimis optabat sibi dari eloquentiam Tullianæ proximam; quò mortales omnes ad sanctissimum & saluberrimum Christianæ Philosophiæ studium vehementiùs adhortari posset. At ego sanè, si quid hujusmodi votis proficitur, Sæculi Ecclesiæ decimi sexti descripturus Historiam, optarim eam mihi dari eloquentiam, quæ non aures tuas, dilectissime Discipule, mox peritura voluptate deliniat, sed quæ tenaces aculeos in animo tuo relinquat, efficiatque ut tibi placeat Historiæ Ecclesiasticæ veritas, claritate ac nitore sermonis illustrata. Hæc quippè, si quantùm in se splendoris ac dignitatis habet, tantùm ipse

ipſe efficiam dicendo, ut in animo tuo obtineat, ſi nihil ei de ſuo pondere momentoque tractantis vitio decerpatur, nullus dubito, quin tu perdiſcendæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ decimi ſexti Sæculi ſedulò, uti par eſt, incumbas, & in ejus cognitionem atque amorem omni curâ ſtudioque rapiaris. At enim, quæ tria nobis ad capeſſendas artes incitamento eſſe ſolent, honeſtatem dico, quam optimus quiſque ſequitur; utilitatem, cui ſervitur fermè; fructum animi jucunditatemque, cui vel in primis indulgere ſolemus; ea univerſa huic, quam nunc deſcribendam aggredior, Hiſtoriæ decimi ſexti Eccleſiæ Sæculi ita penitùs conjuncta reperio, ut tribus hiſce quaſi admotis facibus facilè ſit tua ad illius comparandam notitiam inflammare ſtudia. Ac primùm omnium, ſi te magnorum eventuum vel delectat copia, vel juvat admirabilitas; florentiſſima Regna victricibus infidelium Turcarum armis divexata; inducti Anglicani Schiſmatis ſub *Henrico VIII.* initium ac progreſſum: peſtiferas Lutheranorum, Calviniſtarum, Zuinglianorum, Socinianorum, aliorumque Acatholicorum Hæreſes latè diſſeminatas; importata ab illis infortunia; ſexcentaque id genus obſtupeſces. Si Catholicæ Religionis propagationem ſcire geſtias, perſpicies Orthodoxam Fidem à Turcis, & Hæreticis Sæculi XVI. oppugnatam, & ex nonnullis Europæ partibus, proh dolor! expulſam, ad fidelium ſolamen & ſui tutelam in Americam extendiſſe propagines, Indias irradiaſſe, ac ſua ubique facientem lucra, doctrinæ lumen, pietatiſque calorem in Religioſis Ordinibus eo Sæculo inſtitutis, vel in antiquiorum

Re-

Reformationibus magno cum fænore restaurasse. Virorum Illustrium immortalia facta si tibi cordi sunt, ultrò fateberis, Sæculum Ecclesiæ decimum sextum quàmplurimis Scriptoribus, doctrinâ & pietate celeberrimis, abundasse, qui in profligandis Hæreticis, & extirpandis vitiis egregiam periclitanti Ecclesiæ operam navarunt. Denique, si Leges & Instituta quæris, si ritus, cœremonias, sacrorumque Religiones investigare cupis, agnosces summam Romanorum Pontificum, & Episcoporum Sæculi decimi sexti vigilantiam, tum in custodiendo sibi credito avitæ Fidei Deposito, tum etiam in præscribendis saluberrimis Statutis ad emendandos Clericorum mores, ad fovendam fidelium pietatem, ad conciliandam cultui divino debitam majestatem, ad eliminandas invectas superstitiones, & ad dignam Sacramentorum administrationem omninò necessariis, quæ in Conciliis eâ ætate celebratis fuerunt promulgata, sed præsertim in Concilio Generali Tridentino, cujus tu quoque miraberis omni procul dubio divinam quamdam sapientiæ vim, sanctissimis Legibus temperantem omnia, habenas, pro ut res postulabat, vel adducentem vel remittentem, & mirum in modum collapsæ Disciplinæ Ecclesiasticæ pristinum splendorem restituere satagentem. Hæc & alia benè multa, quorum accurata notitia animum tuum maximâ voluptate perfundet, referemus in Historia Sæculi decimi sexti, quam, juxtà nobis præscriptam methodum, sex Colloquiis integram absolvemus. Primum exhibebit Statum Ecclesiæ sub Imperatoribus & Principibus, qui tàm in Oriente, quàm in Occidente supremo

dominio potiti sunt. In altero Colloquio dabimus seriem Summorum Pontificum, qui Sæculo decimo sexto Sedem Romanam tenuerunt, prætermissis Patriarchis Ecclesiarum Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, quæ sub Turcarum jugo oppressæ ingemiscunt, ac diro Schismate ab Ecclesia Romana sunt separatæ. In tertio Colloquio proferemus in medium Hæreses, quæ eodem Sæculo variis in locis pullulantes gravissima damna Ecclesiæ Catholicæ intulerunt. In quarto Colloquio differemus de Conciliis tam Æcumenicis, quàm Nationalibus, in quibus vel protritæ fuerunt Hæreses, vel restaurata est Ecclesiæ Disciplina. In quinto Colloquio, Virorum Illustrium, qui Sæculo XVI. doctrinâ & pietate insignes floruerunt, præclara merita & Opera compendiosâ narratione perstringemus. In postremo Synopsim Doctrinæ Fidei, Disciplinæ tàm Ecclesiasticæ, quàm Monasticæ, & Moralis Christianæ Sæculi decimi sexti instruemus. Non sum tamen adeò imprudens, & mearum tam parùm conscius virium, ut affirmare velim, me omnia, quæ Sæculi Ecclesiæ decimi sexti Historiam latè diffusam, & variis rerum eventibus locupletissimam, spectant, uberiori stylo hìc descripturum, cùm ea res infiniti penè operis sit & immensi, ut si quis hæc dilatare atque exequi plenissimè velit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum, nec finem reperiat oratio. Meminisse etiam debes, me eò duntaxat consilio id operis fuisse aggressum, ut rerum quæ ad Historiam Ecclesiæ pertinent, quæque per multa volumina alibi diffusæ Lectorum

c

deterrent ſtudium, vel patientiam fatigant, brevem ſuppeditarem notitiam, magis ad tuam excitandam famem ad opimiorem dapem, quàm ſatiandam, digitumque intenderem ad ipſum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ uberrimum ac pleniſſimum fontem, cujus hauſtu atque potu, conceptam viſceribus ſitim ſedare, ardoremque reſtinguere poſſes. Cæterùm, quamvis omnia breviter collegerim, duo tamen certò affirmare poſſum, primò, omnia tibi fore facilia, clara, prona, manifeſta, modo ne pigeat ad percipienda, quæ referam, Hiſtoriæ monumenta, legendi, vel audiendi patientiam commodare. Secundò, nihil à me conſultò vel dictum, vel prætermiſſum fuiſſe, quod Orthodoxæ doctrinæ, reverentiæ & auctoritati Romanorum Pontificum, Eccleſiæ Catholicæ dignitati, Conciliorum Statutis, Virorum Illuſtrium Operibus, integritati morum, Hiſtoriæ veritati & Chriſtianæ paci officere poſſe crediderim.

COLLOQUIUM PRIMUM,

In quo texitur series Imperatorum, & Principum, qui Sæculo XVI. tàm in Oriente, quàm in Occidente supremo dominio potiti sunt.

DISCIPULUS. CAptâ Sæculo decimo quinto seu anno MCCCCLIII. à *Mahomete II.* Turcarum Imperatore, Regiâ Constantinopolis Urbe, & extincto planè Græcorum Imperio, suam in Oriente tyrannidem latè propagarunt Turcæ, Imperium Orientis armis invaserunt, Christianos aut expulerunt, aut in duram servitutem redegerunt, & vastissimas Orientis Regiones impiæ suæ Religionis peste infecerunt, sicut jam descripsisti in Colloquio primo in Historiam decimi quinti Ecclesiæ Sęculi. Cùm igitur Turcæ, deleto Græcorum Imperio, supremum in Oriente dominium obtinuerint, debemus in præsentia primùm expendere, quo loco res Ecclesiæ fuerint in Oriente Sæculo XVI. sub Imperatoribus Turcarum, quorum seriem in laudato jam Colloquio perduxisti usque ad *Selimum I.* filium *Bajazetis II.* Turcarum Imperatoris secundo-genitum, qui, si bene memini, imperandi cupidine accensus contra patrem arma cepit, &, ope Janizzarorum, *Achmeti*, fratri suo pri-

primogenito, prælatus, patrem, qui ipsi imperio cesserat, veneno sustulit, *Achmetem*, fratrem suum primogenitum, prælio vicit & occidit; *Corcutum* quoque, alterum fratrem, quietis & litterarum amantem, unà cum octo nepotibus pariter necari curavit. Cætera ejusdem *Selimi I.* & aliorum, qui eidem Sæculo XVI. successerunt, Turcarum Imperatorum Gesta lubenti animo auscultabo.

MAGISTER. Postquàm *Selimus I.* cædibus *Achmetis*, & *Corcuti*, germanorum fratrum, & Procerum plurimorum, parricidiale suum confirmasset Imperium, adversùs *Ismailem*, Sophinum Persarum, bellum gessit, & anno MDXVII. Syriâ & Ægypto potitus est, atque *Mamalucorum* celebre quondàm in Ægypto Imperium in suam potestatem redegit, suique Imperii appendicem fecit. Obiit *Selimus I.* in Tentoriis versùs Hadrianopolim, eo ipso in loco in quo cum patre suo *Bajazete II.* prælium commiserat, die XXII. mensis Septembris anni MDXX. Imperii VIII. Reliquit *Selimus I.* filium, dictum *Solimanum*, qui eodem anno patri successit, & Turcarum Imperator fuit salutatus.

D. Quid, amabo, sibi vult celebre istud *Mamalucorum* Imperium, quod *Selimus I.* Turcarum Imperator in Ægypto armis subegit?

M. Mamaluci aliquandò Imperium in Ægypto obtinuerunt. Postquàm enim Ægyptus à Caliphis ad Turcomannos pervenit sub *Saladino*, Babyloniæ Sultano, qui Sæculo Ecclesiæ duodecimo Ægyptum occupavit, Turcomanni emptos à Tartaris, ex Mengrelia, Gurgestania, & Kirkasia,

Christianorum pueros, armis eruditos, custodiæ ac defensioni Regni præfecerunt, eosque *Mamalukos* appellarunt. *Mamaluk* autem idem est in lingua Syriacâ, quod mancipium regium. Contigit verò, ut isti *Mamaluki* defensioni Regni Ægypti præpositi, cùm viderent Turcomannos otio & voluptatibus enervatos, consilium inierint Regni ad se transferendi, idque feliciter executioni mandarint die XXVI. mensis Novembris anni Christi MCCCLXXXII. Tunc enim Kircassi, seu Mamaluci, primum ex gente sua Regem in Ægypto crearunt, nomine *Berkukum*, atque ita longâ serie perpetuò Reges Ægypti ex Mamalucis creati sunt, quorum vigesimus primus, nomine, *Causo*, vulgò *Campson Gaureus*, in prælio contra *Selimum I.* Turcarum Imperatorem, in Syria occubuit anno Christi MDXVI. Huic successit *Thomambajus*, qui ab eodem *Selimo I.* in Ægypto victus, captus, ac miserabiliter in porta Urbis *Alchaila* publicè suspendio peremptus est anno Christi MDXVII. Eo pacto, extincto in Ægypto Kircassorum, seu Mamalucorum Imperio, tota Æpyptus, Arabia, Palæstina, ac Syria Turcico Imperio accesserunt.

D. Turcici Imperii fines latiùsne protulit cum aliquo Christianorum dispendio *Solimanus*, qui, ut mox dixisti, post obitum patris sui *Selimi I.* Turcarum Imperator anno MDXX. fuit salutatus.

M. *Solimanus* hujus nominis *II.* bellicâ fortitudine, & rerum gestarum gloriâ patrem suum *Selimum I.* æquavit, immò & superavit. In primis, Ægyptios rebellantes, per *Ibrahimum* Baf-

Bassam coercuit. *Gazellem*, Syriæ Præfectum perduellem, misso in eum exercitu, profligavit anno MDXX. Dein, ad Christianos digressus, *Albam Græcam*, seu *Belgradum*, munitissimum totius Hungariæ oppidum, & validissimum totius Christianitatis propugnaculum, die XXIV. Junii anni MDXXI. expugnavit. His victoriis elatus *Solimanus*, Rhodi insulam, præmisso cum insigni classe *Mustapha* Bassa, obsidione cinxit anno MDXXII. Hæc est illa Insula, quam Equites Hospitalarii, seu S. *Joannis Hierosolymitani*, expulsis Turcis occupaverant anno MCCCX. eamque incredibili fortitudine, invictisque animis à Turcarum obsidione liberaverant, adjuti præsertim potentissimo auxilio *Amedei V.* Sabaudiæ, Mauritaniæque Comitis, qui disjectâ Barbarorum classe, navi Prætoriâ captâ, marisque Præfecto cæso, navalem palmam ferens, celeberrimam Rhodi Insulam extrema deditionis agitantem ex obsidione exemit, & Equitibus S. *Joannis Hierosolymitani* servavit; in cujus faustæ victoriæ monumentum *Amedeus V.* pro Majorum Aquilis, Crucis candidæ stemma, rogatus ad pietatem assumpsit cum his litteris F. E. R. T. hoc est, *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*, ut videre est in *Augustæ Regiæ Sabaudiæ Domus Arbore Gentilitia*, quæ ab Abbate *Ferrero à Labriano* typis edita est Augustæ Taurinorum anno MDCCII. Ad hanc igitur Rhodi Insulam, quam ducentis & duodecim abhinc annis obtinebant Equites S. *Joannis Hierosolymitani*, indeque vulgò dicti *Rhodii Equites*, obsidendam, misit *Solimanus*, Turcarum Imperator, ingentem ducentorum armatorum millium classem. Sed eâ cladibus jam fractâ, & ad reditum respe-

respectante, Insulam Rhodi ipsemet cum aliis militaribus copiis appulsus, non ante recessurum se juravit, quàm Insulam subegisset. Complanatis igitur per machinas murales propugnaculis, nec suppetente à Christianis Principibus, magno ipsorum dedecore, auxilio, Rhodii Equites ad extremas redacti angustias, & spe diutius tuendæ Insulæ abjectâ, eam, post pactas deditionis honorificas conditiones, concesserunt Turcis, quorum sexaginta millia, & in iis plurimos Duces ac Præfectos, ferro & igne eâ in obsidione periisse, ac quinquaginta penè millia variis morbis extincta, produnt, præter Turcarum Annales, *Spanduginus*, *Sansovius*, *Leunclavius*, *Bosius* in Historia Ordinis Sancti *Joannis Hierosolymitani*, & alii. Quò fit, ut habitâ ratione immanis eâ in obsidione Turcarum editæ stragis, eorum victoria verè *Cadmea* appellari possit. Captâ Insulâ Rhodi, *Solimanus*, Turcarum Imperator, Regno Hungariæ Bellum intulit, præliumque in Campis *Mohatzii* die XXIX. mensis Augusti anni MDXXVI. commisit, in quo Hungarorum copiæ fusæ sunt, *Ludovicus II.* eorum Rex, annos natus XX. in aquæ lutulento gurgite depressus & suffocatus interiit, multique capti primariæ nobilitatis viri, qui in conspectu victoris exercitus capite mulctati sunt. Indè *Solimanus* Budam versùs, Hungariæ Metropolim, pergens, aliasque circum Urbes diripuit, ducenta Christianorum millia vel immanitèr occidit, vel, quod tristius, in servitutem abduxit. Germaniam itidèm invadere volebat *Solimanus*, & Viennam Austriæ anno MDXXIX. obsedit, multisque diebus acerrimè oppugnavit. Sed *Philippus*

Pa-

Palatinus, aliique Duces ferocientis impetum fregerunt, Viennam liberarunt, & sexcenta Turcarum millia trucidarunt. Nec magis secundo marte pugnavit *Solimanus* in obsidione Melitæ, quam, invictâ Equitum S. *Joannis Hierosolymitani* fortitudine repulsus, turpiter & cum magna sui Exercitus clade solvere coactus est. Tandem *Solimanus* longâ jam octoginta fermè annorum ætate in Christianorum direptionibus exercitâ, tot Principum cladibus,tot Regnorum excidiis nobilitatus; integrâ viridique senectute acerrimus, in obsidione Sigethi, firmissimi totius Pannoniæ Oppidi, apoplexia extinctus est anno Christi MDLXVI. Hìc silentio præterire haùd possum egregium facinus, quod edidit vir fortissimus, pluribusque pugnis cum Turcis consertis, & partis victoriis inclytus *Nicolaus* Comes *Serinus*, qui tùm temporis propugnationi *Sigethi* ad Christianorum defensionem præerat. Hic quippè fortissimus Dux ad quindecim assultus lectissimarum ex universa Turcia copiarum sustinuit, & quidem interdùm ad ipsas quatuor & viginti continentes horas, dum ex immenso Turcarum exercitu subindè aliis alii, defessis recentes, sauciis integri succederent; ad triginta hominum millia inter propugnationem, in iisque Bassas quatuor cæcidit, & eò *Solimanum* adegit, ut ægritudine animi veriùs, quàm corporis morbo consumptus obsidioni immoreretur. Sed prudenter à *Mahomete* Bassa celatâ morte *Solimani*, ne ejus publicatio Turcis noceret, tandem Comes *Serinus* cum duobus dumtaxat millibus & quigentis militibus contra ducenta Turcarum millia acriter pugnans, ho-

hostium numero obrutus, & annonâ, machinis, militibus, ac loco ad repugnandum, ad consistendum absumptis, fœdissimè grassante, atque, conspirantibus ventis, omnia penitùs depascente incendio, suos, qui adhuc supererant, milites ad occumbendū fortiter, potiùs quàm turpi servituti se se dedendum, adhortatus est, & actutùm unà cum illis in medias Turcarum acies, invocato nomine *Jesu*, se intrepidè immisit, gladio inter confertos ac undique prementes *Janizzaros* rem ita per dimidiam horam strenuè gessit, ac tantam illorum edidit stragem, ut Turcæ obstupefacti fortitudinis miraculo, eum, ejusque socios ultrò ad deditionem invitarint. At ille in Turcarum manus vivus venire non sustinens, gloriosissimis in adverso pectore & capite exceptis vulneribus, cum suis generosis commilitonibus occubuit, ac suâ morte non solùm omnibus urbium obsessarum Præfectis ingens exemplum ac documentum reliquit, sed memoriam sibi gloriamque peperit sempiternam.

D. sicut acerbo dolore ex morte laudatissimi Herois *Nicolai* Comitis *Serini* afficior, ità magnis gaudiis triumpho ex obitu *Solimani II.* Turcarum Imperatoris, seu potiùs magni illius prædonis, & insatiabilis Regnorum helluonis, qui magnâ jam parte devoratâ terrarum, avidiùs orbi reliquo inhians, Turcicam barbariem omni immanitate teterrimam, & inexpiabili ac plusquàm hostili in Christianos odio bacchantem latiùs propagare moliebatur. Sed valdè timeo, ne graviora mala Christianę Religioni importarint *Solimani II.* Turcarum Imperatoris successores.

M. So-

M. *Solimano II.* qui eas, quas mox commemoravi, clades in Panonia & apud Rhodum intulit, succeſſit *Selimus II.* unicus filius ſuperſtes (cæteros enim *Solimanus* occiderat.) Cypri Regnum ut Chriſtianis adimeret *Selimus II.* Turcarum Imperator, Bellum indixit Venetis, & huic gerendo Bello *Muſtapham* Baſſam copiarum terreſtrium, & *Pialim* ac *Alim* Baſſas Claſſis Præfectos conſtituit. Ad Nicoſiam, Regni Metropolim, ſub finem menſis Julii anni MDLXIX. admota Caſtra, eamque captam die x. Septembris miſerè diripuerunt Turcæ, cæſis præſidiariis, extinctâ nobilitate, & cæteris aliis duræ ſervituti mancipatis. Captâ Nicoſiâ, obſidionem Urbis *Famaguſtæ* aggreſſus eſt *Muſtapha* Baſſa. Vim omnem hoſtilem invicto animo ſuſtinuit *Antonius Bragadinus* Venetus, Urbemque per annum integrum tuitus eſt incredibili virtute ac fortitudine, atque indefeſſis militum ad paucos redactorum laboribus. Sed tandem extremâ urgente fame, & diſiectis mænibus ac propugnaculis, nullâque relictâ ſubſidiorum ſpe, deditionem fecerunt cives honeſtis conditionibus utrinque conventis, quas *Muſtapha* Baſſa laudavit, approbavit, eiſque propriâ manu ſubſcripſit, ſed paulò poſt, per ſummum ſcelus violatâ fide, eas palam infregit. At enim, *Antonium Bragadinum*, cujus virtute *Famaguſta* fuerat hactenus propugnata, in *Muſtaphæ* Caſtra cum illuſtri nobilium Virorum comitatu venientem, ut ei claves civitatis offerret, ſicut in hujuſmodi deditionibus fieri ſolenne eſt, confeſtim perfidus *Muſtapha* apprehendi juſſit, eum contumelioſè eluſum auribus multavit, deinde barbaricâ immanitate vivum excoriavit; quo in

in tormento vir ille fortissimus ad ultimum usque spiritum sibi semper constans, Christum Salvatorem nostrum invocare non intermisit. Cæteros Viros nobiles, *Antonii Bragadini* comites, crudeliter trucidari imperavit Barbarus. Hac tàm crudelis belluæ indignitate percitus Sanctissimus Pontifex *Pius V.* Turcis bellum indixit, fædusque iniit cum *Philippo* Hispaniarum Rege, & Senatu Veneto. Ejus fæderis copiarum omnium institutus est Generalis Præfectus *Joannes Austrius*, filius nothus *Caroli V.* Imperatoris. S. *Pius V.* Pontifex Maximus, suis triremibus *M. Antonium Columnam* præfecit; Veneti verò amplissimæ, quam instruxerant, classis imperium *Sebastiano Venerio*, quem posteà Ducem quoque suum crearunt, commisêre. Contractis itaque in unam Classem Pontificiis, Hispanis, Venetisque navibus, ductore *Joanne Austrio*, pugnatum est ad Naupactum, seu Lepantum, in sinu Corinthiaco, quâ pugna victi penitùs ac profligati barbari, eorum ducentæ triremes cum immensis spoliis partim à Christianis captæ, partim depressæ. Turcarum cæsa vel captiva fuere viginti quinque millia. Christiana mancipia ex turcicis triremibus liberata quindecim millia. Celebrem illam victoriam multis à sæculis inauditam, non absque evidentibus præsentis Dei Exercituum auxilii indiciis, & suffragantibus præsertim precibus, ardentissimisque votis S. *Pii V.* de Turcis reportarunt Christiani die VII. Octobris anni MDLXXII. Hinc victus *Selimus*, Turcarum Imperator, apertè testatus est, plus sibi preces *Pii V.* quàm arma Christianorum nocuisse, Christiani quoque felicem illius inexpe-
ctatæ

ctatæ victoriæ exitum precibus S. *Pii V.* Pontificis Maximi acceptum referunt, quem *Sixtus V.* Summus Pontifex appenso ad S. *Pii V.* sepulchrum elogio paucissimis his verbis perstrinxit: *Selimum Turcarum tyrannum multis insolentem victoriis, ingenti parata classe, Cyproque expugnata, Christianis extrema minitantem Pius V. fœdere cum Philippo Hispaniarum Rege ac Republica Veneta inito: M. Antonium Columnam Pontificiæ classi Præficiens, ad Echinadas hostibus xxx. millibus cæsis, x. millibus in potestatem redactis, triremibus clxxx. captis, xc. demersis, xv. millibus Christianis à servitute liberatis, precibus & armis devicit.* Ex hac insigni victoriâ confœderata Christianorum classis magnum omni procul dubio potuisset consequi emolumentum, ac plures nutantis Turcici Imperii occupare Provincias, maximè cùm Barbarorum portus & stationes navibus & subsidiis evacuatæ, terrore etiam animi illorum perculsi ac consternati essent, sed diffidentibus Christianis Principibus, absque ullo alio operæ pretio classis dirempta est. Obiit *Selimus II.* Turcarum Imperator subitâ Apoplexiâ correptus anno MDLXXIV. ætatis suæ quinquagesimo, Imperii octavo: in ejus locum suffectus est ipsius filius, natu major, dictus *Amurathes* hujus nominis *III.*

D. Legi nuperrimè in Vita Sancti *Pii V.* hanc victoriam post homines natos maximam de Turcis à Christianis reportatam, revelatam fuisse eidem Sanctissimo Pontifici, qui ideò festum B. *Virginis de Victoria* primâ Dominicâ mensis Octobris recoli voluit, adjuncto eidem Dominicæ festo *Rosarii*, quod in honorem Dei-paræ Virginis in-

instituit S. *Dominicus*, Ordinis Prædicatorum Fundator, ut hæc solemnis festivitas esset in Ecclesia gratiarum actio celebrior, & perpetuum tantæ victoriæ monumentum. Hujus Sanctissimi Pontificis vestigiis insistens *Clemens XI.* (quem Deus Ecclesiæ suæ diu sospitem ac incolumem servet) ob insignem victoriam de Turcis, Imperio & Italiæ incubantibus, anno MDCCXVI. terrâ marique à Christianis feliciter reportatam, publico Decreto sanxit, ut singulis annis Dominicâ primâ mensis Octobris Officium de Rosario Beatissimæ Virginis Mariæ in universa Ecclesia ab omnibus deinceps celebraretur. Sed prosequamur seriem Imperatorum Turcarum, & ostende, si placet, quis & qualis fuerit iste *Amurathes* hujus nominis *III.* Turcarum Imperator, qui patri suo *Selimo II.* successit.

M. Imperium suum *Amurathes* ejus nominis *III.* annum agens ætatis suæ vigesimum septimum, auspicatus est â quinque juniorum fratrum cæde, ad minimi, adhùc infantuli, ipsi blandientis necem illacrymavit, Deum testem appellans, se non livore aut odio ad hujusmodi parricidium, sed concordiæ in familia Othomanica conservandæ necessitate compelli. Infestissimum, & maximè diuturnum bellum *Amurathes*, Turcarum Imperator, gessit cum *Mahometo Hodabenda* Persarum Rege, magno quidem Christianæ Religionis emolumento, quæ interim à continuis Turcarum, qui eo bello Persico fuerunt occupati, invasionibus ferè quievit. At pace cum Persis an. MDXCI. compositâ, bellum movit *Amurathes*, Turcarum Imperator, adversùs Christianos in Illyricum & Croa-

& Croatiam, ubi *Sinanes*, primarius Vizir, qui Christianos summo odio prosequebatur, *Javarinum*, munitissimum oppidum in dextera Danubi ripa situm, expugnavit. Verùm, nonnullis cladibus vicissim à Christianorum exercitu affecti Turcæ, pacem inierunt, aliòque arma verterunt. Mortuus est *Amurathes III.* Turcarum Imperator Constantinopoli die XVIII. Januarii anni MDXCV. ex gravissimis calculi doloribus, ut ait *Spondanus* ad hunc annum, vel, ut alii referunt, ex paroxismis epilepticis; ætatis suæ anno quadragesimo octavo, Imperii vigesimo primo inchoato. Lectione librorum, præcipuè Historiarum, impensè delectabatur *Amurathes III.* Turcarum Imperator, & quidquid apud cunctos Orbis Principes ageretur scire gestiebat. A fundendo sanguine alienum, & ad indulgentiam, quàm ad severitatem proniorem se se exhibuit. Gulæ ac veneri deditus multas uxores accepit, ex quibus complures procreavit liberos, quos inter *Mahometes* hujus nominis *III.* filius *Amurathis III.* natu major, patri demortuo successit, suique Imperii initia octodecim, vel, ut alii dicunt, unius & viginti fratrum suorum, quos ipsius pater *Amurathes III.* ex diversis concubinis susceperat, Turcico more cruentâ strage funestavit. Sorores autem viginti septem vivere permisit, vir aliundè naturâ sævissimus, quem ideò pater naturâ mitior de medio tollendum decreverat. Sub Imperio hujus *Mahometis III.* res Turcicæ in Walachia, Transylvania, & Moldavia à *Sinane*, primario Turcarum Vizire, malè gestæ sunt. *Tregovistiam, Girgionem*, seu *Arcem S. Georgii* Turcis eripuit *Sigismundus* Transylvaniæ Princeps,

Sinanis Viziris copias fudit, & Turcis cladem anno MDXCV. intulit, quâ nullam unquàm turpiorem, & undè plus dedecoris hausissent, hactenùs habuerant. Eodem anno *Strigonium*, & *Winsegardum* in Hungaria Cæsarianus exercitus, magnâ itidèm Turcarum editâ strage, recuperavit. In Strigoniensi obsidione eluxit præ cæteris virtus Comitis *Mansfeldii*, Viri bellicosi, qui vulneribus confossus mox obiit & citiùs quàm res Christianorum postulassent. His cladibus necdùm attritus *Mahometes III.* anno MDXCVI. in Hungariam venit, *Agriam*, vicinasque urbes deditione recepit, ubi captivos Christianos cùm Turcæ contra datam fidem crudeliter trucidassent, tam immane & contra jus gentium facinus adeò Mahometi Turcarum Imperatori displicuit, ut Prætorianum Præfectum, cui hoc crimen imputabatur, statim in frusta concidi jusserit. Mox magnis itineribus properans *Maximilianus*, Rudolphi Cæsaris frater, junctis cum *Sigismundo* Transylvaniæ Principe, & *Tiffembachio* superioris Hungariæ Prorege, viribus, prælium cum Turcis ad *Kerestium* conseruit, in quo victi Turcæ cùm turpem ac præcipitem fugam arriperent, Christiani victores, citiùs quàm par fuisset, ad prædam conversi, dùm in diripiendis eorum castris, quasi plenâ obtentâ victoriâ, occupantur, ab *Assane Cicada* Bassa, natione Calabro, & Religionis Christianæ Apostatâ, superati sunt, relictis suorum duodecim millibus, sicque *Mahometi III.* Turcarum Imperatori plenam & certam, sed inexpectatam reliquerunt victoriam. Refert *Spondanus* in Annalibus Ecclesiasticis ad annum MDXCIX. Num. VI.
Ma-

Mahometem III. jussisse, ut Sepulchrum *Jesu Christi* Domini nostri Christianis adimeretur, & Franciscanæ Religionis Viri, quorum custodiæ creditum est, pellerentur; sed illum à Legatis Galliarum Regis, & Reipublicæ Venetæ admonitum, id tentari haud posse absque gravissimâ omnium Principum Christianorum, qui summo semper honoris ac venerationis loco sacrum illud monumentum habuerant, offensione; sacrilegum illud præceptum revocasse, & ne quid innovaretur prohibuisse. Obiit *Mahometes III.* Constantinopoli anno MDCIII. ætatis suis undequadragesimo, Imperii nono, cùm paulò ante duplici parricidio se ipsum inquinasset, filium suum primogenitum coram Sultana Matre laqueo suffocando, ipsamque, ob insidiarum suspicionem, in mari demergendo. Successorem habuit filium suum natu minorem dictum *Achmetem* hujus nominis *I.* cujus Gesta in Colloquio primo in Historiam Seculi XVII describemus.

D. Christianorum, qui in Oriente sub Turcarum Imperio duram serviunt servitutem, deplorandam sortem lugeo. Heu! Gens barbara, obscuræ originis, quot cladibus afflixit populum Christianum, quid immanitatis in nos non exercuit? Quot civitates, quot insulas, quot provincias, quot Regna ademit Christianæ ditioni? à quanta latitudine in quantas angustias detrusit nostræ Religionis Imperium? An pietati Turcarum tantus rerum successus tribuetur? nequaquam. An virtuti? Gens est effæminata luxu, nec aliâ re quàm luxu formidanda, ut nihil interim dicam de Religione & moribus. Quid igitur causæ?

Christianorum, ut puto, vitiis, & Christianorum Principum ambitioni, regnandi libidini, & funestis dissentionibus suas Turcæ debent victorias, & amplissimi Imperii sui propagationem. Verùm, ut tot malorum originem magis perspectam habere valeam, te etiam atque etiam rogo, ut Imperatorum, ac Principum Christianorum decimi sexti Sæculi seriem, mores ac Gesta compendiosè describas.

M. Non solùm depravati Christianorum decimi sexti Sæculi mores, sed etiàm Hæreses *Lutheri* in Germania, & *Calvini* in Gallia serpentes, de quibus in Colloquio III. agemus, necnon dirum illud Schisma, quod *Henricus VIII.* Angliæ Rex contra Ecclesiam Romanam eo in Regno conflavit, & immortales inimicitiæ, quas cum *Francisco I.* Galliarum Rege gessit *Carolus V.* Hispaniæ Rex, & Romanorum Imperator, in causa fuerunt, cur Christianis Principibus varias in partes distractis, vel in profligandis Hereticis distentis, vel ab Ecclesiæ Romanæ comunione divulsis, vel suæ regnandi libidini plus justo servientibus, Turcæ suam tyranidem longè latèque propagaverint, & præter Syriam ac Palæstinam, tot Græciæ Regna, tot Asiæ minoris Provincias, ac magnam Europæ partem invaserint, occupaverint, & miserum in modum desolaverint. Id ita esse tute ultrò fateberis, si tantispèr Statum Ecclesiæ sub Principibus Christianis, qui Sæculo Ecclesiæ decimo sexto Imperio & Regnis in Occidente præfuerunt, mecum in præsentia perpendere haud graveris.

D. Incipe, quæso, à Gestis Imperatorum Chri-

Christianorum decimi sexti Ecclæsiæ Sæculi, quorum seriem in Colloquio I. in Historiam Sæculi decimi quinti perduxisti usque ad *Carolum V.* qui patruo suo *Maximiliano I.* in Imperio Occidentis successit anno MDXIX.

M. Post obitum *Maximiliani I.* Imperatoris *Carolus V.* ejus nepos, *Philippi Austriaci* filius ex *Joanna*, Ferdinandi Hispaniarum Regis & *Isabellæ* filiâ, Hispaniæ Rex, Francofordiæ electus est Imperator IV. Kalendas Septembris anni MDXIX. Contra *Solimanum*, Turcarum Imperatorem, Hungariæ Regnum ferro flammâque crudelitèr devastantem, bellum suscepit, quod tamen nullum felicem exitum habuit, ob ingentes tumultus, quos in Germania excitavit Hæresiarcha *Lutherus*, qui ægrè admodùm ferens, quòd *Carolus V.* Imperator anno MDXXI. in Comitis Wormatiensibus Catholicam Fidem egregiè professus, eum velut manifestum Hæreticum proscripsisset, & Sententiam *Leonis X.* Pontificis Maximi, in eum ac sectatores illius promulgatam, executioni mandari jussisset; Scripta virulentissima contra ipsum Cæsarem, ac cæteros Germaniæ Principes in vulgus temerè & arroganter sparsit, in quibus illos porcos, lupos, asinos, temulentos, stolidos, furiosos moriones appellare non dubitavit, palàmque asserere frustrà Principes armis pugnare in Turcas, nisi suum Evangelium reciperent; præliari adversùs Turcas nihil aliud esse quàm repugnare Deo, visitanti iniquitates nostras per illos: itemque non licere Christianis bellare, sed eos debere vim & injuriam pati: denique Turcas esse deciès probiores ac prudentiores Principibus Christianis, ideò-

que nihil prosperi à nostris expectandum esse, nec quidquam ad bellum agendum contra Turcas contribuendum. *Lutherum* itaque impium Hæresiarcham, ejusque Sectarios, qui, tractis in suas partes quibusdam Germaniæ Principibus, & Collecto perduellium exercitu, seditiones concitabant, & sùs deque omnia temerario ausu miscebant, ut in ordinem redigeret *Carolus V.* Imperator, dimisso Turcico Bello, fœderatis Protestantibus, seù Lutheranis, quorum Principes erant *Joannes Fridericus* Dux Saxoniæ, & *Philippus Lantgravius* Hessiæ, bellum indixit, quod *Smalcaldicum* vocatum est, ob fœdus à Principibus & Civitatibus inter Protestantes primùm Smalcaldæ initum pro defensione doctrinæ & Sectæ Lutheranæ. Hoc Bellum Smalcaldicum felicissimè confecit *Carolus V.* & memorabilem de *Joanne Friderico* Duce Saxoniæ, & *Philippo Lantgravio* Hessiæ, aliisque Germaniæ Hæreticis, in perniciem Ecclesiæ Romanæ conspirantibus, victoriam retulit ad flumen Albim, post acerrimum novem horarum prælium. In eo capti sunt *Joannes Fridericus* Dux Saxoniæ, & *Philippus Lantgravius* Hessiæ, Lutheranorum Sectæ columina, & mox in utrumque à Cæsare sententia capitis lata est, vitam tamen obtinuerunt, Electore Brandeburgensi, & Clivensi Duce pro ipsis deprecantibus. Verùm, *Joannes Fridericus* exutus est Saxoniæ Electoratu, qui concessus est fratri ejus *Mauritio*, Arcibus itidem Witembergâ & Gothâ spoliatus, & bonorum omnium publicatione punitus, excepto quinquaginta millium aureorum annuo redditu. *Lantgravius* verò his conditionibus gratiam obtinuit, ut se, suamque Provinciam

Cæ-

Cæsaris arbitrio permitteret, Majestatis ejus pedibus provolutus veniam rogaret, & centum quinquaginta aureorum millia Cameræ Imperiali persolveret. Præter hanc insignem de Hæreticis Lutheranis reportatam victoriam, quâ *Carolus V.* Imperator de tota Ecclesia Catholica optimè meritus est, aliud præclarum & immortali laude dignum gessit, dùm Melitam Insulam Equitibus Sancti *Joannis Hierosolymitani*, quos Turcæ Rhodo depulerant, dono dedit, ut pro Christianæ Religionis defensione excubantes, Turcarum impetus ac irruptiones ferro flammisque retunderè possent. Hactenùs *Caroli V.* Imperatoris rectè præclarèque gesta perstrinxi, nunc verò ea, quæ malè, iniquè & imprudenter egit, nec probare, nec dissimulare possum. In primis, meritò culpandus venit *Carolus V.* quòd infaustum Edictum procuderit, quod *Interim* fuit appellatum, ex eo quòd præscriberet in illo formulam doctrinæ, Disciplinæ Ecclesiasticæ, & Cœremoniarum in Germania tenendam, interim dum de universa religione, in Concilio Generali esset definitum. Concedebat etiam in eodem Edicto Presbyteris jam ordinatis conjugii facultatem, & populo communionem sub utraque specie. Hoc *Caroli V.* Edictum à Sede Apostolica fuit statim reprobatum, non solùm quia Principibus Laicis minimè licet manum mittere ad Sacra, sed quia etiam in maximum Ecclesiæ Catholicæ dedecus vergebat. Quam ob causam nunnulli ejusmodi Edictû haud incongruè *Interreligionem* nuncuparunt. Alii illud non *Interim*, sed *Interitum*, quòd animas illud recipientium interimeret, vocandum esse dixerunt. Alii denique

istud *Interim* Edictum non minus Ecclesiæ perniciosum esse affirmarunt, quàm Imperatorum *Zenonis* Henoticon, *Heraclii* Ecthesis, & *Constantis* Typus, funesta Edicta, olim sub specioso obtentu sedandarum in Religione divisionum, in grandem nihilominùs Ecclesiæ Catholicæ perturbationem imprudentissimè fuerunt promulgata. En quibus sese difficultatibus Principes implicant, dum plus posse volunt, quàm Deus & Ecclesia sinunt. Nec in hoc solùm Historici culpant *Carolum V.* Imperatorem, sed etiam atris coloribus depingunt crudelem illam Romæ direptionem, cujus ipse anno MDXXVII. author fuit, dum ad oppugnandum Romanum Pontificem *Clementem VII.* qui cum Gallis fœdus pepigerat, misit Romam Exercitum magna ex parte Hæreticis Lutheranis conflatum, eique præfecit *Carolum Borbonium*, Galliarum Regis, patriæque proditorem, sed egregium Imperatoris administrum, ejusque potentiæ struendæ præcipuum adjutorem, qui tamen Urbem Romam adortus, & inter primos, scalis admotis, conscenso muro, glande plumbeâ ad ilia trajectus, pugnandi ac vivendi finem fecit. Ejus tamen morte non est restinctus militum ardor ad prædam, sed instigante *Philiberto* Arausicano Principe, qui locum demortui *Borbonii* occupaverat, capta est Urbs, & à militibus in omnem licentiam effusis miserè devastata. Nullum templum sacrilegis eorum manibus inviolatum mansit, Matronis, & Virginibus etiam sacris ereptus pudor, obvii quique armati & inermes trucidati, Procerum atque divitum Ædes direptæ, Sanctorum Reliquiæ disjectæ, combustæ, dissipatæ, Sanctissima Eucharistia con-

con-

conculcata, Bibliotheca Vaticana incenſa, Summus Pontifex *Clemens VII.* in Arce Sancti Angeli obſeſſus, qui, ut in Colloquio proximo oſtendemus, duriſsimis conditionibus ſe ſe dedere compulſus eſt, quas cùm audiſſet *Solimanus*, Turcarum Imperator, exhorruiſſe dicitur; uno verbo, quidquid ſacrilegiorum ab impiis, quidquid rapinarũ ab avaris, quidquid cædium à truculentis, quidquid ſpurcitiarum ab immundis, quidquid inhumani à barbaris, quidquid brutale à feris, quidquid tartareum à Dœmonibus timeri poterat, Roma in hac immaniſsima direptione miſerum in modum experta eſt. Sed, quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt, *Carolus V.* diſsimulandi peritus artifex, dùm ab Exercitu, quem ipſemet Romam miſerat, in Arce S. Angeli *Clemens VII.* Pontifex Maximus, captivus detineretur, magnum mærorem de ipſius captivitate, & Urbis direptione præ ſe tulit, habitis etiam pro ipſius liberatione publicis ſupplicationibus, & feſtivâ Aulæ ſuæ ſpecie, ob natum filium, in veſtes lugubres propter captivitatem Pontificis, de qua tamen in ſinu ſuo gaudebat, commutatâ. Poſtremò, Hiſtorici vitio vertunt *Carolo V.* Imperatori, quòd perpetuas cum *Franciſco I.* Galliarum Rege ſimultates aluerit, ac cruentum Bellum toto fermè Imperii ſui tempore geſſerit. Quòd eumdem Regem in Ticini obſidione captum, Madriti captivum detinuerit, illumque graviſsimis conditionibus, quas mox agendo de Galliarum Regibus referemus, libertatem redimere compulerit. Occaſione quippè diuturni iſtius belli, quòd acrioribus ſemper odiis, mutuiſque ac ſæviſsimis internecio-

necionibus per annos viginti tres duravit, *Solimanus*, Turcarum Imperator, Christianis Principibus mutuis odiis, & internecinis bellis vires suas atterentibus, Turcici Imperii fines, cum summo Christianæ Religionis dispendio latè protendit. Has labes, quas *Carolus V.* Imperando contraxit, verâ, ac sincerâ pœnitentiâ ante obitum suum absterſit. Imperium quippè anno MDLVI. abdicavit, illud *Ferdinando*, Fratri suo, administrandum reliquit, secessitque in Extremaduram, Vallem Hispaniæ amœnissimam, in Cœnobium *S. Justi* Ordinis Hieronymitarum, duodecim tantùm famulis sibi reservatis, ubi rebus divinis solùm vacans, & bonis operibus intentus, pientissimè vixit, & mortuus est XI. Kalend. Octobris anni MDLVIII. receptis omnibus Sacramentis, & manu Crucifixi imaginem tenens, dictis his verbis expirantis Christi Domini: *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Ei morienti adfuit *Bartholomæus Caranza*, Archiepiscopus Toletanus, Ordinis FF. Prædicatorum, qui, auditâ eius infirmitate, protinùs accurrerat, & pridiè obitus advenerat.

D. Felicem *Carolum V.* qui caduco, ac terreno Imperio nuncium remisit, vt immortalem coronam in cœlis consequeretur. Erit semper apud omnes pro laudatione, & monimento pia illius mors omni præconio maior, & omni mole firmior, omnibus titulis luculentior, omnibus militiæ triumphis longè illustrior. Sed de *Ferdinando*, cui *Carolus V.* ejus Frater, Imperium administrandum reliquit, pauca nunc dicere juvat.

M. *Ferdinandus*, hujus nominis Primus, *Caroli V.*

roli V. Cæſaris Frater, Hungariæ, & Bohemiæ Rex jam creatus anno MDXXVII., & Rex Romanorum in Comitiis Imperii Coloniæ Agrippinæ anno MDXXXI. habitis, tandem renunciatus eſt Imperator Francofurti pridiè Idus Martii anni MDLVIII. cùm ibidèm *Carolus V.* per Legatos coram ſeptem Viris Imperium abdicaſſet. Fuit Princeps mitis, affabilis, temperans, & pacis artibus illuſtrior. Bella valdè memorabilia non geſſit, unum tantùm aut alterum non magni momenti ſuſcepit ex neceſſitate tuendi Hungarię Regnum contra Turcas, qui illud miſerè depopulati ſunt. Concilii Tridentini abſolutionem vehementer optavit, & pro viribus promovit, ſed impedire haud potuit, quin peſtifera Lutheri Hæreſis latè per Germaniam graſſaretur, immò intempeſtivâ manſuetudine Lutheranis nimium otii, ac tranquillitatis indulſit, impiæ Hæreſis pravitati, ut decuerat, non obſtitit, *Pium IV.* Pontificem Maximum obnixè rogavit, ne in Reginam Angliæ *Elizabetham* ſententiam ferret, quòd ſpem ipſi feciſſet conjugii cum filio ſuo *Maximiliano*, & ad reconciliandos Hæreticos, qui ejus clementiâ abutebantur, poſtulavit à Patribus Concilii Tridentini Legum Eccleſiaſticarum laxamenta, quæ ei tamen non fuerunt conceſſa. Obiit Viennæ die XXV. menſis Julii anni MDLXIV. ætatis ſuæ LXI. Imperii VII. Poſt ejus obitum *Maximilianus*, hujus nominis II. ejus filius, Bohemiæ olim, & Hungariæ Rex, qui, vivente patre, Romanorum Rex fuerat creatus, Imperium rexit. Moribus, & ingenio Patri ſuo ſimillimus fuit, pacis conſervandæ ſtudioſiſſimus, perduelles Lutheranos in ordinem redigere non cura-

vit.

vit. Quò factum est, vt sub ejus Imperio magna hæreticis contigerit libertas,& latus patuerit campus Lutheranæ Hæresis in Germania grassationibus. Proceribus, ac nobilitati Austriacæ *Maximilianus* Imperator decreverat concedere licentiam profitendi Confessionem Augustanam, ita dictam, quòd Hæreticus *Philippus Melancthon* eam à se procusam in Comitiis Augustanis anno MDXXX. celebratis Germaniæ Principibus exhibuisset, quamque, ut in colloquio quinto ostendemus, Lutherani instar Evangelii sequebantur; sed adhortationibus, & minis *S. Pii V.* Pontificis Maximi per Cardinalem *Commendonum*, Sedis Apostolicæ Legatum, intentatis, deterritus Imperator, hanc licentiam rescidit. Bellum gessit *Maximilianus* Imperator contrà *Solimanum II.* Turcarum Imperatorem, ejusque filiũ *Selimum II.* ab anno MDLXVI. usque ad annum MDLXVIII. quod tamen fausto caruit exitu. Denique, *Maximilianus* à magna Procerum parte Rex Poloniæ adversùs *Stephanum Battorium* electus, dùm jus suum, favente *Gregorio XIII.* armis tueri parabat, obiit Ratisponæ, vel ex dolore calculi, vel, juxtà alios, ex palpitatione cordis, die XII. Octobris anni MDLXXVI. ætatis suæ XLIX. Imperii XII. *Rudolphus* hujus nominis II. filius *Maximiliani II.* Imperatoris, Hungariæ, & Bohemiæ Rex, Patri in Imperium successit, qui jam anno antecedenti, seu MDLXXV. ætatis suæ annum agens XXIV. in Comitiis Ratisponensibus Romanorum Rex fuerat renunciatus. Princeps fuit pacis, ac tranquillitatis, quàm ipsius dignitas, & Religio postulabant, amantior. Tumultuantibus quippè Bohemis, & Austriacis de

de Religione concessit publico Edicto, ut sequerentur Augustanam, & Bohemicam Confessiones, quæ planè Hæreticæ erant. Hoc Edictum datum Pragæ die xx. Julii anni MDXCIX. inseruit *Goldastus* Tomo II. *Constitutionum Imperialium*. Quin, tanta fuit illius Imperatoris socordia, vt Lutherani ausi sint ei per Principem *Anhaltinum* renunciare, nisi aliam regendi formam servaret, se provisuros. Nec solùm inter minas hæserunt, sed fœdus contrà Imperatorem, & Catholicos pepigerunt, cujus Ducem Palatinum Principem, Vicarium Principem *Anhaltinum* constituerunt, seque *Correspondentes* appellarunt. Aliundè Catholici, ut se, Majestatemque Imperii tuerentur, arctius inter se fœdus percusserunt, quod *Ligam Catholicam* appellarunt: Patienter hæc *Rudolpho* Imperatore pro sua facilitate ferente, & in utramvis aurem dormiente. Unum dumtaxat Bellum *Rudolphus* Imperator gessit cum *Amurathe* hujus nominis III. Turcarum Imperatore per annos quatuordecim, seù ab anno MDXCII. usque ad annum MDCVI., & huic Bello, in quo ancipiti marte, ac mutuis cladibus pugnatum est, præfecit fratres suos *Matthiam*, & *Maximilianum*, aliosque strenuos Duces, dùm ipse interim immobilis ac penè delitescens in Bohemia sederet inglorius. Propter Hungariæ, ac Transylvaniæ exortas seditiones, quibus sedandis par non erat, Regnum Hungaricum fratri suo *Matthiæ* cessit *Rudolphus* Imperator, obiitque Pragæ die xx. Januarii anni MDCXII. ætatis suæ LIX. Imperii XXXVI. in cujus locum septem Viri Francofurti convenientes suffecerunt *Matthiam* ejus fratrem, jam anteà Hungariæ, & Bohemiæ Regem, qui Sedem Cæsaream

Pra-

Pragâ, ubi eam tenuerat *Rudolphus* Imperator, Viennam Austriæ transtulit, sed de hoc Imperatore, & de rebus ab eo gestis suo loco disseremus, videlicet in Colloquio primo in Historiam Sæculi decimi septimi.

D. Utinam! Imperatores Christiani nascentis, ac prodeuntis in Germania Sæculo decimo sexto infirmis ac timidis Lutheranorum Hæresis principiis strenuè, uti par erat, obstitissent, eosque consultissimos sequuti fuissent Rerum publicarum Moderatores, qui diligentissimè providerunt, ne qui existerent novarum Religionum Artifices, qui peregrinis, ac falsis doctrinis infatuarent civium animos, adjunctosque sibi, & Religionis nexu, & gratiâ novitatis, possent ad quidvis audendum abducere. At, ex rebus gestis, quas mox retulisti, Christianorum Imperatorum decimi sexti Sæculi, satis intelligo, eos, dùm ad primam novitatis auram errorem non represserunt, sed spatium ei dederunt corroborandi confirmandique sui; non potuisse posteà Turcarum in Europa progressus compescere, & Lutheranæ Hæresis in Germania propagationem impedire, vndè maxima tàm in statu Civili, quàm Ecclesiastico consecuta est perturbatio, quâ emotæ civitates, convulsæ Provinciæ, afflicta Regna, immutata Religio, omnis Europa concussa est. Sed videamus, si placet, an Catholicæ Ecclesiæ status tranquillior fuerit sub Regibus Galliarum Sæculi decimi sexti?

M. Quid in animos non possit conciliatricula novitas, & quàm parùm tuta sit Respublica, ubi periclitantur Sacra; Heu nimiùm! decimo sex-

ſexto Sæculo experta eſt Gallia, luctuoſiſſimis diſcordiarum fluctibus miſerrimè jactata, dùm in hoc florentiſſimo Regno peſtifera Calviniſtarum Hæreſis, Sacerdotum exuviis, populorum ſanguine, Provinciarum cladibus, & exitio ſatiata impunè graſſaretur. Involaverat exitialis illa Hæreſis in Scholas, in Aulam Regiam, in Forum, inter purpuratos Judices vitæ ac necis arbitra conſidebat, irrepſerat ad honores, primoſque Regni gradus obtinebat, ſuas habebat Arces, ſua templa, eòque ſenſim provecta eſt, ut Galliam, tùm temporis vidiſſes triſtiſſimo Hæreſis incendio deflagrantem, nutantia Regum ſolia, labantem populorum fidem, ſciſſam ubique concordiam, & pacem, ac tandem nefarios Cives, hac peſte infectos, à templorum ruinis, ad Urbium, & Provinciarum direptiones; à contemptu Sacrorum, & Cæremoniarum, ad legum everſionem; à Divinę Auctoritatis neglectu, ad Regię poteſtatis odium, indicto Bello progredientes, & omnia ferro flammâque devaſtantes. Tot graviſſima mala, quibus Sæculo decimo ſexto vexata fuit, & tantùm non oppreſſa Gallia, ut tibi ob oculos ponam, ſeriem Chriſtianiſſimorum hujus Sæculi Regum, hìc attexam, eorumque Geſta brevitèr deſcribam.

Ludovico XII. Galliarum Regi, de quo ſatis egimus in Colloquio primo in Hiſtoriam Sæculi xv. defuncto abſque maſcula prole Kalendis Januarii anni MDXV. ætatis ſuæ LIV. Regni XVII. agnationis jure ſucceſſit *Franciſcus* Dux Valeſiorum, & Ingoliſmenſium Comes. Hic eſt ille *Franciſcus*, hujus nominis I. Galliarum Rex, qui in petitione Imperii æmulus fuit *Caroli V.*, & cum ipſo

ipso perpetua habuit bella, quæ Galliarum Regno fuerunt admodùm funesta, inter quæ potissimùm censeri debet acerrima illa Ticinensis, seù Papiensis pugna, quæ contigit die XXIV. mensis Februarii anni MDXXV. in qua octo Gallorum millia, aut ferro, aut in Ticino fluvio periere, & ipse Rex *Franciscus I.* dùm intrepidè, ubi Mars atrocissimus erat, extremo vitæ discrimine certamen sustineret, captus est, & Madritum captivus abductus. Madriti itaque in custodia detento *Francisco I.* Galliarum Regi pacis, ac libertatis duras conditiones *Carolus V.* proposuit, quarum prima, & præcipua fuit, ut Burgundiæ Ducatum cum multis ejus appendicibus ei traderet omni supremo jure possidendum. Altera conditio, vt omnibus Regni Neapolitani, Principatus Mediolanensis, Genuæ, Astæ, quibuscumque juribus, necnon Flandriæ, & Artesiæ Dominio cederet, atque Urbes, quas in eis possidebat, restitueret. Tertia conditio, ut Eleonoram *Caroli V.* Cæsaris Sororem, *Emmanuelis* Lusitaniæ Regis Viduam, duceret uxorem. Quarta conditio, vt *Carolo Borbonio*, qui, vt jam observavimus, Galliæ, patriæ suæ, & Regis Christianissimi proditor erat, ablatas omnes ditiones, & opes restitueret. Postrema conditio, ut duos filios suos natu majores obsides datæ fidei traderet. His oblatis conditionibus Rex *Franciscus I.* libertatis cupidus, fidem obstrinxit. Sed libertati restitutus, promissis non stetit, causatus ejusmodi conditionum asperitatem, duritiem, & iniquitatem, moxque fœdus cum *Clemente VII.* Pontifice Maximo, Venetisque contrà Imperatorem percussit. Quod ægerrimè ferens *Carolus* Imperator,

tor, Italiam ingressus, *Caroli Borbonii* ductu, Romam, ut superiùs diximus, obsedit, cepit, incendit, turpiùs profectò, quàm Principem Christianum decuisset. Pacem cum Summo Pontifice, & Rege Christianissimo *Francisco I.* iniit *Carolus V.* Imperator anno MDXXIX. cujus conditiones apud *Guicciardinum* libro XIX. legere est. Sed hæc pax non fuit diuturna ob implacabiles utriusque Principis simultates, quæ indentidèm in bella erumpentes, Galliarum Regnum in magnas coegerunt angustias, & gravissima Ecclesiæ damna intulerunt, quæ tamen *Franciscus Primus* resarcire pro viribus studuit, Fidem Catholicam in suo Regno contra Hæreticos Calvinistas ardentissimo studio propugnando, sive solemnes supplicationes decernendo, quibus ipse cum Principibus, Clero, plebeque universâ aderat, ut læsæ sacrilegis Hæreticorum in Sacrosanctam Eucharistiam sparsis libellis Christi Domini Majestati fieret satis; sivè convictos Hæreticos extremo supplicio damnando; sive severissimum Edictum contrà Hæreseos Authores, ac disseminatores datum apud Fontemblaudi Kalendis Junii anni MDXL. promulgando; sivè denique, dùm *Henrico VIII.* Angliæ Regi, ob schisma ab ipso conflatum, excommunicatione jure merito à Sede Apostolica perculso suppetias ferre constantissimè renuit. Cum *Leone* X. Pontifice Maximo congressus est *Franciscus I.* Bononiæ anno MDXV. in quo congressu Pontificem inter ac Regem Pacta illa, in Regno Galliæ observanda, inita sunt, quæ vulgò *Concordata* vocantur, & abolita est tandem *Pragmatica sanctio*, ut fusiùs ostendemus in Colloquio sexto agendo de Disciplina

Ecclesiastica Sæculi decimi sexti. Non solùm Justitiæ severus exactor fuit *Franciscus I.* Galliarum Rex, sed etiam adeò litterarum, bonarumque Artium amans, ut insignem Bibliothecam, conquisitis undiq; optimis libris locupletatam in Regiis *Fontisblaudi* ædibus instruxerit, ac perdoctis Professoribus, quos accivit, amplissima assignaverit stipendia, ut eorum ope, profligatâ barbarie, Artes, ac scientiæ in Galliis reflorescere possent. Hinc illustri cognomento *litterarum parens*, & *munificentissimus litteratorum Mæcenas*, passim appellatus est. Sui erga Ordinem FF. Prædicatorum singularis affectus egregia documenta dedit, sivè dùm *Guillelmum Parvum* Confessarium, & Concionatorem suum, ejusdem Ordinis Theologum Parisiensem, Trecensem primum, deindè Silvanectensem Episcopum, Filiis suis Præceptorem dedit; sivè etiàm, dùm Comitia Ordinis Fratrum Prædicatorum Lugduni anno MDXXXIV. habita humanissimus Rex dignatus est suâ præsentiâ, & cum tribus Cardinalibus assiduus concertationibus Scholasticis interfuit auditor; assedit mensæ communi, & tandem comprobatâ disputationibus eruditione, sanctionibus, sapientiâ, & pietate, amplitudine Religiosorum ex omnibus Orbis partibus aduentu, illustrissimo testimonio Familiam Dominicanam ornavit dicens: *Fratrum Prædicatorum Ordinem non tantùm Ecclesiæ Catholicæ, sed etiam sui Galliarum Regni invictum esse propugnaculum*. Obiit *Franciscus I.* omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus anno MDXLIII. ætatis LIII. Regni XXXIII. de cujus Gestis si plura nosse cupias, legesis ejus Historiam paucis ab hinc annis con-

concinnatam, ac in lucem editam à Clarissimo *Varillassio*, Gallo Historiographo. Post obitum *Francisci Primi* regnavit in Galliis ejus filius, *Henricus* hujus nominis *II.*

D. Fuitne *Henricus II.* Galliarum Rex in Bello felicior Patre suo *Francisco I.* in quo sanè Regiarum dotum nihil desiderabatur præter felicitatem virtuti, ac fortitudini parem?

M. *Henricus II.* in Bellis, quæ cum *Carolo V.* Imperatore, & *Philippo II.* Hispaniarum Rege gessit, *Francisco I.* Patre suo multò felicior fuit. Sed antequàm hæc bella aggrederetur *Henricus* Franciæ Rex, magnitudine animi, & rei militaris peritiâ insignis, Regni sui administrationem à Religione orsus est, probè sciens Rempublicam rectè constitui haud posse, nec diu florere, nisi Religio à perversis, & seditiosis Hæreticorum studiis, & erroribus illibata servetur. Hinc Hæreticos Lutheranos, qui in Galliarum Regno occultè grassabantur, severissimis Edictis coercuit, multosque ex illa secta captos igne ardere jussit. Mox Calvinianos Hæreticos, qui Gallias pestilenti Hæresi infestabant, ut omninò profligaret, Domos, in quibus prædicti Hæretici in toto Regno conventicula habere solebant, solo æquari jussit; Viros nobiles, cæterosque summâ jurisdictione pollentes, suâ jurisdictione privari, Regios Magistratus officiis suis abdicari, si in puniendis horumce Conventiculorum authoribus negligentiores essent. Alias contra hujusmodi Hæreticos leges tulit sapientissimus ille Rex, quibus nihil intentatum reliquit, ut nascentem illam Calvinianam Hæresim in cunis præfocaret, eamque pestem pro-

cul è Regni sui finibus eliminaret. At, dùm totus in Calvinianæ Hęreseos extirpationem incumberet *Henricus* Rex, coactus est bellum suscipere adversùs *Carolum V.* Imperatorem, & *Philippum II.* Hispaniarum Regem. Misso itaque in Lotharingiam exercitu, Duce *Mommorantio* Magistro Equitum, Diviodurum Mediomatricorum, quos nunc Metenses vocamus, Tullum, & Virdunum Regno Galliarum adjecit. Paulò post *Carolus V.* centum armatorum millibus Diviodurum Mediomatricorum obsedit, sed *Francisco Guisio* strenuè propugnante, potiundi desperatione obsidionem solvit *Carolus V.* Res non minùs segniter contrà *Philippum II.* Hispaniarum Regem in Belgio, & in Italia gessit *Henricus II.* Galliæ Rex. Plures Civitates in Belgio partim expugnavit, partim deditione accepit. Exercitum in Campaniam, Neapolitanumque Regnum immisit, Duce *Francisco Guisio* anno MDLVII. quo quidem anno Galli in Belgio ab Hispanorum exercitu, cui præfectus erat *Emmanuel Philibertus*, Dux Sabaudiæ, grauissimam ad Sancti *Quintini* Oppidum in Veromanduis die x. mensis Augusti cladem acceperunt, quæ *Sanquitiana*, aut *Sanlaurentiana*, à die quâ contigit, dicta est, in qua plures proceres, ac nobiles cæsi, aut capti sunt. Sed eâ victoriâ uti nescierunt Hispani. *Henricus* quippè Galliæ Rex, ex hac clade factus sapientior, ex Italia accersiit *Franciscum Guisium*, qui *Calesium*, Arcem munitissimam, quæ jam ab annis ducentis & decem Anglicum ferebat jugum, intrà septem dies ad deditionem redegit, Anglisque eripuit. *Thermeus* etiam Mareschallus *Gravelingam*, *Burgam*, *Dunkerkum*, aliaſ-

aliasque Belgii Civitates cepit, sicque penitùs abolita est illius *Sanquitianæ*, seu *Sanlaurentianæ*, Gallorum cladis recordatio. His alternantis fortunæ casibus permoti Galliæ, & Hispaniæ Reges pacem nuptiali adstrictam fœdere injerunt anno MDLIX. datâ *Philippo II.* Hispaniarum Regi in conjugium *Elizabetha*, filiâ *Henrici II.* Galliarum Regis. Parisiis nuptiæ celebratæ fuerunt ludicris Equitum certaminibus, & hastiludiis, in quibus cùm ipse *Henricus* Rex decertare voluisset, lethale vulnus in capite accepit, obiitque die x. Julii anni MDLIX. ætatis XLII. Regni XIII. Adeò fluxa, lubrica, & instabilis est rerum humanarum conditio, ut hanc lætitiam, cùm maximè gestiret, exceperit luctus, tamque justam gratulationem, dum ferveret, funestaverit optimi Regis interitus, simulque perculsi totius Galliarum Regni ægritudo, luctus, consternatio, squallor intercesserit, solis Hæreticis, Religionis ac patriæ juratis hostibus, ingenti exultatione bacchantibus.

D. Eccur, quæso, mortuo *Henrico II.* tanta consternatio universum Galliæ Regnum occupavit?

M. Jure optimo Galli gravissimis, ac verissimis lachrymis mortuum Regem *Henricum II.* luxerunt, quia, eo moriente, unà cum illo extincta est omnis felicitas Regni Galliæ, domesticis malis continuò irrumpentibus, quæ florentissimum illud Regnum ad ultimum ferè exterminium adduxissent, nisi Deus ab irreparabili casu illud præservasset. At enim, mortuo *Henrico II.* successit in Regno Galliæ filius ejus *Franciscus* hujus nominis

II. annum agens ætatis suæ decimum septimum, cujus ætas juvenilis, & inexperta locum dedit Calvinianæ Hæresi, armis & facibus instructæ, caput efferendi, & funestis cladibus totum Galliæ Regnum cruentandi. Tentaverat quidem Rex *Franciscus II.* sub initium Regni sui Hæreticorum Calvinianorum frangere audaciam, sive negotiorum Regni administrationi præficiendo *Guisios* fratres Lotharingios, Ducem, & Cardinalem, Catholicæ Fidei acerrimos defensores, & avunculos Reginæ Conjugis *Mariæ Stuartiæ*; sivè etiam renovando lata jam sub defuncto patre suo *Henrico II.* in Hæreticos Edicta, & nova promulgando; sive denique novam instituendo Classim, seu Cameram, quę in quolibet Regni Senatu tantummodò de criminibus ad Religionem pertinentibus cognosceret: *Cameras Ardentes* appellarunt, quòd ad rogum passim damnarentur, qui Calvinianæ superstitionis convicti essent, & in nocturnis conventiculis deprehensi. Verùm, hæc omnia Hæreticos in officium reducere minimè potuerunt, animos eis præsertim faciente *Ludovico Borbonio Condæo*, Regii sanguinis Principe, qui hac peste infectus, ut suam, specioso Religionis obtentu, potestatem augeret, Caput illorum se constituerat, æmulatione quoque incitatus adversus *Guisios*, quos Catholici, ut avitæ Fidei vindices suspiciebant ac venerabantur. Hæretici itaque audaciores facti, non solùm libros seditiosos adversùs *Guisios*, quos suis superstitionibus contrarios vatiniano odio prosequebantur, vulgarunt ac disseminarunt, sed etiam in apertam conjurationem adversùs Regem *Franciscum II.* eruperunt, eum-

que

que Ambasiâ, ubi tunc erat, clam dispositis viris armatis, conati sunt abducere, eam in spem erecti, fore ut capto semel Rege adolescente, Regnum pro arbitrio ejus nomine administrarent. At, detectâ per certos indices conjuratione, rebelles cum magna eorum clade dissipati sunt, & *Franciscum Guisium*, ob rem optimè gestam, Senatus Parisiensis titulo *Patriæ Conservatoris* cohonestavit. Animos tamen non desponderunt feroces Hæretici, sed potiùs in rabiem acti multas Urbes occupare tentarunt, & cuncta seditionibus, cœdibus, rapinis, sacrilegiis compleverunt. Quibus malis Rex, ut præsentissimum adhiberet remedium, Comitia Meldis indicta transtulit Aureliam, ut Cives ad res novas propensos in officio contineret. In his Comitiis, seu, ut loquuntur Galli, in hoc trium Ordinum Conventu, captus est Princeps *Condæus*, custodiæ traditus, & læsæ Majestatis reus convictus, latâ à judicibus sententiâ morti addictus fuit; procrastinatum tamen est ejus supplicium ob morbum Regis *Francisci*, qui obiit ex apostemate in aure sinistrâ enato, Ecclesiæ Sacramentis religiosè perceptis, Nonis Octobris anni MDLX. ætatis suæ duodevigesimo, nullâ relictâ prole.

D. Quis ad Galliarum Regnum administrandum suffectus est in locum *Francisci II.* qui, ut mox observasti, è vivis excessit nullâ relictâ prole?

M. Defuncto *Francisco II.* successit in Regnum Galliæ ejus frater *Carolus*, hujus nominis *IX.* annum agens ætatis decimum, qui administrationis Regni per ætatem cùm adhuc incapax esset,

Catharina Medicæa Regina, ejus mater, fœmina solers, & imperandi cupidine flagrans, optatam gubernandi Regni procurationem mille adhibitis artibus obtinuit, & ut Sectæ Calvinianæ Principes sibi arctiùs devinciret, his plus æquo favit, & Religionis Catholicę negotiis haùd parum nocuit. Ea quippè ambitiosa fœmina, cui retinendæ supremæ auctoritatis studium Religione ipsâ antiquius erat, non solùm in Regni Comitiis, apud Aureliam habitis, Principem *Condæum*, seditionis facem, & Calvinianæ factionis Antesignanum, absolvit, sed etiam Calvinistarum precibus annuens Edictum Regium publicavit, quo Provinciarum Præfectis jubebat, ut Calvinistæ, qui Religionis causâ in carcere detinebantur, libertate donarentur; Hi verò, qui in exilium erant ablegati, revocarentur, hisque licitum esset cum Catholicis sine offensione vivere. Ingentes animos ex eo præpostero Edicto sumpserunt Calviniani, ac Principum freti patrocinio, & hujus ambitiosæ Reginæ Matris elati favore, Ecclesias Catholicorum occuparunt, Altaria everterunt, Sacras Imagines confregerunt, Sacerdotes trucidarunt, Sacrilegiis ac cœdibus omnia fœdarunt, nec jam clandestina, & nocturna conventicula habere contenti, publicos Conventus egerunt, in quibus novum Evangelium prædicare, Cœnam suam celebrare, & in Ecclesiæ Romanæ Dogmata impunè dabacchari cæperunt, ac tandem Classicum canentes, bellis civilibus totum Galliarum Regnum aperto marte infestarunt. Numerosos siquidem exercitus Hæretici Calvinistæ eduxerunt, adjunctis Germanorum Protestantium, seu Hæreticorum Lutheranorum

norum auxiliis, & quatuor potissimùm generalibus præliis contra Catholicum *Caroli IX.* Galliarum Regis exercitum magnis animis pugnarunt, in quibus tamen Deus victoriam Catholicis indulsit, nec tamen domiti sunt rebelles. Primum Prælium datum est apud *Drocas*, indèque dictum *Drocense*, anno MDLXII., & in eo duo primarii partium Duces capti sunt. Ex parte quidem Hæreticorum captus est Princeps *Condæus* à *Francisco Guisio* Catholicorum Duce. Ex Catholicorum verò parte *Annas Mommorantius* captus in Hæreticorum potestatem venit. Alterum Prælium dicitur *Sandionysianum*, quòd propè oppidum *S. Dionysii*, duabus à Lutetia Parisiorum leucis distans, commissum sit anno MDLXVII. in quo *Mommorantius* Dux, & Franciæ Connestabilis, æternâ memoriâ dignus Heros, acceptis sex vulneribus, gloriosè pro Religionis, & patriæ defensione occubuit. Cœsis tamen Calvinistis, aut in fugam actis, victoria penès Catholicos stetit. Tertium Prælium ad Jarnacum in Santonibus editum est, indèque dictum prælium Jarnacense, in quo Catholici, Duce *Henrico* Andegavensium Principe, & fratre *Caroli* Galliarum Regis, plenâ victoriâ potiti sunt, & Princeps *Condæus*, perduellium Calvinistarum Dux, victus mortem oppetiit anno MDLXIX. Eodem anno ultimum prælium consertum est ad Moncontorium in Pictonibus, Duce eodem *Henrico* Andegavensium Principe, in quo Calvinistæ ad internecionem cœsi, duodeviginti suorum millia perdidere, & victus omninò *Colinius Thalassiarchus*, cui Hæretici Calvinistæ, post mortem Principis *Condæi*, summam rerum contulerant. Hic

Co-

Colinius fratrem habuit *Andelotum*, ejusdem Calvinianæ superstitionis fautorem præcipuum, & Sacerdotum hostem adeò infensum, ut ex eorum auribus torquem collo appensum gestaret, eique ludus esset Sanctorum reliquias flammis addicere, templa inflammare, Ecclesias spoliare, & alia id genus sacrilegia perpetrare. His quatuor præliis victi quidem, ac debellati fuerunt Hæretici Calvinistæ, sed nec ad gremium Catholicæ Ecclesiæ, nec ad obedientiam Galliarum Regis redire voluerunt. Quapropter, ad eos sæpiùs tumultuantes ac nova molientes penitùs exterminandos visum est extremum quidem, & paulò durius, sed eâ ætate maximè necessarium, adhibendum esse cauterium. Anno igitur MDLXXII. Postquam Parisiis nuptiæ Henrici Regis Navarræ cum *Margarita* Sorore *Caroli IX.* Galliarum Regis fuissent celebratæ, inchoata est Calvinistarum Cædes, dicta *Matutinæ Parisienses*, quòd summo manè cœpta sit, vel cædes *San-Bartholomæa*, quia contigit die *S. Bartholomæo* Apostolo sacrâ. Primus cæsus est *Colinius Archithalassus*, tractus à pueris per plateas, & in Sequanam fluvium projectus. Eamdem sortem nacti sunt *Rupifulcadius*, *Lavardinus*, aliique Duces, & Viri fortes, præcipua sectæ Calvinianæ præsidia, necnon innumeri Calvinistæ, qui in ea strage perempti sunt. Nec solùm Parisiis, sed & in cæteris totius Galliarum Urbibus Catholicis in Hæreticos Calvinistas sævitum est, exceptâ tamen Civitate Lexoviensi in Normannia, cujus Episcopus *Joannes Hennuyerius*, Ordinis FF. Prædicatorum, & *Henrico II.* olim Galliarum Regi à Confessionibus, ab Urbis Præfecto obtinuit,

tinuit, ut Mandati Regii suspenderetur executio, sicque eximiâ charitate, ac clementiâ Calvinistarum promovit animos, ut quotquot Lexovii degebant, in sinum Ecclesiæ redierint, sicut referunt *Sammarthani* fratres Tomo II. *Galliæ Christianæ*, in Lexoviensibus Episcopis. Eâ strage San-Bartholomæa exacerbati Calvinistæ, nova Bella meditabantur, dum *Henricus* Dux Andegavensium, & *Caroli IX.* Galliarum Regis frater, Rupellam, in Santonibus prævalidam Arcem, quæ à Calvinistis occupata fuerat, cum exercitu regio obsedit. Sed cùm sub idem tempus *Henricus* Polonorum Principum suffragiis ad illius gentis Regnum expetitus esset, ab Urbe discessit, ejusque obsidionem solvit. Quò factum est, ut Rex *Carolus IX.* cùm non posset Hæresis fundamenta destruere, hos funestæ arboris ramos amputare, scelerati illius monstri tot annorum diuturnitate corroborati, tot redivivi cladibus, tot superbi exitiis, tot locis diffusi debilitare vires, volens nolens, pacem injerit cum Calvinistis, Arces, & oppida *Rupellam*, *Montalbanum*, *Nemausum* concesserit, undè posteà Calviniana factio potentiæ Regum insultans, sua jura, terroremque in vicinas latè oras circumferre non destitit. Obiit *Carolus IX.* Galliarum Rex in Pentecostes Festo, qui incidit in diem XXX. mensis Maji anni MDLXXIV. ætatis XXV. Regni XIV. Gesta *Caroli IX.*, & Historiam Bellorum Civilium, quibus, eo Regnante, conflagravit Gallia, accuratè inter alios Scriptores concinnavit *Varillasius* Scriptor elegans, ac sincerus, totique Orbi litterario notissimus.

D. O funestissima tempora! in quibus Gal-

liarum Regnum, olim opibus abundans, ditione auguſtum, ac pacis munere fortunatum, tum, Calvinianâ Factione tumultus & perpetuas tempeſtates concitante, in ſe ipſum conjuratum pugnabat, ſuis conſumptum opibus, ſuis fractum viribus, quod alienis ſemper fuerat invictum. At, dùm video obfirmatiſſimos in errore Hæreticorum animos, factiones, audacias, ſeditiones, bella, & reliqua, quæ novitas omnis parturit, dùm eorum conventus, fœdera, conſpirationes, partium ſtudia fervere audio, vehementèr timeo, ne ſub *Caroli IX.* Galliarum Regis ſucceſſoribus, gliſcente Calvinianâ Hæreſi, graviores tumultus ac procellas Gallia paſſa ſit. Error quippè, ut experientiâ notum eſt, qui ſtatim non opprimitur, ſenſim ſine ſenſu ſerpit incrementis propè fallentibus, ſe longè làtèque diffundit, novos ritus, reſciſſis antiquis, novas cæremonias, novas leges, novam Religionis formam introducit, uno verbo, novum populum facit, qui acerrimis & ardentiſſimis ſtudiis pro errore certat, & civilibus bellis Regnorum, ac Rerumpublicarum pacem perturbat. Nulla quippè Regni, aut Reipublicæ pax, tranquillitaſve ſperanda eſt, ubi Religionis divortia vigent. Omnia igitur malà, quæ ſub *Caroli IX.* ſucceſſoribus intulit Galliarum Regno Calviniana Factio, percenſe, quò plenam Status Eccleſiæ ſub Galliarum Regibus decimi ſexti Sæculi notitiam adipiſci poſſim.

M. Mortuo *Carolo IX.* Galliarum Rege; *Henricus*, ejus frater, qui jam Poloniæ Rex fuerat inauguratus, ſtatim, relictâ Poloniâ, in Gallias ad Regnum capeſſendum feſtinavit, dictuſque

eſt *Henricus III.* Eo regnante fœda fuit Eccleſiæ Gallicanæ facies, & Regnum periclitari viſum eſt, teterrimæ factionis, conjurationiſque furore laceratum. Beneficia impunè vendebantur, viginti octo Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus Præſulibus deſtituti erant; Cœnobia innumera ſine Abbatibus, ſine divino cultu, à prophanis hominibus tenebantur, qui, ut luxui & libidini affatim indulgerent, eorum bona abliguriebant, decoquebant, dilapidabant. Præter hanc infamem corruptelam, *Henricus III.* Francorum Rex neceſſitate adactus belli conſopiendi, quod *Franciſcus Alenconius* Dux, Regis frater, *Henricus Borbonius*, Rex Navarræ, & *Henricus Condæus* Princeps, fœderati cum Calviniſtis Galliæ, & Proteſtantibus Germaniæ, intulerant Franciæ Regno, Edictum promulgavit in favorem ſeditioſorum & Hæreticorum Calviniſtarum, Catholicis odioſum, & Eccleſiæ omninò injurium, in quo Hæreticis in omnibus Galliarum locis permittebantur Conventus, publica eorum Religionis exercitia, facultas celebrandi ſuæ Sectæ Synodos Nationales ſeu Provinciales, & ad honores, Magiſtratus, & publica munia Hæretici admittebantur non ſecùs ac Catholici; Sacerdotum & Monachorum Apoſtatarum conjugia jam contracta recipiebantur, & liberi ex iis ſuſcepti cenſebantur legitimi, octo Urbes in diverſis Regni Provinciis ſecuritatis causâ Calvinianis tradebantur, aliaque ejuſmodi ſexaginta duobus Capitibus comprehenſa hæreticis indulgebantur Eccleſiæ Catholicæ valdè pernicioſa. Extortum iſtud ab *Henrico III.* Francorum Rege in gratiam Hæreticorum Edictum in cauſa fuit,

fuit, cur Principes Catholici Galliarum Regni fœdus inter se inierint ad impediendum, ne quis Hæreticus Princeps regii sanguinis *Henrico III.* in Regnum succederet, neve ullum permitteretur Calvinianæ Sectæ exercitium publicum, quod fœdus juramento sancitum *Ligam* appellarunt. Admonitus Rex *Henricus III.* conjurationum, quas plerique in ipsum moliebantur, ut sibi caveret à Parisiensibus, qui *Henricum Guisium*, inter fœderatos Principes Catholicos præcipuum Ducem, impensè colebant, eumque post mortem *Henrici III.* Regno Galliæ destinabant, milites pro sui tutela Parisios advocavit, atque per diversas Urbis stationes dispersit. Quâ de re commoti Parisienses, mox eorum commotio in seditionem, seditio in apertam defectionem erupit, quam non parum auxit *Guisii* Ducis, contra Regis prohibitionem, Lutetiam adventus, quem exultans populus magnis acclamationibus, & festivis gratulationibus excepit. Rex metu consternatus, ut vitæ suæ securitati consuleret, fugam secretò arripuit, & Carnutum accessit, cùmque nullam rebus suis lucem affulgere videret, indixit anno MDLXXXVIII. Comitia Blesensia, in quibus consilium cepit plenum desperationis. Ducem siquidem *Henricum Guisium*, ejusque fratrem Cardinalem *Ludovicum*, privatim ad se quasi ad consultationem evocatos per suos satellites confodi jussit, eâ spe ductus, fore ut, sublatis *Guisiis*, absolutiùs regnaret. Sed eum fefellit eventus. Provinciæ quippè Regni ægrè admodum ferentes mortem *Guisiorum*, quos, tanquam Fidei Catholicæ invictos assertores, venerabantur, rebellionis ve-
xilla

xilla ubique erexerunt, sibique *Carolum Meduanum*, occisorum Guisiorum fratrem, summum Belli Ducem præfecerunt. *Sixtus V.* Pontifex Maximus, ob interemptum Cardinalem *Guisium*, in ipsum Regem anathema vibravit. Ad has angustias redactus Rex *Henricus III.* cùm Lutetiam oppugnaturus, ad Sancti *Clodoaldi* Municipium stativa posuisset, immani parricidio Kalendis Augusti anni MDLXXXIX. trucidatus est, non à Monacho, sicut multi, mendaci famâ, & falso rumore delusi, perperàm scripserunt, sed vel ab Hæretico Calvinista, vel, ut probabiliùs censent alii, ab uno ex Guisiana confœderatione, quam *Ligam* vocabant, perditionis filio, qui, ut faciliorem aditum ad Regem nancisci posset, sumptâ Religiosâ veste, & sub ea, instar lupi sub pelle ovina, latens, ad Regem admissus, cultrum venenatum in ejus ventrem infixit, ex quo vulnere sequenti die è vita migravit *Henricus III.* Rex sanè meliori sorte dignus, utpotè qui Religionis Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ publicam professionem studiumque semper præsetulit, ac servavit, seque Hæresis & Hæreticorum hostem ac persecutorem acerrimum præbuit, quamvis, ut jam observavimus, temporum calamitate & rerum necessitate compulsus, aliquot Edicta in gratiam Calvinianæ Factionis concesserit, ne Catholica Religio, & Regia authoritas ab illa sacrilega factione in utramque armatâ penitùs opprimeretur. Pietatis, quam in animo fovebat, nonnulla identidèm indicia dedit *Henricus III.* sivè cùm Ordinem *Sancti Spiritus* fundavit, sivè cùm Pœnitentium sodalitia instituit, iisque

iisque inscribi voluit; sivè cùm ipse,dimissâ Regiâ Majestate, in supplicationibus Pœnitentis habitu processit, contemptui ac ludibrio Politicorum se exponens; sivè denique dum moriturus propediem, sumptis cum magnâ pietatis, contritionis & humilitatis significatione Sacramentis, atque omnibus suis inimicis veniâ concessâ, ex Regno, quod perpetuis calamitatibus fuerat expertus infestum, ad beatius Regnum, ut par est credere, transiit. Ejus morte defecit *Valesiorum* Stirps Regno idonea,Regnique jus in *Borboniorum* familiam, quæ etiamnùm in Galliis feliciter regnat, devolutum est.

D. Suppetuntne aliqua momenta, quibus evinci possit, eum, qui *Henricum III.* Galliarum Regem trucidavit, non fuisse Monachum, sed Hæreticum Calvinistam, vel potiùs aliquem ex Guisiana confœderatione, quam *Ligam*, vocitabant, scelestum sicarum, qui, ut faciliùs regem adiret, & nefandum illud facinus perpetraret, religiosum habitum sumpsit, & Monachi professionem ementitus est.

M. Multa ad id persuadendum suppetunt momenta, quæ latè referuntur tum ab Authore Libri, cui Titulus est: *La Fatalite de Sainct Cloud*, seu *Fatum Sancti Clodoaldi*, Gallico Idiomate anno MDCLXXII. editi; tum etiam à *Varillasio*, nuperrimo quidem, sed clarissimo Regum Franciæ Historiogropho, in Historia *Henrici III.* Galliarum Regis, quorum præcipua dumtaxat, brevitatis ergò, hìc delibabo. In primis, certissimè constat ex Annalibus & Historiis Gallorum, tantum his funestis, miserisque temporibus exarsisse in *Henri-*

cum

cum III. Regem factionis conjurationisque Guisianæ furorem, ut non semel perduelles fœderati ei mortem inferre tentaverint, & plerique ex illis in sacris Suggestis, in Pœnitentiæ tribunalibus, in Doctorum celeberrimis Collegiis, adversùs Regem, ceù Tyrannum, hypocritam, & perfidum publicæ fidei, libertatisque Comitiorum violatorem, concionibus, consiliis, scriptis, responsis, decretis populum animarint, & ad defectionem sollicitaverint, palàm asserentes non esse servandam fidem *Henrico* Regi datam, ejus Sacramento populos exsolutos, fas esse contra eum armari plebem, & non ampliùs pro Rege solitàs in Sacris Mysteriis preces esse fundendas. Profectò ex illo perduellium fœderatorum furore, facili negotio quisque judicare potest, scelestum illum sicarium, qui *Henricum III.* trucidavit, ex eorum grege ac societate fuisse. At inquies, sicarius ille Regicida Dominicanam vestem gestabat. Id certè non inficias eo, sed quo pacto id acciderit, disce nunc. *Achilles Harlæus*, supremus Senatus Parisiensis Princeps, qui in Regis *Henrici III.* fide & obsequio constans, è Senatu in carcerem ad Arcem Bastiliæ à factiosis fuerat abreptus, miserat *Jacobum Clementem*, Religiosum Dominicanum Sacerdotem, cum litteris & secretis mandatis maximi momenti, quæ Regi relaturus esset. Hic sub Vesperam ad Sanctum *Clodoaldum*, ubi tunc Rex erat, accessit, & in ædibus *Jacobi Gueslæi*, Generalis in Regio Senatu Procuratoris, receptus, nocte sequenti occisus est à perduelli fœderato, qui opportunam occidendi Regem occasionem nactus, habitum Dominicanum induit, & unà cum litte-

ris *Harlai* perrexit ad Regem, quas cùm attentiùs legeret Rex, ab eo perfido & iniquissimo sicario lethale vulnus in imo ventre accepit. Id autem ne gratis à me dictum putes, audi, si placet, rationes, quæ æquum rerum æstimatorem convincere debent. In primis, testantur omnes ad unum Historici Galli, sicarium, à quo occisus est Rex *Henricus III.* statim ac Regem percussisset, non solùm à *Gueslæo*, Generali in Regio Senatu Parisiensi Procuratore, sed etiam ab Aulicis, qui tunc adstabant, multis vulneribus confossum, & interfectum fuisse. Hæc auté violenta ac repentina mors haud obscurè probat, non solùm hunc sicarium, sed etiam illos à quibus occisus est, fuisse perduelles fœderatos, & Guisianæ factioni addictissimos, qui malè sibi conscii cùm justè pertimescerent, ne ille sicarius, si vivus post patratum execrandum illud facinus servatus esset, totum istud mysterium iniquitatis detexisset, & conscios hujus culeo digni sceleris, quos inter ipsimet censebantur, propalaret, ut vitæ suæ & honori consulerent, ei mortem accelerarunt. Alioquin, nemo non videt, hujus sicarii vitam protrahi debuisse, donec interrogatus causam & nefandi illius criminis conscios declarasset. Præterquàmquòd, post obitum Regis *Henrici III.* jamque occiso ejus sicario, reperta sunt Regis viscera, quæ in loco seorsim fuerant reposita, gladiis transfixa ac dilaniata non ab aliis sanè, quàm à perduellibus fœderatis, qui in Aula erant, quique jampridem Vitæ *Henrici III.* insidias struentes, ejusque mortem machinantes, in ejus viscera, etiam post mortem, summâ immanitate sævierunt. Sed videamus

mus finem hujus Tragædiæ. Corpus hujus ſicarii, ut narrant iidem Hiſtorici Galli, nudum per feneſtram projectum eſt, ut pateret omnium oculis, & dignoſci poſſet, quis eſſet ille ſicarius. At Perduelles fœderati, qui in Aula erant, tot vulneribus corpus ejus conſultò confoderant, atque deformaverant, ut à nemine dignoſci potuerit. Hoc unum tamen viderunt omnes, nullum Tonſuræ Clericalis, quæ in Viro Religioſo major, quàm in aliis Clericis eſſe ſolet, in capite illius ſicarii Regicidæ apparere veſtigium. quod quidem argumento fuit, hunc ſicarium non fuiſſe Religioſum, ſed perduellem fœderatum, qui, ut mox diximus, *Jacobum Clementem* Dominicanum, miſſum ab *Achille Harlæo*, ſupremo Senatus Pariſienſis Principe, ad Regem, intempeſtâ nocte dormientem occidit, ejuſque religioſam veſtem ſumpſit, quò faciliùs ſub ementita illâ veſte Regi fucum faceret, eumque ſacrilego parricidio necaret. Accedit ad hujus veritatis confirmationem, quòd ille ſicarius exhibuit Regi litteras, quas ad ipſum ſcribebat *Harlæus* (quas litteras de induſtria fictas fuiſſe dici certè non poteſt, cùm nunquàm *Harlæus* adversùs illas reclamaverit, nec à ſe datas fuiſſe unquàm negaverit.) Porrò abhorret ab omni veri ſpecie, *Harlæum*, fidiſſimum Regis *Henrici III.* Miniſtrum, committere voluiſſe perduelli fœderato litteras maximi momenti ad Regem perferendas. Vero igitur quàm ſimillimum eſt, *Harlæum* hujuſmodi litteras ad Regem deferendas tradidiſſe *Jacobo Clementi* Dominicano, quem probè ſciebat ergà Regem eſſe optimè affectum, & capitalem conjurationis Gui-

ſianæ inimicum, ſed hunc Religioſum occiſum eſſe à ſcelerato conſpirationis Guiſianæ fœderato, qui ejus religioſum habitum induit, & litteras ab *Harlæo* ſcriptas detulit ad Regem, quem, dùm illas attentis oculis perlegeret, lethali vulnere ſauciavit. Hinc eſt, quòd poſt mortem *Henrici III.* perduelles conjurationis Guiſianæ fœderati, quamvis de morte Regis ultra modum lætarentur, tripudiarent ac triumpharent, attamen, ne tam flagitioſi, & à Sæculis in Galliis inauditi parricidii authores audirent, ſicut reverâ erant, rumorem ubique ſparſerunt, Regem *Henricum III.* à Religioſo Dominicano fuiſſe occiſum, idque ut efficaciùs populo perſuaderent, prædictum Dominicanum ſummis laudibus extulerunt, eumque ut Martyrem non ſolùm verbis, ſed ſcriptis, & imaginibus prædicarunt. Quæ res gravem in Dominicanos, licèt inſontes, tempeſtatem excitavit, præſertim in *Edmundum Burgonium*, tum temporis Conventus ac Collegii Pariſienſis Prædicatorum Priorem, qui tamen, ſicut narrant omnes Hiſtorici Galli, conſtantiſſimè ſemper negavit, ſe neque *Henrici III.* cœdis ſuaſorem, neque conſcium fuiſſe, aut de eâ, antequàm patrata fuiſſet, quidquam ſciviſſe: *quin immò*, teſte *Spondano* in Annalibus Eccleſiæ ad annum MDLXXXIX. Num. XVII. *ait, eam ſe ex animo deteſtari & execrari, qui nihilominùs falſis teſtium accuſationibus obrutus, à quatuor equis diſcerptus fuit, in pia ad Deum oratione Vitam finiens.* Hic rumor de cœde Regis *Henrici III.* à Religioſo Dominicano factâ ita increbuit, & prævalente Guiſianâ factione, ſic populorum animos pervaſit, ut deinceps omnes fermè Hiſtorici

Galli

Galli falso illo rumore delusi, vel politicis adducti rationibus, hoc detestabile parricidium Religioso Dominicano perperàm & inscitè affinxerint. Longè veriùs ac prudentiùs *Petrus Matthæus*, qui *Henrici IV.* Galliarum Regis, successoris *Henrici III.* Historiographus fuit, describendo *Henrici III.* mortem Tomo I. Historiæ Franciæ pag. 772. hæc Habet: *jusque à cette heure on n'à sceu au vray, qui à ètè le conseil, ni l'autheur de la mort d'Henri III.* Quæ verba sic latinè redduntur: *Quis necis Henrici III. verus suasor, Authorve fuerit, hactenùs incompertum omninò est.*

D. Facilè his, quas protulisti, haùd levibus conjecturis adducor ut credam, cœdis *Henrici III.* Galliarum Regis Authorem fuisse non Monachum, sed perduellem Guisianæ conjurationis fœderatum. Sed quisquis ille fuerit, tam grande scelus quo nomine appellem? nescio. Parricidium, an rebellionem, perduellionem, furorem & insaniam nominabo? leve illud est ad tam tetri facinoris atrocitatem exprimendam. An belluinam sub larva vultus humani immanitatem? ne istud quidem sufficit. An florentissimi Galliarum Regni fœdissimam maculam, immò exitium, flammam ac perniciem? Quàm possum atrocia, ac detestanda nomina mente efformavero, vincit omnia horrendi illius Regicidii atrocitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedùm oratione satis exprimi, explicarique potest.

M. Rectè quidem ac catholicè sentis, optaremque ipse abominandi illius flagitii horrore perculsus, luctuosa illa atque calamitosa tempora altissimo præterire silentio, si liceret. At co-

gunt me Historiæ leges, alterius perindè execrabilis in Successore *Henrici III.* Galliarum Regis memoriam parricidii refricare. *Henrico III.* Galliarum Regi successit *Henricus Borbonius* Navarræorum Rex, inter Francorum Reges dictus *Henricus IV.* &, ob res præclarè gestas, *Magni* cognomen promeritus. In Francorum Regimen assumptus, Sanctissimè juravit, se Fidem Catholicam in toto Regno sartam tectam conservaturum, nihilque contra eam unquàm moliturum. Sed cùm Calvinianam Hæresim, quâ irretitus erat, necdùm palàm ejurasset *Henricus IV.* ejus electio non omnibus placuit. Guisianæ Factionis fœderati, qui sibi Ducem elegerant *Carolum Meduanum*; seu *Mayenium*, fratrem *Henrici Guisii*, jussu *Henrici III.* Galliarum Regis interempti, non solùm alterum Francorum Regem elegerunt, videlicet *Carolum* Cardinalem *Borbonium*, Regis *Henrici IV.* patruum, quem *Carolum decimum* nuncuparunt, sed etiam bellum in Regem *Henricum IV.* instaurarunt, quod tamen feliciter confecit Rex, insignem de fœderatis referendo victoriam, quæ *Ivriaca* dicitur, per quam *Egmondanus*, Comes Hispanarum Copiarum ductor, occubuit. At nihilosecius, fervente adhuc in Galliis Bello civili, Rex *Henricus IV.* divino tandem lumine illustratus, seriam de ejuranda Hæresi cogitationem suscepit, eamque reverà, postquam accuratè institutus fuisset ab Episcopis, quos consuluit, & inter quos eminebat *Jacobus Davitius Perronius*, Ebroicensis Antistes, publicè ejuravit, & ritu solemni Catholicam Fidem professus est, atque ab hæresi ac peccatis, præviâ Sacramentali Confessione, absolutus

lutus die xxv. mensis Julii S. *Jacobo* sacrâ anni MDXCIII. Hac editâ Fidei Catholicæ professione, Rex *Henricus IV.* Romam ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum, veniæ impetrandæ causâ Legatum misit Nivernensem Ducem, & interim Regiam sui consecrationem suscepit *Carnuti* à *Nicolao*, ejusdem Urbis Episcopo. Deindè Lutetiam cum armato milite veniens, eâque potitus, præteritorum omnium gratiam Civibus concessit. Tandem anno MDXCV. *Clemens VIII.* qui hactenus gratiam cunctabundus distulerat, à *Jacobo Perronio* Ebroicensi Episcopo, Regis Oratore, & *Arnaldo Ossato* exoratus, Absolutionem Regi *Henrico IV.* concessit iis conditionibus, quas in ejusdem *Perronii*, posteà Cardinalis, Relationibus legere est. Tum verò, certatim Proceres ac Civitates ad Regis *Henrici IV.* fidem & obsequium redeuntes, eum Galliarum Regem justis ac festivis gratulationibus proclamarunt. Galliæ itaque pro suo jure imperans *Henricus Magnus*, Calvinianam quidem Hæresim debilitavit, sed radicitùs extirpare haud potuit; immò, Calvinianis ad arma pronis, nec tumultuari desinentibus, coactus est Rex, non aliâ ratione civiles tumultus compescere valens, *Edictum Nannetense*, sic dictum à loco unde prodiit, anno MDXCVIII. concedere, in quo Hæreticis, præter alia privilegia, jus ad honores, dignitates & munera Regni, atque Synodos celebrandi, & Cœtus agendi facultas tribuebantur. Hoc Edictum Nannetense Catholicis perniciosum, & Hæreticis utilissimum, quod ab invito Rege *Henrico Magno* extortum, servatum metu, vim adhuc obtinebat Regnante

in Galliis *Ludovico Magno* hujus nominis XIV. qui iſtud Edictum Nannetenſe tandem reſcidit ac penitùs abolevit, quo uno facto ſubſtulit fibras omnes peſtiferi mali, ut renaſci deinceps, ac repullulare non poſſit, ſicut fuſiùs oſtendemus in Colloquio I. in Hiſtoriam Sæculi XVII. Eximiis dotibus præditus fuit *Henricus IV.* virtute militari, beneficentiâ in populum, in profligandis vitiis, abuſibus, & duellis ſeverâ diſciplinâ, ſed præſertim admirabili benignitate, quâ Patres Societatis Jeſu, qui anno MDXCIV. toto Regno ejecti fuerant, occaſione facinoris *Joannis Caſtelli*, perditiſſimi adoleſcentis, qui Regem cultro aggreſſus fuerat, nec tamen occiderat, ab exilio revocavit, Regno honorificè reſtituit anno milleſimo ſexcenteſimo quarto, ac nobile Collegium Flexiæ Andegavorum iiſdem Regali munificentiâ erexit. Hunc fortiſſimum, & clementiſſimum Regem, rebus pace belloque, manu & conſilio geſtis, verè *magnum*, quem Galli in oculis & deliciis habebant, eumque immortalem cupiebant, inter plauſus & magnificentiam coronandæ apud S. *Dionyſium*, ut moris eſt, Reginæ Conjugis ſuæ *Mariæ Mediceæ*, dùm Pariſienſem luſtrat urbem, impius ſicarius *Franciſcus Ravaillacus*, inculis menſis, bis in corde percuſſit & nefario parricidio abſtulit. Sic lætitiam, cum maximè geſtit, excipit luctus, & ſummis gaudiis ſummi fermè dolores intercurrere ſolent. Contigit *Henrici IV.* Regis optimi interitus die XIV. menſis Maji anni MDCX. ætatis LVII. Regni XXII. Reliquit Regni hæredem ex *Maria Medicea* uxore filium *Ludovicum*, qui poſt ipſum regnavit, hujus nominis *XIII.*

Ju-

Justum cognominatum, cujus præclarè Gesta describemus in Colloquio I. in Historiam Sæculi XVII.

D. Gallia, fortunata Gallia, quæ te, domesticis fluctibus Sæculo XVI. tam atrociter jactatam, manebat sors, qui casus, quæ conversio rerum, nisi qui tibi Regnum sinè fine dedit Deus immortalis, idem coortas tempestates illas turbulentissimas in optatam tranquillitatem tandem convertisset, teque ad tot scopulos allisam brevi naufragium facturam, in portu, præter omnium spem, felicitèr collocasset? At nunc, quæso te, paulisper expendamus, an Ecclesia, quæ Sæculo XVI. sub Galliarum Regibus tot bellorum furiis, totque Hæresum procellis agitata fuit, meliorem sortem nacta sit sub Regibus, qui eodem Sæculo Angliæ Regno præfuerunt.

M. Multò fœdior fuit Ecclesiæ facies sub Regibus, qui Sæculo XVI. Angliæ Regnum gubernarunt, eòque magis infausta ejus deploranda sors, quòd necdùm immutata sit Anglia, sed ab Ecclesia Romana diro Schismate etiamnùm divulsa maneat, cui antehàc summis obsequiis erat addicta. Huic funesto Anglicano Schismati initium dedit *Henricus VIII.* Angliæ Rex, filius *Henrici VII.* cujus Gesta descripsimus in Colloquio I. in Historiam Sæculi XV. Litterarum cultorem, & fidei Catholicæ strenuum defensorem sub initium Regni sui sese prodidit *Henricus VIII.* nonnulla etiam specimina virtutum præbuit, quas posteà nefandi Schismatis, ebrietatis, avaritiæ, crudelitatis, & effrænatissimæ libidinis infamiâ obscuravit. Hæresim, adversùs quam signum ipse-

ipſemet ſuſtulerat, ſcribendo Opuſculum contra *Lutherum* Hæreſiarcham, propter quod glorioſum *Defenſoris Fidei* nomen Pontificio *Leonis X.* diplomate promeritus erat, in Regnum ſuum introduxit, Chriſti Eccleſiam probris omnibus affecit, ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, & in Romanum Pontificem,cui vehementer iratus erat, vim omnem inauditæ cujuſdam acerbitatis effudit. Cauſam illius iræ, quâ *Henricus VIII.* in Romanum Pontificem flagrabat, brevitèr hìc aperiam, ut intelligas, quò tandem ſapientiſſimos interdùm homines nefariæ cupiditatis æſtus abripiat. *Catharina*, Regum Hiſpaniæ *Ferdinandi*, & *Iſabellæ*, filiæ, necnon Viduæ *Arthuri*, qui erat *Henrici VIII.* frater, quique virginitatis ejus florem nequidem delibaſſe dicebatur, *Henricus VIII.* Rex, obtentâ priùs à Romano Pontifice *Julio II.* diſpenſatione, nupſerat die III. menſis Junii anni MDIX. ex qua tres filios, duaſque filias ſuſcepit, paucis poſt nativitatem menſibus morte præreptos. Sola *Maria* ex eo connubio procreata utrique parenti ſuperſtes vixit, eamque, ut legitimam prolem, & Regni hæredem declaravit & inſtituit ejus pater *Henricus VIII.* Contigit autem, ut poſt annos undeviginti ab iſto inito matrimonio, Rex *Henricus VIII.* naturâ levis,in libidines pronus,& furtivas cum nobilibus puellis voluptates ſæpiùs captans, divortium cum Regina *Catharina* conjuge ſua, quæ omnium Chriſtianarum virtutum cultu eminebat, facere decreverit: maximè ex quo infandis *Annæ Bolenæ* flammis ardere cœpit. Viri Aulici, qui tempori ſervire ſolent, & undè flatus oſtenditur, illùc vela dare, iſtud præpoſterum *Henrici VIII.* pro-

propositum non improbarunt, sed potiùs rationum suarum atque propriæ utilitatis, quàm Religionis & justitiæ studiosiores, ut Regi placerent, divortium suaserunt, dictitantes, *Henrici* Regis connubium cum *Catharina* legitimum non esse, quòd *Arthuri* Principis, ejus fratris, vidua esset, nec in eo salvâ conscientiâ ipsum manere posse. Inter illos projectæ adulationis Aulicos, qui se in omnibus ad Regis nutum componebant, nullamque aliam Religionis ac Disciplinæ normam sectabantur, tres præcipui fuerunt, videlicet *Thomas Volseus*, *Thomas Cranmerus*, & *Thomas Cromuellus*, qui, ut Regis libidini indulgerent, ei divortii cum *Catharina* legitimâ conjuge sua consilium aut suggesserunt, aut politicis artibus usi illud executioni mandari curarunt. *Thomas Volseus*, Archiepiscopus Eboracensis, Regni Cancellarius, S. R. E. Cardinalis, & Sedis Apostolicæ per totam Angliam Legatus à latere creatus, hoc divortium primus quidem Regi suggessit, sed postea culpam agnoscens, seque rem pœnitendam commisisse fassus, non solùm gratiam amisit ac summam, quâ apud Regem pollebat, authoritatem, sed etiam omnibus dignitatibus & bonis spoliatus, dum captivus Londinum, tanquam reus læsæ Majestatis, duceretur, in ipso itinere ad Lecestriæ oppidum obiit anno MDXXX. *Thomas Cranmerus*, alter hujus divortii suasor, & promotor, quem ob id Rex *Henricus VIII.* ad Archiepiscopatum Cantuariensem nominavit, vir fuit versatilis ingenii ad omnem auram mutabilis, omnis Religionis expers, turbarum concitator, qui tandem anno MDLIII. vivus exustus est, ut videre est apud Illu-

Illustrissimum *D. Bossuet* Episcopum Meldensem libro VII. *Historiæ Varationum Ecclesiarum Protestantium*, ubi *Thomam Cranmerum* Archiepiscopum Cantuariensem, quo, tanquam Ecclesiæ suæ reformationis, ut ajunt, Antesignano, Hæretici Angli gloriantur, graphicè ac nativis coloribus depingit. Denique, *Thomas Cromvellus*, qui in hoc procurando divortio omnem curam operamque adhibuit, homo fuit vafer, ambitiosus, avarus, Lutheranæ factioni addictus, totique Ordini Ecclesiastico infestus, quem subindè Rex *Henricus VIII.* consiliis suis aptissimum Ministrum elegit, & in eum plenâ manu præcipuas Regni dignitates congessit. Hi sunt, qui repudium Reginæ *Catharinæ* approbarunt, & Regi novi ineundi Matrimonii Authores fuerunt. At versâ vice, justissimam *Catharinæ* Reginæ causam, præter doctissimos Angliæ Theologos, benèmulti ex omni natione viri eruditissimi acriter tuiti sunt. *Carolus* quoque Imperator hujus nominis *V.* ejusdem *Catharinæ* Reginæ, materteræ suæ, legitimum connubium strenuè defendit apud *Clementem VII.* Pontificem Maximum, cujus ipsamet Regina, suæ dignitatis, jurisque tenax, patrocinium imploraverat. Summus Pontifex, re cum matura deliberatione expensâ, & æquâ lance libratis hinc inde momentis, pro validitate matrimoni stetit invictus, nec adduci unquàm potuit, ut *Henrico* Regi facultatem alterius contrahendi matrimonii concederet. Hanc repulsam passus *Henricus VIII.* in Summum Pontificem debacchari cœpit, eoque licèt repugnante, induxit *Thomam Cranmerum*, alterum in Religione Protheum, quem, ut mox dixi,

dixi, Archiepiscopum Cantuariensem creaverat, ut sententiam ferret; ac palàm pronuntiaret, necessitatem jure Divino impositam esse regi *Catharinam* Reginam, utpotè fratris sui *Arthuri* uxorem, dimittendi; subindè concessam novi contrahendi matrimonii libertatem. Eâ iniquâ sententiâ fretus *Henricus VIII.* absque mora *Annam Bolenam*, quam quinque ante menses clam sibi copulaverat, solemni pompâ duxit, eamque Regio diademate ornavit postridiè Kalendas Junii anni MDXXXIII. Sed quanti & Regno & Ecclesiæ constiterit istud inauspicatum *Catharinæ* Regis repudium, ex his, quæ nunc dicturus sum, facilè percipies. Rex *Henricus VIII.* postquàm *Catharinam* legitimam conjugem suam repudiasset, Dei præpotentis scelerum ultoris vindictam expertus, non ampliùs Rex, sed homo planè uxorius, & vile scorti mancipium evasit. *Annam Bolenam*, cui nupserat, & ex qua filiam, dictam *Elizabetham*, susceperit; paulò post adulterii & incestus convictam, capite multari jussit, & statim tertiam duxit uxorem *Jannam Semeiram*, quæ filium peperit *Eduardum*, sed in ipso partu defuncta est. Quarè *Henricus* Rex ad quartas protinùs nuptias convolavit, quas inivit cum *Anna*, sorore *Guillelmi*, Cliviæ & Juliæ Ducis, cujus conjugis brevi pertæsus, *Thomam Cromvellum*, qui hujusmodi nuptias conciliaverat, mortis supplicio affecit, & *Annam Clivensem*, ut parùm illecebrosam, dimisit, & cũ *Catharina Hovarda*, Ducis *Notfolciæ* Nepte, quintas nuptias celebravit. At *Catharina Hovarda* ob adulterium neci traditâ, *Catharinam Parram*, Baronis *Latimeri* Viduam, sextis nuptiis sibi copulavit salacissimus Rex *Henri-*

ri-

ricus VIII. quem Deus optimus Maximus *tradidit in reprobum sensum*, &, ob impotentem, quâ flagrabat, libidinem, à scelestis hominibus excæcari permisit, maximè à *Thoma Cranmero*, indignissimo illo Cantuariensi Archiepiscopo, qui, conculcatis divinis & humanis legibus, hasce illicitas nuptias conciliavit. Nec sanè id tibi mirum videri debet, cùm Hæretici illius temporis libidinosis Principibus, qui eorum Sectæ favebant, Polygamiam, seu duas simul uxores habendi facultatem indulgerent, ut constat ex Consultatione *Lutheri*, & aliorum Germaniæ Protestantium datâ Vitembergæ die Mercurii post festum S. *Nicolai* anni MDXXXIX. in qua Principi *Landgravio* potestatem permiserunt novum matrimonium ineundi cum *Margarita Saal*, etiam adhuc vivente legitimâ conjuge suâ. Sic enim ajunt in ea consultatione egregii illi, si superis placet, Ecclesiæ Reformatores, ad hunc Principem scribentes: *Quòd si denique vestra Celsitudo omninò concluserit, adhuc unam conjugem ducere, judicamus id secretò faciendum, nempè ut tantùm vestræ Celsitudini, illi personæ, ac paucis personis fidelibus constet Celsitudinis vestræ animus, & conscientia sub sigillo confessionis .... Sic & tantùm in hoc approbamus: nam quod circa Matrimonium in lege Moysis fuit permissum, Evangelium non revocat, aut vetat, quod externum regimen non immutat, sed affert æternam vitam, & orditur veram obedientiam erga Deum, & conatur corruptam naturam reparare.* Hanc Hæreticorum Consultationem, quæ *Luthero*, aliisque Hæreticis, qui ei subscripserunt, perpetuam inurere debet infamiam, integram refert Illustrissimus *Jacobus*

cobus Bossuet, Meldensis Episcopus Tom. I. lib.VI. *Historiæ Variationum Ecclesiarum Protestantium*. Cùm igitur *Lutherus*, aliique ejusdem furfuris hæretici suæ Sectę addictis Principibus Polygamiam simultaneam divinâ lege vetitam in Germania permiserint, mirum certè tibi videri haùd debet, quòd *Thomas Cranmerus*, Cantuariensis Archiepiscopus, intùs & in cute hæreticus Lutheranus, legitimas *Henrici VIII.* cum *Catharina* nuptias dissolverit, & aliarum nuptiarum, quas idem Rex contra legem Dei, & cum gravissimo omnium scandalo, ut effrænem libidinem expleret, contraxit, conciliator simul & approbator extiterit.

D. Ex eo divortio Regis *Henrici VIII.* cum *Catharina* legitima uxore sua habuitne originem Schisma Anglicanum, seu fatalis illa Angliæ Regni ab Ecclesia Romana separatio?

M. Prædictum divortium Schismati Anglicano initium dedisse, immò illius unicam causam fuisse certissimè constat. At enim *Clemens Septimus* Pontifex Maximus certior factus de hoc divortio, & de novo matrimonio, quod Rex *Henricus VIII.* inierat cum *Anna Bolena*, peremptoriam tulit sententiam, quâ declaravit, Reginam *Catharinam* ad suum pristinum Regiæ dignitatis statum restitui, *Annam Bolenam* à Regio thoro deiici, ac penitùs amoveri debere: & *Henricum* Regem incurrisse in censuras, ac pœnas in eos latas, qui Sedis Apostolicæ mandatis parêre detrectant, quarum tamen executionem suspendit, quò Pontificiæ Sententiæ commodiùs Rex morem gerere posset. At *Henricus VIII.* Pontificiâ illâ sententiâ exacerbatus, edixit, ut *Catharina* non ampliùs appellaretur Regina,

gina, vel *Henrici* Regis uxor, ſed tantùm deinceps diceretur *Arthuri* Principis Vidua. Voluit inſuper, ut *Maria*, ex *Catharina* filia, quam ipſe ante Walliæ Principem, Regnique hæredem inſtituerat, haberetur in poſterum tanquàm ſpuria, & illegitima proles, quodque luctuoſius eſt, ut Romano Pontifici inſultaret, totius Anglicanæ Eccleſiæ Summum, & unicum Caput ſe dixit, & *Thomam Cromvellum*, cujus ſuperiùs memini, Virum licèt Laicum, & omnis bonæ eruditionis expertem, ſuum in cauſis Eccleſiaſticis Vicarium Generalem conſtituit, ſacras opes Fiſco addixit, pretioſiſſima quæque Eccleſiarum ornamenta rapuit, Monachis, & Monialibus vel redire ad ſæculum juſſis, vel paſſim crudeliter contrucidatis, Vitam Monaſticam penitùs abolevit. Auſus eſt etiam in Cœlites ferociam exercere, nec *S. Thomæ* Martyri, Archiepiſcopo quondàm Cantuarienſi, pepercit, quem reum Majeſtatis dixit, ſanctorum albo expunxit, corpus ejus comburi, & cineres in ventum ſpargi juſſit. Sæviit in *Fiſcherum* Roffenſem Epiſcopum, *Thomam Morum*, Regni Cancellarium, & alios, quos eo tantùm nomine morti addixit, quòd monſtruoſum Eccleſiæ Anglicanæ Primatum, quem ſibi arrogabat, agnoſcere nollent, de quorum glorioſis agonibus legendus eſt *Sanderus* Libro 1. de *Schiſmate Anglicano*.

D. In hoc Schiſmate, quod adversùs Eccleſiam Romanam conflavit *Henricus VIII.* fuitne fides Catholica in iiſdem capitibus immutata, in quibus nunc Angli ab Eccleſia Catholica ſunt ſeparati?

M. *Hen.*

M. *Henricus VIII.*, ut suum temerè vsurpatum Ecclesiæ Anglicanæ Primatum exerceret, formam Religionis, ac Divini cultus in Regno Angliæ deinceps tenendam, ac servandam, sex Articulos complectentem, jussit per *Thomam Cromuellum*, suum in causis spiritualibus Vicarium Generalem, annò MDXXXIX. promulgari cum hac Inscriptione: *Articuli per Regiæ Majestatis Serenitatem constituti*. Horum primus, *Transubstantiationem* in Sacramento Eucharistiæ credi jubet. Alter *Communionem sub una specie ad salutem sufficere* declarat. Tertius *Cælibatum Sacerdotum retinendum* decernit. Quartus, *vota castitatis, & viduitatis necessariò persolvenda* sancit. Quintus, *non modò Missarum celebrationem juri Divino consentaneam esse, verùm, & Missas privatas celebrari bonum, ac necessarium esse statuit*. Sextus denique Articulus, *Auricularem Confessionem in Ecclesia necessariò conservandam esse præcipit*. Sex illi Articuli, quandiù *Henricus VIII.* in Anglia regnavit, fuerunt ad amussim observati, sed posteà ab Anglis, sensim sine sensu in varios errores prorumpentibus, fuerunt penitùs aboliti, & in integrum immutata in Angliæ Regno Religionis forma, sicut luculentèr ostendit Illustrissimus *Jacobus Bossuet* libro VII. *Historiæ Variationum Ecclesiarum Protestantium*, ex quo facilè intelligere potes, solenne esse his, qui semel veritatis viam, & Ecclesiæ Romanæ communionem reliquerunt, sibi nunquàm in fide constare, in gravissimos præcipitari errores, nec vllam prorsùs habere Religionis formam, in qua tutò pedem figere possint. Quod, proh dolor! nunc experiuntur Angli, qui à tempore schismatis

Henrici VIII. omni vento doctrinę circumferuntur, & magnam videntur assumpsisse Religionem, dùm nullam respuunt falsitatem, omnesque Sectas *Lutheri*, *Calvini*, *Zuinglii*, *Anabaptistarum*, *Fanaticorum &c.* in sua Anglicana Ecclesia admittunt, eisque pro suo arbitrio adhærent.

D. Resipuitne ante mortem *Henricus VIII.* à funesto illo schismate, quo Angliæ Regnum à communione Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ separavit?

M. Frustrà pia Mater Ecclesia ad Pœnitentiam sæpiùs invitavit *Henricum VIII.* cujus cor obdurescebat in dies, quique novis sacrilegiis, ac flagitiis facinorum suorum mensuram cumulabat. Dicitur tamen, eum gravi correptum ægritudine, jamque propediem moriturum, statuisse cum Summo Pontifice, & Romana Ecclesia reconciliari, sed Aulicorum turbâ, quos sacris bonis locupletarat, impeditum fuisse. Sic, ut veteri fertur Adagio, *serò sapiunt Phryges*. Sumpsit tamen Rex *Henricus VIII.* Catholico more SacroSanctam Eucharistiam paulò ante mortem ad se delatam, eamque genuflexo, ac prono capite adoravit. Posteà Testamentum condidit, in quo statuit, ut *Eduardus*, filius ex *Janna Semeira* novennis, sibi in Regnum succederet, eique adjunxit sexdecim Tutores ac Curatores, omnes ferè Catholicos, ut in fide ac Religione Catholica educaretur, excepto tamen Ecclesiæ Anglicanæ Primatus titulo, quem in ipsum transfudit; Quod si absque liberis obiret *Eduardus*, voluit ut regnaret *Maria* Princeps ex *Catharina* priori Conjuge filia; & eâ itidem deficiente, tertia esset in jure suc-

ſucceſſionis ad Regnum *Elizabetha*, filia ex *Anna Bolena* ſuſcepta. His rebus ità conſtitutis, Rex *Henricus VIII.* in ſchiſmate obfirmatus migravit è vita v. Kalend. Februarii anni MDXLVII. Regni XXXVIII. ætatis LVI.

D. *Eduardus* Rex fuitne, juxtà ſupremam patris ſui *Henrici VIII.* voluntatem, in fide, ac Religione Catholicâ educatus, atque eruditus?

M. Inter Tutores Regi *Eduardo* à parente datos, *Eduardus Semeirus*, Herfordiæ Comes, & paulò poſt Somerſeti Dux, *Janua Semeira*, quondàm Reginæ, frater, ac ſubindè *Eduardi* Regis avunculus, totam ad ſe rapuit auctoritatem, ſeque ſolum Regis Tutorem, ac Regni Protectorem dixit. Curavit autem ut juvenis Rex *Eduardus* Zuinglianæ hæreſeos peſte inficeretur, & ſuadente *Cranmero* Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui huic hæreſi favebat, accivit in Angliæ Regnum *Petrum Vermilium Martyrem*, *Martinum Bucerum*, *Bernardinum Ochinum*, & alios hæreticos, quos Academiis præfecit, & ad illos audiendos compulit Angliæ juventutem. Tùm *Cranmerus* perfrictâ fronte ſex illos Articulos, quos à Rege *Henrico VIII.* editos ſuprà recenſuimus, quoſque ipſemet, uſque ad mortem ejuſdem Regis approbaverat, & executioni mandaverat, omninò abrogavit, & abolevit, Theologiam Scholaſticam ex Academiis proſcripſit, novos adminiſtrandorum Sacramentorum ritus conſtituit, vaſa ſacra, Cruces, candelabra aurea, argentea Regis Fiſco adjudicavit, Sanctorum Imagines diſiecit, Miſſæ Sacrificium ſuſtulit, Communionem Euchariſticam ſub utraque ſpecie Laicis dandam eſſe ſanxit, &

vulgaris idiomatis vsum in Sacra introduxit. Hujusmodi sacrilegæ in doctrina Fidei mutationes factæ à *Cranmero*, aliisque mox laudatis hæreticis, approbatæ fuerunt in Comitiis Regni Angliæ Londini anno MDXLVII. & statim missi sunt per totum Regnum Visitatores hæretici, qui omnia Religionis Catholicæ monumenta ac signa tollerent, & Episcopos, qui ab impia illa novitate abhorrerent, in carceres conijcerent, dignitate exuerent, & in eorum loca Hæreticos intruderent. Hæc fuit luctuosa Religionis facies sub *Eduardo* Angliæ Rege, qui obiit pridiè Nonas Julii anni MDLIII. ætatis XVI. Regni VII. Cognitâ Regis *Eduardi* morte, statim *Maria*, quæ *Henrici VIII.* & *Catharinæ* erat filia, se Reginam dixit, & ut in Anglię Regno fidem Catholicam restitueret, accivit *Reginaldum Polum* Cardinalem, *Julii III.* Pontificis Maximi à Latere Legatum, qui totum Angliæ Regnum à schismate absolvit, Catholicam Religionem restauravit, Cleri populique mores emendavit, antiqua Instituta, & pias consuetudines postliminiò revocavit, uno verbo, omnes suas curas eò convertit, ut in Angliæ Regno Sedi Apostolicæ reconciliato, & ab Hæresibus repurgato, refloresceret Catholica Religio. *Maria* Regina sapientissimis hujus Cardinalis adjuta consiliis, Supremi Ecclesiæ Anglicanæ Capitis appellationem, à Patre suo *Henrico VIII.* impiè usurpatam, & ab *Eduardo*, fratre suo, sacrilegè retentam, abdicavit. Oratores Romam mitit, qui ejus nomine obedientiam Summo Pontifici exhiberent. Supra triginta Hæreticorum millia ex Angliæ Regno excedere compulit. Sceleratum *Cranmerum*, Cantua-

tuarienſem Archiepiſcopum, convictum fictè ceciniſſe palinodiam, & multa in Eccleſiam Catholicam ſacrilego ore deblaterantem, vivum exuri juſſit, atque in ejus locum ſuffecit *Reginaldum Polum*, hoc honore, propter Regium ſanguinem, eruditionem ſingularem, Legationem Pontificiam, & obitos pro Eccleſia labores, digniſſimum. Quæ omnia tàm à *Maria* Regina, quàm à *Reginaldo Polo* Cardinali prudentiſſimè conſtituta, & à *Paulo IV.* Pontifice Maximo confirmata, diuturnam Eccleſiæ Anglicanæ pacem ſpondere videbantur, quam tamen ſpem fefellit eventus. *Maria* quippè Regina, quæ, ad faciliùs ac feliciùs procurandam in Regno Angliæ Religionis Catholicæ reſtaurationem, nupſerat *Philippo II.* Hiſpaniarum Regi, *Caroli V.* Imperatoris filio, obiit, nullâ relictâ prole, anno MDLVIII. ætatis XLIV. Regni V. cujus mortis nuncium cùm accepiſſet *Reginaldus Polus* Cardinalis, qui tum temporis ex quartana febre decumbebat, intra ſexdecim horas abiit è vivis, annos natus quinquaginta novem, Vir pietate, doctrinâ, prudentiâ, aliiſque præclaris virtutibus nulli ſecundus. Poſt mortem *Mariæ* Reginæ, ſummo omnium Ordinum conſenſu Regina Angliæ ſalutata eſt *Elizabetha* ex illicitis nuptiis *Henrici VIII.* cum *Anna Bolena* procreata. De ſuâ in Regnum Angliæ inauguratione *Elizabetha* certiorem fecit *Paulum IV.* Summum Pontificem, per ſuum Legatum in Aula Romana verſantem, eam tamen Pontifex, obſtante natalium vitio, ceu Reginam, agnoſcere noluit. Hanc repulſam ægerrimè tulit *Elizabetha*, eâque occaſione uſa eſt, ut Hæreſim, quam animo fovebat, palàm profiteretur,

tur, & in toto Regno ſtabiliret. Pedetentim tamen in hoc negotio procedere voluit callidiſſima mulier. In primis, declaravit, ſibi non probari quatuor Reformatæ doctrinæ Capita, quæ ſub Rege *Eduardo,* fratre ſuo, condita, & publicata fuerant, quorum primo proſcribebantur cæremoniæ, quæ in cultu divino adhiberi ſolebant, quas tamen ipſa, ſe approbare ſignificavit. Altero prohibebatur cultus, & uſus Chriſti, & Sanctorum Imaginum, quem tamen ad excitandam pietatem fidelium utilem eſſe judicavit. Tertio Capite excludebatur vera, ac realis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti ab Euchariſtiæ Sacramento, quam tamen præſentiam, nec excludi, negarive debere voluit Regina *Elizabetha*. Poſtremo Capite Regibus Angliæ tribuebatur Supremi Eccleſiæ Anglicanæ Capitis titulus, quem ipſa ſibi arrogare non audebat. Verùm, ejuſmodi ſcrupulos, quibus ſub initium Regni ſui *Elizabetha* angebatur, ad quos ſopiendos Hæretici, ut luculentèr oſtendit Illuſtriſſimus *Jacobus Boſſuet* Libro x. *Hiſtoriæ Variationum Eccleſiarum Proteſtantium*, doctrinæ ſuæ Capita ſub *Eduardo* Rege ſtabilita recudere, refigere, ac reformare debuerunt, hos, inquam, ſcrupulos paulò poſt Regina *Elizabetha* omninò diſſipavit, & firmato ſchiſmate novam Religionis formam inſtituit. Imagines Sacras à Templis, aliiſque locis deturbari juſſit. Miſſæ Sacrificium, & Sacramenta adminiſtrandi ritum ſuſtulit, novaſque Cæremonias, ac preces linguâ vulgari præſcripſit. Supremi Eccleſiæ Anglicanæ Capitis titulum ſibi vendicavit, rerum, Cauſarumque Eccleſiaſticarum plenitudinem temerario auſu

ausu assumpsit, cum omni visitatione, correctione ac reformatione Cleri, cum omni auctoritate Episcopos creandi, Synodos convocandi, in iis præsidendi, leges condendi, errores, & Hæreses damnandi, Schismata, & abusus tollendi. Hanc in Religione, & Ecclesiæ regimine factam ab *Elizabetha* immutationem omnes Fidei Catholicæ professores, ac defensores vehementer sunt execrati, in quos ipsa cruentam excitavit persecutionem, præsertim postquàm Sanctissimus Pontifex *Pius V.* Constitutione datâ quinto Kalendas Martii anni MDLXX. eam Angliæ Regno privatam declarasset, omnesque, ac singulos ejus subditos à juramento fidelitatis absolvisset. Quam Constitutionem *Gregorius XIII.* & *Sixtus V.* innovarunt, & confirmarunt. His siquidem Romanorum Pontificum Diplomatibus exasperata *Elizabetha*, crudelem carnificinam in catholicos exercuit, *Mariam Stuartam*, Reginam Scotiæ, in Fide Catholica constantissimam, ad se confugientem in custodiam dedit, eamque licèt innocentissimam, oppressit, & vltimo supplicio affici jussit. Belgas perduelles, & Hæreticos, qui se *Geusios* appellabant, necnon Calvinistas in Gallia pecuniâ, & milite juvit, ut fœdus contra Catholicos inire, & Hæresim longè latèquè propagare possent. Regnavit *Elizabetha* annis quadraginta quinque, & obiit anno MDCIII. ætatis suæ LXX. Egregis ingenii, & naturæ dotibus prædita fuit *Elizabetha*, quas tamen turpiter fœdavit tùm Hæresi, cui se se totam addixit, tum crudelitate, quâ in omnes pios grassata est toto tempore Regni sui, quod Catholicæ Religioni in Anglia infaustum maximè ac perniciosum

 fuit.

fuit. Artem quoque dissimulandi apprimè calluit, quippèquæ plures Principes, ejus nuptias ambientes, pro suarum rerum opportunitate inescavit, ac spe ineundi matrimonii lactavit, sed his omnibus posteà vaferrima mulier illusit, nullique nupsit. Sed de Gestis Reginę *Elizabethæ* plura legesis apud *Camdenum*, qui ejus Vitam descripsit.

D. Quàm tecta sunt consilia Numinis! quàm investigabiles viæ ejus! Fidem Catholicam, quæ, *Maria* regnante, faustis ominibus lucem in Angliæ Regno adspicere incipiebat, omninò extinxit *Elizabetha*, ad Hæreses, & novitates propensissima, quodque magis dolendum est, patria fides pristinum in gradum necdùm in hoc Regno restituta est, & damna, per *Henricum VIII.*, & *Elizabetham* Ecclesiæ optimæ parenti importata, hactenùs resarciri non potuerunt. Sed à tristissima horum recordatione funestissimorum temporum, quorum partim incendia, partim adhuc fumantes reliquias videmus, animos nostros, si placet, ad lætiora traducamus, & Statum Ecclesiæ sub Regibus Catholicis, qui Sæculo Ecclesiæ decimosexto supremum in Hispania Dominium obtinuerunt, in præsentia perpendamus.

M. Catholici Reges Sæculi decimi sexti, *Carolus V.*, qui etiàm fuit Imperator, & *Philippus II.* ejus filius, immortali laude juremerito censeri debent, quòd Hispaniam ab Hæresi, quæ alia Regna eodem Sæculo infecerat, puram illibatamque servaverint. De *Carolo* Hispaniarum Rege, & Imperatore hujus nominis *Quinto*, sat superque diximus agendo superius de his, qui Sæculo decimo sexto Imperium Occidentis guber-

narunt. Quapropter, nunc hærebimus dumtaxat in *Philippo II.* Imperatoris *Caroli V.* filio, qui in Hispania regnare cæpit anno MDLV. postquàm ipsius pater *Carolus V.* Hispaniarum Rex se se eo Regno abdicasset, ut privatam vitam duceret. *Mariam*, Angliæ Reginam, quæ Fidem Catholicam, ut mox observavimus, in illud Regnum postliminio revocavit, vxorem duxit *Philippus II.* sed *Maria*, Angliæ Reginâ, absque prole defunctâ, nupsit *Elizabethæ* filiæ *Henrici II.* Galliarum Regis, postquàm de eo insignem reportasset victoriam, datâ anno MDLVII. ad S. *Quintini* Fanum pugnâ, in qua per *Emmanuelem Philibertum*, Sabaudiæ Ducem, maximâ clade affecti sunt Galli. Gravissimum ac diuturnum Bellum gessit Rex Hispaniarum *Philippus II.* in Belgio, cui præfecerat sororem suam *Margaritam*, filiam notham *Caroli V.* Imperatoris, & *Octavii* Ducis Parmensis conjugem. Hoc Bellum Belgicum excitarunt *Geusii*; quod quidem nomen fœderatis, & perduellibus Calvinistis in Belgio datum est à Domino de *Barlemon*, qui Bruxellæ existens, & videns quadringentos circiter istiusmodi fœderatos Belgas *Margaritæ* Belgii Gubernatrici libellum supplicem exhibentes, ut liberum ab ea obtinerent suæ Calvinianæ Religionis exercitium, Gallice dixit *Margaritæ* nonnihil eorum adventu exterritæ: *Vous ne devès rien craindre de ces Gueus*; idest, *nihil est cur timeas ab illis Geusiis*. Sic apud Gallos audiunt, qui, re perditâ, victum ostiatim mendicare solent. Indè huic Belgarum contra Hispanos fœderatorum factioni nomen *Geusiorum* adhæsit; ac ipsimet in tesseram, seu symbolum suæ conspirationis,

tionis, prætèr vestem mendici, æreum, seu plumbeum numisma, sibi fundi curarunt, cujus in una facie *Philippi II.* Hispaniarum Regis effigies erat expressa, ipsorum manibus in fidem junctis cum hac Epigraphe: *Regi Fideles usquequaquè*. Ex altera verò parte mendicantis hominis speciem, bulgasque, vel sacculos à tergo gestantis deformarunt, his adjectis verbis: *Regi Fideles usque ad bulgas*. His simulachris collo appensis, vestibus cinericii coloris induti procedebant isti Geusii, à quibus Catholici Belgæ, ut certo avitæ Religionis symbolo se se discernere possent, æreas, aut argenteas ad collum circumferebant imagines, quæ Christum, & Deiparam repræsentarent, quasque gestantibus Sanctissimus Pontifex *Pius V.* Sacra Apostolicæ indulgentiæ præmia concessit. Quæ piarum Iconum, & Sacrorum numismatum religio ita tùm temporis invaluit, ut ubique gentium Catholici sacris illis muneribus locupletari, & præsidiis muniri ambirent, ac gloriarentur. Interim *Geusii*, seu Hæretici Belgæ fœderati, quatuor à *Margarita* Belgii Gubernatrice Capita minacitèr postularunt, primò, ut novos Episcopos in Belgium introductos omninò removeret. Secundò, ut Inquisitionis Officium tolleret. Tertiò, ut in Belgio Concilium Tridentinum non reciperetur. Postremò, ut ipsi Calvinianæ Religionis in Belgio exercendæ libertatem haberent. At cùm *Margarita* Gubernatrix eos ad *Philippum II.* Hispaniarum Regem remisisset, & moras consultò necteret *Philippus*, tandèm perduelles isti Geusii moræ impatientes, classicum canere, & rebellionis vexillum palàm erigere cœperunt, ubique inclamantes:
Vi-

Vivant Geusii, eoque sublato rebellionis signo, cum Hæreticis Galliarum Calvinistis uniti, iisque crudelitate, & sacrilegiis pares, conciones Calvinistarum ritu celebrarunt, multa Monachorum Cœnobia diripuerunt, & sacra quæque violarunt. Inter hos turbulentissimos perduellium Hæreticorum motus *Margarita* Belgii Gubernatrix nihil non egit, ut efferatos eorum animos emolliret, tantâque dexteritate, & prudentiæ laude clavum hisce calamitosis temporibus tenuit, ut spes esset, brevi hosce tumultus pacatũ iri. Sed *Philippus II.* Hispaniarum Rex, veritus ne his sedandis motibus impar viribus esset *Margarita*, misit in Belgiũ cum exercitu *Ferdinandum Toletanum*, Ducem Albanum, qui Bruxellas cùm appulisset, & summam rerum penès se solum esse vellet, ei locum *Margarita* cessit, & in Italiam rediit. Dux *Albanus* asperitate sui regiminis, vulnus, quod jam cicatricem ducere cæperat, exasperavit, duos primariæ nobilitatis Comites *Egmondanum*, & *Hornanum*, necnon alios innocentiæ probatæ Proceres capitali supplicio affecit, multorum opes publicavit, tantoque rigore sæviit in Belgas, ut in apertum bellum prosilierint, excusso Hispanorum Imperio, quod immodicis exactionibus,& intempestivis cædibus invisum reddiderat Dux Albanus. Huic incendio oleum infuderunt *Elizabetha* Regina Angliæ, Princeps Arausicanus, & nonnulli alii Principes Calvinianæ Hæreseos fulgine tincti, quorum potentiâ animati Geusii, seu Belgæ Hæretici fœderati, Catholicorum templa invaserunt, in res sacras, Sacerdotes, ac Monachos grassati sunt, & omnia Catholicæ Religionis insignia exterminare mo-

moliti sunt. *Requesinus*, qui Duci Albano in administratione Belgii suffectus fuerat, nullâ mansuetudinis specie, nullo veniæ promisso eorum animos lenire potuit, quos tùm Hæreseos genius, tùm Ducis Albani atrocitas ex desperatione ad rebellionem egerat. Quapropter, armis, sæpiùsque consertis prælis eos domare ac in ordinem redigere tentavit. Sed mortuo *Ludovico Requesino* anno MDLXXVI. *Joannes Austriacus* in Belgium venit à *Philippo II.* Hispaniarum Rege Gubernator hujus Provinciæ missus. Hic anno MDLXXVIII. Geusios, seu Belgii fœderatos, certamine aggressus, in fiduciam, & omen victoriæ præcipuo vexillo suo Crucem appingi jussit cum hoc Emblemmate: *In hoc signo vici Turcas, in hoc & vincam Hæreticos.* Nec eum fefellit eventus, eodem siquidem anno insignem de Geusiis reportavit victoriam. Hic est *Joannes Austriacus*, Imperatoris *Caroli V.* filius nothus, qui à Sancto *Pio V.* Pontifice Maximo præfectus classi maritimæ, ex Pontificiis, Hispanis, Venetisque navibus confœderatæ, victoriam illam, cujus superiùs meminimus, post homines natos maximam ad Naupactum, seu Lepantum in sinu Corinthiaco de Turcis retulit die VII. mensis Octobris anni MDLXXI. Obiit *Joannes Austriacus* apud Namurcum Kalendis Octobris MDLXXVIII. ætatis suæ XXXII. Intempestiva ejus mors novas turbas excitavit. *Matthias*, quippè Archidux Austriæ, ex Ordinum sententia Belgii Præfectus renunciatus, summam Principis Arausicani auctoritatem considerans, fœdus cum eo imprudenter pepigit, eumque in Belgii Præfectura Vicarium suum constituit, sub cujus auctoritate crevit au-

da-

dacia Geusiorum, quibus etiam suppetias tulere *Franciscus* Dux Andegavensis, *Henrici* Galliarũ Regis frater, & *Joannes Casimirus* Palatinus Princeps. Hanc Geusiorum audaciam, quâ omnem Catholicæ Religionis cultum, ubi viribus superiores erant, penitùs abolere satagebant, ægerrimè tulerunt Hannoniæ, & Artesiæ Proceres, cùmque Catholicæ Fidei, quam pessundari vehementer dolebant, tenacissimi essent, à communi fœdere recesserunt, novumque pro Fidei Catholicæ defensione inierunt, ob idque dicti *Malècontenti*, quòd nec à Rege Hispaniæ, nec à Belgii Ordinibus, qui Hæreticis magisquàm Catholicis apertè favebant, stare vellent, sed pro Catholica Religione, non minùs quàm pro libertate tuenda sanguinem profundere, mortemque oppetere paratos se esse palàm profiterentur. Infinitus profectò essem, si omnia mala, quæ ambæ illæ *Geusiorum*, & *Malecontentorum* factiones, omissâ boni publici curâ, res dumtaxat suas promovere studentes, Belgio post obitum *Joannis Austriaci* intulerunt, hìc recensere vellem. Dicam tantùm obitèr, *Alexandrum Farnesium*, Parmensem Principem, qui *Joanni Austriaco* in Belgii administratione suffectus est, Res Catholicorum in Belgio maximè afflictas haùd parùm erexisse. Ille quippè generosus Princeps, singularis fortitudinis, ac virtutis laude nulli secundus, multas civitates occupavit, perduellium exercitum sæpiùs profligavit, totamque belli molem in Belgio magnâ cum sui nominis gloriâ multos annos sustinuit, quod tamen ad optatum exitum perducere haud potuit, quià *Philippus II.* Hispaniarum Rex aliis Bellis se se implicans, dùm alie-

aliena invadere contendit, tanquam canis Æsopicus, sua propria amisit. At enim *Philippus II.* fœderatis perduellibus Gallis Henoticæ, seu Guisianæ Factionis, adversùs *Henricum III.* Regem, Christianissimum, tuendæ specie Religionis, conjunctus, Bellum civile studiis omnibus, viribusque fovit, dumque post mortem *Henrici III.* ejus successor *Henricus IV.* Parisios obsideret, mandavit Rex Hispaniæ *Alexandro Farnesio* Parmensi Principi, ut obsessis Parisiensibus, qui contrà Regem fœderati erant, suppetias ferret. Quod ubi ille, fecisset, rediit in Belgium exercitu valdè conciso. Hac Expeditione aliam multò infeliciorem anno MDLXXXVIII. suscepit *Philippus II.* Hispaniarum, Rex, ex qua fœderati perduelles Belgæ novas vires, magnosque animos sumpserunt. Ea quippè ingens, ac formidanda Classis centum, & quadraginta navium, quam *Philippus II.* ad invasionem Angliæ, & ut Reginam *Elizabetham* è solio deiiceret, & Catholicam Religionem restitueret, magnis sumptibus instruxerat; Hæc, inquam, Hispanica Classis, cui *Invincibilis* ambitiosum nomen inditum est, ab Anglis ex parte dissipata, tempestatibus ac naufragiis quassata, & circùm Britannicas Insulas circumflectere coacta, dedecoris, & ignominiæ plena in Hispaniam rediit, amissis duabus supra trigina navibus, & decem armatorum millibus cum magna parte nobilitatis, adeò ut de hac Hispanica Classe, ad insultandum *Philippi II.* infelicitati, id in ære ab ejus hostibus tam verè, quàm ingeniosè percussum, & inscriptum sit: *Venit, vidit, fugit*. Hujus cladis nuncium æquo animo, ut decebat Principem Catholicum, recepit, *Phi-*

Philippus II. serò tamen intellexit, se, frustrà tentatis Bellis minimè necessariis, præcipuum Bellum Belgicum, in quo propria res agebatur, neglexisse, indèque occasionem dedisse Batavis, quos Hollandos vocamus, & Zelandicarum Insularum incolis, necnon aliis conjuratis Belgii Urbibus, excusso Hispanorum dominio, in Rempublicam coalescendi, quæ etiamnùm, excluso Catholicæ Religionis cultu, fœderatorum Ordinum authoritate gubernatur. Plura legesis apud *Famianum Stradam* Societatis Jesu, qui Bellum Belgicum latinâ styli majestate singulari libro complectitur, ejusque causas, initia ac progressus nitidè exponit, Urbium ruinas, Provinciarum ærumnas, ac perpetuas tot annorū tempestates accuratè describit, quas sparsa temerè apud Belgas Calvinianæ Sectæ novitas una concitavit. Suum Hispaniarū Regnum ut amplificaret *Philippus II.* Lusitaniæ Regnum hunc in modum occupavit. Occiso *Sebastiano* Lusitaniæ Rege in prælio, quod cum Mauris in Africa anno MDLXXVIII. conseruit, Regnum Lusitaniæ jure devolutum est ad *Henricum*, Cardinalem, *Sebastiani* Regis Patruum. Sed *Henrico*, postquàm menses XVII. regnasset, mortuo anno MDLXXX. multi Principes jus suum ad Lusitaniæ Regnum, cujus incerta erat successio, armis vindicare decreverunt. Inter competitores *Philippus II.* Hispaniarum Rex ad invadendum Lusitaniæ Regnum potentem exercitum terrâ marique comparavit, cùmque Lusitani ab Hispanica dominatione abhorrentes, *Antonium* Crati Priorem proclamassent Regem, hanc controversiam *Philippus II.* diremit in prælio dato die XXV. mensis Augusti anni

ni MDLXXX. ad Vicum *Alcantaram*,in quo profligavit *Antonium*, & universam Lusitaniam, Indiam etiam Orientalem, & Africæ Arces Lusitaniæ Regibus subditas in suam potestatem redegit. Non certò constat, quænam vera fuerit causa, ob quam *Philippus II.* Rex Catholicus, *Carolum* filium suum primogenitum in custodiam tradiderit. Ferunt alii *Carolum* de patris nece cogitasse, de ejus occupando Regno, tentatâ novercæ pudicitiâ. Alii eum Hæresis insimulatum fuisse ajunt. Vtut sit, magnam certè fuisse causam suspicari licèt, cùm pater tam acerbè in primogenitum suum animadverterit. *Carolum* Principem jussu Patris sui *Philippi II.* veneno in carcere extinctum esse quidam scripserunt, sed vulgò alii volunt, hunc Principem sibi procurasse mortem, partim inediâ, partim ingurgitatione ciborum, & crebrâ potione aquæ frigidæ. Obiit tamen Christiano ac pœnitenti animo Ecclesiæ Sacramentis munitus die XXIV. mensis Julii anni MDLXVIII. ætatis suæ XXIV. Non levem controversiam habuit *Philippus II.* Catholicus Rex cum *Henrico II.* Christianissimo Rege, cujus Oratoribus principem locum post Cæsareos præripere conatus est; Sed Venetiæ Senatus consulto causâ cecidit anno MDLVIII. & Romæ Decreto *Pii IV.* Pontificis Maximi anno MDLXIX. Denique, *Philippus II.* postquam Hispaniæ Regnum per quadraginta tres annos non minùs felicitèr, quàm sapientèr gubernasset, excessit è vivis in Monasterio S. *Laurentii Escurialis*, quod Regio sumptu septem à Madrito leucis distans extruendum curaverat, & in eo sepultus est anno millesimo quingentesimo nonagesimo octavo.

vo. Hæredem omnium Regnorum, & Ditionum reliquit *Philippum* ejus nominis III. natum annos xx. cujus res præclarè gestas referemus in Colloquio I. in Historiam sæculi decimi septimi.

D. Quod mox narrasti de obitu *Sebastiani* Lusitaniæ Regis in prælio à Mauris occisi, cujus Regnum occupavit *Philippus II.* Hispaniarum Rex, non videtur mihi omninò certum. Audivi quippè à quibusdam Lusitanis, *Sebastianum* Regem in eo prælio non fuisse cæsum, sed ex eo salvum, & incolumem evasisse, indèque in Italiam venisse, vbi à multis pro vero *Sebastiano* Lusitaniæ Rege agnitus, & habitus est.

M. In dubium revocari haud potest, *Sebastianum*, magnanimum Lusitaniæ Regem, annos natum xxiv. & aliquot menses, in prælio à Mauris captum, & occisum fuisse, cùm illius cadaver secundo post illud prælium die inter mortuos, septem vulneribus confossum, à *Sebastiano Resendio* ejus Domestico inventum fuerit, à multis Proceribus, & Nobilibus Lusitanis, & à *Vincentio Fonseca* Ordinis FF. Prædicatorum, qui Regi à Confessionibus fuerat, deindè Archiepiscopo Goënsi, visum & agnitum sit. Quò fit, ut explodi meritò debeat anilis illa fabula, quam tibi illi Lusitani venditarunt, cuique occasionem dederunt duo Impostores, qui *Sebastiani* Regis, quasi è pugna elapsi, personam posthàc mentiti sunt. Primus impostor, qui *Sebastianum* Lusitaniæ Regem, divinâ providentiâ ad salutem subditorum à Maurorum manu conservatum se dixit, prodiit anno MDLXXXV. ut videre est apud *Spondanum* in Annalibus Ecclesiæ, sibique septingentos circiter ar-

matos Lusitanos, qui Castellæ jugum impatientissimè ferebant, adscivit. Sed à Cardinali Austriaco Prorege captus mimicus ille Rex, & Ulyssippone tormentis subjectus, imposturamque fassus, in furcam actus dignam imposturâ suâ mercedem tulit. Alterius Impostoris, qui se *Sebastianum* Lusitaniæ Regem mentitus est, meminit idem *Spondanus* ad annum MDC. Num. XXVII. ubi ait, hunc Impostorem accessisse Venetias ad finem anni MDXCVIII. qui ætate, staturâ, effigie, sermone, & corporis lineamentis vero *Sebastiano* simillimus erat, quique dicta, facta, gesta privata & publica veri *Sebastiani*, variasque negotiationes, cum pluribus, ipsisque etiam Venetis, habitas, quæ vix ab aliquo suppositititio sciri possent, ita accuratè referebat, ut quidam Lusitani, qui tunc Venetiis erant, ac *Sebastianum* Regem de facie novisse dicebant, jurarent, ipsissimum esse *Sebastianum* ipsorum Regem. A Senatu Veneto, cujus jussu in carcerem detrusus fuerat ille impostor, interrogatus quis esset? absque ulla hæsitatione se *Sebastianum* Lusitaniæ Regem esse affirmavit, prælio Africano captum, miraculo è servitute ereptum fuisse, ac pudore illius expeditionis adeò levitèr à se susceptæ, & infelicitèr confectæ, reditum in Regnum vitasse, complures annos ignotum victitasse, varias Africæ, atque Asiæ regiones peragrasse, indè, vivido juventæ flore amisso, magnis incommodis ærumnisque confectum adustam faciem induisse, atque in Europam redire, Principibusque sese patefacere, & Lusitaniæ Regnum à *Philippo II.* Hispaniarum Rege, qui illud occupaverat, repetere decrevisse. De quibus cùm Senatus, ob mul-

multas probabiles rei conjecturas, ambiguus hæreret, hominem dimisit, qui dùm pergit in Lusitaniam, ubi jam non parva erat populorum commotio, in Etruria à Duce *Ferdinando* captus, Hispanis traditus est, & Neapolim perductus, ubi post diversas multi temporis interrogationes, militari judicio tanquam impostor per vicos asello impositus, ignominiosè traductus est, indèque post in Hispaniam delatus, & in arce conclusus, sive acceleratâ, sivè naturali morte, tragædijs ex eâ causâ quotidiè exorientibus finem imposuit. Vndè facilè intelligere potes, duos illos impostores, qui se *Sebastianum* Lusitaniæ Regem finxerunt, occasionem dedisse huic fabulæ, quam de *Sebastiano* Rege è pugna elapso tibi narrarunt quidam plus æquò creduli Lusitani.

D. Ea, quæ de Statu Ecclesiæ sub Principibus Christianis Sæculi decimi sexti hactenùs dixisti, dùm mecum tacitus perpendo, ubique funesta bella video, clades, Hæreses, Schismata, & lugubrem in Germania, Gallia & Anglia faciem Ecclesiæ cerno. Hoc unum tamen me solatur, quòd, sicut nuperrimè legebam, vera fides in quibusdam Europæ partibus, sic Deo propter Christianorum crimina permittente, deficiens, in alias Orbis regiones, notitiæ hominum impervias, eodem Sæculo decimo sexto migraverit, in quibus sibi novum acquisivit populum, qui eam pronis animis excepit, eique de Idololatria triumphanti augustissima trophæa erexit.

M. Ita est. Vera Fides, quæ ex aliquot Europæ partibus à Turcis expulsa, ab Hæreticis Lutheranis, & Calvinistis Sæculo Ecclesiæ decimo

ſexto fuit oppugnata, ſua ubique lucra fecit, & ad fidelium ſolamen, ſuique tutamen in varias Orbis regiones ſuas propagines extendit. In primis, anno MDXX. regnante in Hiſpania *Carolo V.* novum Imperium Mexicanum primus per navigationem detexit, & Hiſpaniarum Regi acquiſivit *Ferdinandus Corteſius*, ex Hiſpania Bætica nobili genere ortus, quod nunc *Nova Hiſpania* dicitur. Ad illas latiſſimas Mexicanas oras miſſis Hiſpanorum Coloniis, & Verbi Dei præconibus, ex infidelitatis tenebris emerſerunt barbari divinâ fide illuſtrati, ſuiſque rejectis ſuperſtitionibus, Catholicam Religionem ſuſceperunt. Non multò poſt *Franciſcus Pizzarrus* Hiſpanus *Peruanam* Provinciam, venis auri & argenti ditiſſimam, invenit anno MDXXV. quam intra annos octo hiſpanico adjunxit imperio, eamque totam ad Chriſti fidem converſam læta aſpexit Eccleſia. A *Paulo III.* Pontifice Maximo obtinuit *Carolus V.* Hiſpaniarum Rex, ut Novi Orbis & Indiaram Occidentalium Eccleſiæ, à Provincia Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſis, cui ſuberant, disjungerentur, Hiſpalenſi Archiepiſcopo conſentiente, Urbeſque illarum regionum ampliſſimæ, *Mexica*, *S. Dominici*, & *Regum*, in Metropoles erigerentur, ſuis cuique Epiſcopatibus ſuffraganeis attributis, quod tactum eſt anno MDXLVII. Hìc autem ſine encomio prætermittere haùd poſſum rem præclarè geſtam à *Carolo V.* Hiſpaniarum Rege, qui à *Bartholomæo de las Caſas*, Epiſcopo Regiæ Civitatis *Chiapæ* in nova Hiſpania ex Ordine Prędicatorum aſſumpto, admonitus de ſævitia, quam Hiſpani in illius novi Orbis incolas exercebant; protinùs in Peruanam Pro-

Provinciam misit *Petrum Gascam*, Præsidem, Virum integerrimum, ut asperiorem Hispanorum agendi modum temperaret, Duces, qui tyrannicè regebant, extremo afficeret supplicio, ac æquissimis promulgatis legibus, Indorum tranquillitati & levamento consuleret, ut refert *Ulloa* in Vita *Caroli V.* Vetuit etiam Sanctissimus Pontifex *Pius V.* ne Hispani injustè exagitarent Indos, quos non armis ad fidem compellendos, sed cum omni benignitate & charitate, Verbi divini prædicatione, sacrâ doctrinâ & sanctis exemplis ex infidelitatis tenebris educendos judicavit, præsertim cùm novi illius Orbis homines optimis moribus præditi essent, & maximè dociles ad Christianam Religionem legemque suscipiendam. Sanè, ut obitèr dicam, Christus Dominus non machinis bellicis subegit Regna mundi, non opibus, non honoribus, non voluptatum illecebris. Nihil ex humanis præsidiis huic negotio voluit admisceri, quod totum Cœlo deberi voluit. Accommodavit sese his, quos ad se trahere studebat. Ut homines servaret, homo factus est, ut peccatores sanaret, cum peccatoribus familiariter versatus est, ut Judæos alliceret, circumcisus est. Vicit mansuetudine, vicit beneficentiâ, vicit veritate. His præsidiis Christus, & post ipsum Apostoli, Judaicæ gentis expugnaverunt pervicaciam, Græciæ, Philosophiâ tumentis, vicerunt supercilium, his armis tot Barbararum nationum invictam feritatem subegerunt: atque totius Orbis Tyrannos ac Satrapas fidei jugo subdiderunt. Quis autem non videat, quibus rebus Christiana Religio nata, aucta, ac constabilita est, iisdem etiamnùm prædicandam

& annuntiandam Gentibus, ut Fidei lumine collustratæ verum Deum agnoscant. Sed alia, si placet, proferamus incrementa, quæ Sæculo decimo sexto Fides Catholica apud ignotas & Barbaras Gentes suscepit. *Emmanuel*, Lusitaniæ Rex, sub initium Sæculi decimi sexti, missis cum validioribus Classibus *Alphonso Albuquercio*, & *Francisco Almeida*, quos Indiarum Proreges dixit, *Malacam*, *Molucas*, *Brasiliam*, aliasque Insulas antehàc incognitas, auro, argento, margaritis, aromatibus, aliisque rebus opulentissimas, Regno suo adjecit, & ad illas destinavit viros doctrinâ & pietate præstantes, qui zelo salutis animarum accensi innumeram ex illa gente multitudinem ad Catholicam Fidem conversam sacro Lavacro tinxerunt. *Joannes*, hujus nominis *III.* Lusitaniæ Rex, *Emmanuelis* Regis filius, non minùs Christianæ Religionis in Indiis Orientalibus propagandæ, quàm amplificandi Regni sui studiosus, Viros Apostolico spiritu repletos *Simonem Rodericum* Lusitanum, & *Franciscum Xaverium* Navarrum, à *S. Ignatio de Loyola*, Societatis Jesu Institutore, impetravit, qui Evangelium Indis Orientalibus prædicarent. Sed solus *Franciscus*, quem unum hujus Apostolatus gloria manebat, in Indiam cum *Martino Alphonso Souza*, Indiarum Prorege designato, anno MDXL. navigavit, accepto à Rege Diplomate Pontificio, quo eum Nuncium Apostolicum in universis, quà latè patent, Indiarum regionibus amplissimâ cum potestate creandum curaverat. Eâ sibi demandatâ provinciâ *Franciscus Xaverius*, Vir Sanctitate vitæ & miraculis stupendus, præclarè functus est. Plurimas Indiarum

Orien-

Orientalium Gentes ad Fidem Christi convertit. Dein, in vastissimum *Japoniorum* penetrans Imperium, innumeros ex Idololatria ad Christi cultum traduxit, nec his laboribus Apostolicis contentus, quasi totus Orbis zelo, quo succensus erat, promovendæ salutis animarum, esset angustior, per amplissimam Sinarum regionem propagandi Evangelii cupidus, vicinam Insulam Sancianum adiit, in qua dùm opportunam Sinas ingrediendi occasionem præstolaretur, gravi correptus morbo, solus & omni humano solatio destitutus, divino æstuans amore ad Cœleste Regnum migravit IV. Nonas Decembris anni Christi MDLII. peregrinationis suæ Indicæ undecimo. Præter illas regiones, quas Christiani per navigationem Sæculo decimo sexto detexerunt, & Fide Catholicâ illustrarunt, Britones, & Normanni jam ab an. MDIV. dùm vacarent piscationi Asellorum Marinorum, Gallicè *des Morues*, invenerunt promontorium & Insulam Britonum, Gallicè *L'isle du Cap Breton*; & anno millesimo quingentesimo vigesimo quarto quidam *Joannes Verrazzanus* Florentinus, auspiciis *Francisci I.* Galliarum Regis, detexit versùs septentrionem in Orbe novo supra *Floridam*, regionem habitatam hominibus barbaris & incultis, quæ *Canadensis* dicitur à fluvio magno, *Canada* nuncupato, qui eam alluit, nunc verò *Nova Francia* vulgò appellatur. In hanc regionem Canadensem sæpiùs missæ sunt ex Francia Coloniæ barbaris & incultis illis populis perutiles ad erudiendos illos, & imbuendos Christianâ Religione & civilibus artibus. Respexit Deus benigno vultu Canadenses populos, & aspirans votis, periculis &

 labo-

laboribus Gallorum, qui eò ſe conferebant, Gentem illam per inextricabiles tenebras oberrantem illuminavit, atque ad veram Religionem perduxit. Eâ regione Canadenſi etiamnùm potiuntur Galli, qui locis opportunioribus munitiones ſtruxerunt ad arcendos finitimos barbaros, à quibus Canadenſes aſſiduis incurſionibus infeſtabantur & capti devorabantur. Ex tot populis & novi Orbis regionibus, quibus Sæculo decimo ſexto Lux Evangelii affulſit, facilè nunc intelligere potes, veram, ſeu Romanam Eccleſiam ab Hæreticis Lutheranis & Calviniſtis, ita permittente Deo, fuiſſe eodem Sæculo exagitatam, & ex aliquot Europæ locis expulſam, ut indè florentior evaderet, & ad ignotas novi Orbis gentes ſuas propagines protenderet, juxtà illud *Iſaiæ* Cap. LV. v. 5. *Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, quia glorificavit te*. Sic ſemina meſſium gelu congelata, & mortua germinant: ſic ignis flatu premitur, ut creſcat: ſic unguenta commota redolent: ſic aromata fragantiam ſuam, cùm incenduntur, latiùs expandunt: ſic vinea putata uberior redditur & fœcundior: ſic Arca Noemi ab undis ſepelienda diluvii, ab iiſdem altiùs ferebatur, ejuſque concuſſio, ipſius erat erectio: ſic Luna videtur deficere, & non deficit, & obumbrata non obſcuratur. Ita planè Eccleſia Romana multis Sæculo decimo ſexto filiorum ſuorum cladibus, damnis ac ruinis ab Hæreticis Lutheranis & Calviniſtis devicta videbatur, cùm tamen per filiorum mortem vivida, per diſpendia dives, per ruinas glorioſa effecta ſit, quia, ut appoſitè ait S. *Hi-*

larius

larius Lib.VI. De Trinitate: *proprium est Ecclesiæ,ut tunc vincat, cùm cæditur; tunc intelligat, cùm arguitur; tunc obtineat, cum deseritur.* Ecclesia quippè similis Christo sponso suo, nonnisi per tribulationes & persecutiones triumphat, *Christus* autem, ut inquit Sanctus *Paulinus* Epistolâ trigesimâ primâ, *vicit, cùm judicatus est; cedendo superavit, & cadendo in mortem, resurrexit in gloriam.*

D. Dùm Christianos in Regno Angliæ & in aliquot aliis Europæ partibus à vera Ecclesiæ Catholicæ Fide Sæculo decimo sexto defecisse audio, & versâ vice tot barbaros novi Orbis populos ad veram Christi Fidem lætos festinare video, facilè mihi persuadeo,impletum tùm temporis esse illud Christi Domini Oraculum, Capite octavo,Vers.XI. & XII. *Matthæi* dicentis: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cælorum: filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Vel, ut ait idem Salvator Cap. XXI. *Matthæi* Vers. 41. & 43. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Quibus verbis admonemur, ut oblatam & præsentem nobis Dei gratiam non negligamus, non spernamus, sed Regno Dei nos spontè subdamus, & expectatos à Vinea ipsius fructus illi reddamus. Alioquin, quod Christianis non solùm per Africam, Asiam, & Græciam, sed etiam in Angliæ Regno & in aliquot Europæ partibus evenisse jam dolemus, idem & nobis ne usu veniat

veren-

verendum est, videlicet, ne, verâ Christi Fide sensim sine sensu apud nos tepescente, auferatur à nobis Regnum Dei, & detur novi Orbis genti facienti fructus ejus Regni. Sed hìc primo Colloquio nostro, quod ad solitam horam protraximus, finem imponamus, alterum crastinâ luce habituri de Episcopis, qui Sæculo decimo sexto præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam, Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam tenuerunt.

M. Catalogum, seu accuratam seriem ac successionem Episcoporum, qui Sæculo decimo sexto Romanam Ecclesiam summâ cum laude rexerunt, describam quidèm in proximo Colloquio: at consultò prætermittam successiones Episcoporum, qui eodem Sæculo Ecclesias Orientis Constantinopolitanam, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam occuparunt, quia successiones Episcoporum, qui his Orientalibus Ecclesiis præfuerunt, præsertim postquàm ab Ecclesia Romana funesto Schismate fuerunt divulsæ, & sub Barbarorum jugo oppressæ, nec certò nosci, nec accuratè texi possunt. Ecquis, amabo, ejusmodi Episcoporum successiones certò callere, & in Ordinem distribuere posśit post tot illas calamitates quibus Oriens adflictus fuit? post vastatas amplissimas, populosissimasque & amænissimas Provincias, æquatas solo urbes innumeras, quibus ille tractus scatebat, ipsasque primarias olim præstantissimas? Quomodò etiam Episcoporum Orientis seriem scire ac describere possemus nos, qui tam longo intervallo ab illis terris sumus divisi? Præterquàmquòd, Ecclesiarum Orientalium

Episcopi cùm sint Schismatici, & doctrinâ non valdè celebres, eorum successiones, seu nuda nomina ipsorum exhibere supervacaneum omninò esset, tibique Historiæ Ecclesiasticæ studioso parùm utile, ac fructuosum. His itaque Episcoporum Ecclesiarum Orientalium successionibus referendis in integrum supersedebo, maximè cùm sciam, doctissimum Patrem *Michaelem Le Quien* Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in linguis Orientalibus versatissimum, propediem Parisiis in lucem editurum Opus duobus Tomis in Folio comprehensum, cui Titulus: *Oriens Christianus*, in quo Patriarcharum Sedium Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & aliarum præcipuarum Orientis Ecclesiarum successiones Episcoporum, ex Historiis Ecclesiasticis, ex probatis Authoribus, & ex indubitatæ fidei monumentis describet, & in præclaro ordine collocabit.

COLLOQUIUM SECUNDUM,

De Serie, Vita & Gestis Romanorum Pontificum, qui Sæculo decimo sexto universam Ecclesiam rexerunt.

DISCIPULUS. CUM à Sede Romana Ecclesiasticæ res auctoritatem, motum & robur sumere consueverint, & ab Historia Romanorum Pontificum, velut à fundamento, complura, ne dicam omnia, Historiæ Ecclesiasticæ capita ita pendeant, ut absque illius notitia, eorum rudis & imperfecta tantùm cognitio haberi possit; necesse est, ut in isto Colloquio accuratè referas Gesta Romanorum Pontificum, qui Sæculo decimo sexto universæ Ecclesiæ præfuerunt.

M. Illustriora dumtaxàt Gesta Summorum Pontificum,qui Sæcul.decimo sexto Sedem Romanam tenuerunt, summatim hìc attingam, tùm quia omnia repræsentare immensæ foret operæ, &, ut trito fertur adagio: *Leo magnanimus ex unguibus agnoscitur*; tum quia in vasto adeò mari non licuit mihi, brevitati consulenti, eorum, qui Pontificiam concinnarunt Historiam, expiscari omnia, eaque singillatim referre ex animi sententia. Incipiam autem à *Pio* hujus nominis *III*. qui ante Pontificatum dicebatur *Franciscus Tudeschinus*, & Picolomineo nomine ac stemmate à *Pio II*.

Pon-

Pontifice Maximo, cujus erat ex sorore nepos, donatus fuerat, atque ab eodem Pontifice Senensis Archiepiscopus & Cardinalis creatus anno ætatis suæ circiter vigesimo. In Cathedra S. *Petri* collocatus post *Alexandri VI.* obitum, qui accidit xv. Kalendas Septembris anni MDIII. nihil tàm curæ ac cordi habuit *Pius III.* quàm ut collapsam Ecclesiæ Disciplinam restauraret, eamque, eliminatis corruptelis, & omni pietatis ac virtutum genere inducto, sanctissimis Legibus augeret ac confirmaret. Hoc Sanctissimum propositum ut feliciùs executioni mandare posset vigilantissimus ille Pontifex, Concilium Æcumenicum, quod in Conclavi unanimi Cardinalium consensu intra biennium celebrandum fuerat decretum, se absque ullâ cunctatione congregaturum significavit in solemni Consistorio ante Coronationem suam habito, dicens, se nolle expectare biennium, sed rumpere continuò moras ad Concilii Generalis pro reformatione morum celebrationem. Verùm, dùm hæc ad Reipublicæ Christianæ salutem, suique nominis gloriam immortalem quàmprimùm perficere sedulò cogitaret pius ille Pontifex, in procinctu ingentium rerum, quibus magnam sui expectationem excitaverat, præmaturâ morte raptus est, tamque gravis jactura acerbo dolore perculit omnes fideles, qui ei longiorem Pontificatum apprecabantur, absolvendis, quas faustè feliciterque inchoaverat, rebus, maximum Catholicæ Ecclesiæ splendorem conciliaturis. Diem Pontificatus dumtaxat vigesimum septimum numeravit *Pius III.* Electus quippè fuerat Pontifex Maximus decimo Kalendas Octobris an. MDIII. & migravit è vi-

è vita decimo quinto Kalendas mensis Novembris ejusdem anni, natus annos sexaginta quatuor, menses quinque. Ejus Corpus in Basilica S. *Petri* in sacello S. *Andreæ* Apostolo sacro propè Avunculum, seu *Pium II.* marmoreo eleganti sepulchro conditum est, hac nobili additâ inscriptione, quâ res præcipuæ ab eo gestæ breviter continentur:

Pius III. Pont. Max.
A Pio II. Avunculo Duos & xx. Annos Natus
In Cardinalium Collegium accitus
Urbis Ac Piceni Legatione integerrimè functus
A Paulo II. Ad Federicum III. Missus Ut Germanorum
Arma In Turcas Concitaret
Conventum Frequentissimum Pontificis Morte
Dissolutum habuit
Sub Innocentio VIII. Umbros Dissidentes Pacavit
Carolo Gallorum Rege In Italiam Irrumpente
Ab Alexandro VI. Serò Admodùm Obviam Missus
Eo Mortuo
Duo De Quadraginta Patrum Suffragiis
Pontifex Creatus
Dum De Restituenda In Pristinam Majestatem
Christiana Republica Ac Urbe Agit
Viginti Sex Die Ex Tanta Expectatione Rerum
Publico Omnium Luctu Decessit
Eloquio Prudentia Religione Innocentia
Et Gravitate Domi Forisque
Insignis In Dicendis In Senatu Sententiis Liber
Et gravissimus
Vixit Annos LXIV. *Menses* V. *Dies* X.
Obiit Anno Salutis Christi MDIII. XV. *Kalēd. Novembris*
Jacobus Et Andreas Fratri Sanctissimo Posuere

E Ba-

E Basilica S. *Petri* Corpus *Pii III.* posteà sub Pontificatu *Pauli V.* translatum est à Cardinali *Petro Montaltio* ad Ecclesiam S. *Andreæ* supra Pompejani theatri ruinas à se extructam, ubi nobilibus Epitaphiis fuit decoratum, quæ legi possunt apud *Ciaconium* in Vita *Pii III.* Pontificis Maximi.

Post obitum *Pii III.* Pontifex Romanus electus est *Iulianus Ruverus*, Nepos *Sixti IV.* Cardinalis, & Episcopus Ostiensis, cui *S. Franciscus de Paula*, Ordinis Minimorum Fundator, Pontificatum prædixerat. Ad Pontificale Solium sublimatus *Julianus Ruverus*, voluit appellari *Julius II.* illudque signum, sivè Symbolum sibi assumpsit: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Ecclesiæ utilissimas Constitutiones edidit *Julius II.* Pontifex Maximus. In primis, statuit, ut si in electione Romani Pontificis crimen Simoniæ vel ab Electo, vel ab Electoribus committatur, electio nulla ac irrita habeatur. Detestabilem Duellorum usum fabricante Diabolo introductum, ut cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem lucretur; in tota Ditione Ecclesiastica prohibuit sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, corporaque in Duello morientium Christianâ Sepulturâ privari jussit, & sub eâdem Excommunicationis, & Interdicti Ecclesiastici pœnâ Ducibus, Comitibus, Marchionibus, Baronibus, & aliis temporalibus Dominis Locorum, & Terrarum Ecclesiæ Romanæ Dominio immediatè vel mediatè subiectarum districtè inhibuit, ne deinceps aliquibus, cujuscumque dignitatis, & nobilitatis essent, locum, seu campum

liber-

liberum ad Monomachiam, seu ad duellum concederent. Ordini Minimorum favit *Julius II.* & cum ipsis Mendicantium Privilegia communicavit. Monachis etiam Congregationum Montis Oliveti, & Vallis Umbrosæ Ordinis S. *Benedicti*, necnon Eremitis S. *Augustini* amplissima indulsit Beneficia. Ad recuperandas Ditiones Romanæ Ecclesiæ præreptas suos omnes conatus, & consilia contulit idem Summus Pontifex, cui à natura inerat mira quædam excelsitas animi, labores quosvis periculaque despicientis, & ad difficiliora quæque aggredienda negotia comparati. Hæc eximia animi excelsitas in eo Pontifice præsertim enituit, quandò turbulentissimas tempestates, quas malignitas quædam horum temporum excitaverat, fortitudine suâ, virtute, constantiâ vel fregit, vel superavit, & potentissimorum hostium Bellis jactatam Italiam strenuè defendit, ablatas ab invasoribus Ditiones Ecclesiæ Romanæ Dominio Sedis Apostolicæ asseruit, hostesque virtutis suæ terrore complevit. Desiderio, itaque bona Ecclesiæ Romanæ recuperandi incensus *Julius* Pontifex Maximus, Primùm, ut Venetos, qui nonnulla Ecclesiæ oppida sub *Alexandro VI.* occupaverant, eaque restituere detrectabant, in ordinem faciliùs redigeret, fœdus inivit cum *Ludovico XII.* Galliarum Rege, quîcum summa ipsi intercedebat necessitudo, eò quòd toto ferè tempore *Alexandri VI.* apud Reges Galliæ *Carolum VIII.* & *Ludovicum XII.* versatus fuisset. *Julium* Pontificem præclarè juvit *Ludovicus XII.* Galliarum Rex, quippèqui solus cum Francis omnia Belli pericula, & sumptus in se suscipiens, & in Italiam veniens, triumphalibus suis

ſuis armis Venetos Eccleſiæ Ditionis hoſtes debellavit, Urbes, Caſtra, & Terras Apoſtolicæ Sedi ab ipſis ereptas, *Faventiam* videlicet, *Ariminum, Ravennam, Cremam, Cremonam &c.* uno, eoque rapidiſſimo victoriæ curſu, cepit, Eccleſiæ reſtituit, tantamque cladem intulit Venetis, ut ipſi acie ſuperati, graviſſimoque terrore concuſſi, quidquid in continente habebant dimittendi, ſolamque Venetiarum Urbem tuendi conſilium injerint. At, præter omnium expectationem contigit, ut *Julius* Pontifex, poſtquàm quæcumque optaverat oppida à Venetis Eccleſiæ erepta, ſolis uſus Francorum viribus, in deditionem accepiſſet, pacem, novumque fœdus cum Venetis percuſſerit, & in Francos, quorum nimiam in Italia potentiam pertimeſcebat, arma converterit. Nec ſolùm cum Venetis, ſed cum Hiſpaniæ, & Angliæ Regibus, & cum Helvetiis ad expellendos totâ Italiâ Gallos fœdus inivit *Julius* Pontifex, indèque graviſſimum inter *Julium II.* Pontificem Maximum, & *Ludovicum XII.* Galliarum Regem exarſit Bellum, de quo conſultius eſt tacere, quàm loqui. Dicam tantùm obitèr, infauſto illo diſſidio fervente, Belloque flagrante, *Ludovicum XII.* Galliarum Regem conſilium peſſimum, & Rege Chriſtianiſſimo indignum ſuſcepiſſe, propriâ videlicet, & *Maximiliani* Imperatoris auctoritate convocandi Concilium, ſeu potiùs Conciliabulum ad *Julium* Papam in ordinem redigendum, novumque Pontificem conſtituendum. Eâ *Maximiliani* Imperatoris, & *Ludovici XII.* auctoritate fulti novem Cardinales, à *Julio II.* Pontifice Maximo ſeceſſione factâ, iſtud Conciliabulum, *Piſanum* dictum, inchoarunt Pi-

fis anno MDXI. eique præfuit *Julius Bernardinus Carvajalius*, natione Hispanus. Ad dissolvendum istud Pisanum Conciliabulum, de quo copiosiùs agemus in Colloquio quarto, *Julius II.* Pontifex Maximus exemplum sequutus *Eugenii Quarti*, qui, ut Concilium Basileense jam ad schisma propendens, seque altiùs adversùs Supremam Sedem efferens, reprimeret, Concilium Ferrariæ primùm, deindè Florentiæ indixit: hoc, inquam, *Eugenii IV.* exemplum secutus *Julius* Pontifex, Concilium legitimâ fultum auctoritate Romæ in Ecclesia Lateranensi instituit celebrandum, indèque dictum Concilium Lateranense V. ad quod demùm Cardinales Pisani, soluto infausto conciliabulo, tanquàm privati accesserunt post *Julii* Papæ obitum, qui contigit, dum adhuc celebraretur concilium istud Lateranense V. ejusque Successori *Leoni* Papæ *X.* eidemque Concilio Lateranensi veniam supplicantes, dictâque palinodiâ, absolutionem obtinuere, pristinisque honoribus benignitate *Leonis X.* Pontificis Maximi restituti sunt in integrum. Rex verò Christianissimus *Ludovicus XII.* missis Oratoribus *Claudio Seissel*, Episcopo Massiliensi, & *Ludovico De Forbin*, in gratiam *Leonis X.* Romani Pontificis, & Sacri Concilii honorificè receptus fuit, sicut in Colloquio IV. agendo de Conciliis, quæ Sæculo XVI. in Ecclesia fuerunt celebrata, pleniùs juxtà ac opportuniùs commonstrabimus. Obiit *Julius II.* Pontifex Maximus, Sacramentis Ecclesiæ religiosè perceptis, nono Kalendas Martii anni MDXIII. dùm celebraretur Concilium Lateranense V. ab ipso convocatum. Sunt nonnulli Scriptores, qui *Julio II.* Summo Pontifici vitio vertunt,

tunt, quòd toto sui Pontificatus tempore animum non tàm ad pacem conciliandam, quàm ad Bella gerenda propensum exhibuerit: At *Alphonsus Ciaconius* hunc Pontificem his verbis excusat in ejus Vita quam descripsit: *Nec enim*, inquit, *probari ob id minùs debet, seu* Julius II. *Pontifex Maximus, quòd tam infracta animi virtute contra Ecclesiæ dignitatis invasores pugnaverit, quandò temporum ea conditio tantum Virum religione, ac fortitudine verè Maximum Pontificem postulabat. Neque sanè ob alias causas tot Bella gessit, nisi ut à pluribus occupatum Sacræ Sedis Imperium recuperaret. Ad quod præstandum insita à natura* Julii *invicto animo bellicæ virtutis semina cernebantur. Erat enim animo magnus, acer, constans, liberalis, contumacibus implacabilis, in calamitatibus se ipso semper excelsior. Irritari adversis, non enervari, virtus ejus poterat.*

D. *Leonem X.* Pontificem Maximum mortuo *Julio II.* suffectum fuisse jam insinuasti, sed nunc patriam, & Familiam, è qua oriundus erat *Leo Decimus*, eximias ejus dotes, resque præclarè ab eo in Pontificatu gestas describere debes.

M. Post obitum *Julii II.* Romani Pontificis, Joannes *Medicæus*, patriâ Florentinus, è *Medicæa* Familia Principe, S. *Mariæ in Dominica* Diaconus Cardinalis, annum agens ætatis trigesimum octavum, Idibus Martii anni MDXIII. ad Summum Pontificatum provectus est, dictusque *Leo X.* cujus egregias virtutes magnis præconiis celebrant multi Scriptores, sed præsertim *Paulus* Jovius, *Onuphrius Panuinus*, & *Alphonsus Ciaconius*. Ingenii sublimitate, sermonis elegantiâ, facilitate ac prudentiâ singulari excelluit. Summâ morum suavi-

tate ac benignitate omnes excipiebat,ac patientèr auſcultabat. Unicè favebat honeſtis litteris, ſibique Virorum eruditorum, in quos magnanimus, & munificentiſſimus erat, laudem, & amorem devinxit. Moribus caſtiſſimis, vitâque adeò intaminatâ fuit, ut nec Hæreſiarcha *Lutherus*, Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimus hoſtis, à Summo illo Pontifice damnatus, nec alii hujus temporis hæretici eam violare, aut impetere auſi fuerint. Bis per hebdomadam jejunabat *Leo X.* Pontifex Maximus, quartâ Feriâ temperabat à carnibus, ſextâ verò in memoriam Paſſionis Chriſti Domini herbâ tantùm, ac legumine veſcebatur. His aliiſque id genus heroicis, verèque Chriſtianis virtutibus abundè cumulatus *Leo X.* multa in Pontificatu gloriâ immortali digna geſſit. Vaticanam Bibliothecam aliquot librorũ millibus locupletavit. Academiam Romanam, accitis undique magno ſumptu Artium ingenuarum doctiſſimis Profeſſoribus, ita inſtauravit, ut nulli Italiæ, ſive Doctorum præſtantiâ, ſive auditorum concurſu concedere videretur. *Santem Pagninum* Ordinis Prædicatorum hortatus eſt, ut ſcripturæ ſacræ latinam ex hebræo textu Interpretationem ſuſciperet, ſumptuſque ad tantum Opus abſolvendum neceſſarios largâ manu ſuppeditavit. *Petrum Bembum*, & *Joannem Sadoletum*, Viros doctrinâ, & pietate omni exceptione majores, in ſuum famulitium adſcivit, quos poſteà *Paulus III.* Pontifex Maximus in numerum Cardinalium cooptavit. Porrò, ſicut in Viros, bonarum litterarum cultores, ſe ſe propenſiſſimum exhibuit *Leo Decimus*, ita & in eos, qui novitatis ſtudio abrepti ſanam doctrinam erori-

roribus, falsisque sparsis opinionibus corrumpebant, severè animadvertit. Hinc in Concilio Lateranensi V. Sessione octavâ Constitutionem edidit contra nonnullos Philosophiæ Professores, qui ex sententia *Aristotelis*, & *Averois* probare conabantur, Animam rationalem unam esse in omnibus, eamque unà cum corporibus interire; dictitantes insuper, *nonnulla esse vera secundùm Philosophiam, sed non secundùm Fidem Catholicam*. Ejusmodi errores non solùm in prædictâ Constitutione, quæ legi potest in Actis ejusdem Concilii Lateranensis V. proscripsit *Leo Decimus*, sed etiam ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, sapientissimè statuit, ne quis deinceps in Sacris Ordinibus constitutus, Philosophiæ, aut Poesis studio ultrà quinquennium post Grammaticam, & Dialecticam sine aliquo studio Theologiæ, aut Juris Pontificii incumbat: *Et cùm non sufficiat*, inquit Maximus ille Pontifex, *tribulorum radices præscindere, nisi & ne iterùm pullulent, funditùs evellere, ac eorum semina, originalesque causas, undè facilè oriuntur, removere; cùm præcipuè humanæ Philosophiæ studia diuturniora, quam Deus secundùm verbum Apostoli evacuavit, & stultam fecit absque divinæ sapientiæ condimento, & quæ sine revelatæ veritatis lumine in errorem quandòque magis inducunt, quàm in veritatis elucidationem; ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari Constitutione ordinamus, & statuimus, ne quisquam de cætero in Sacris Ordinibus constitutus sæcularis, vel regularis, aùt aliàs ad illos de jure arctatus, in studiis Generalibus, vel alibi publicè audiendo Philosophiæ, aùt poesis studiis ultrà quin-*

quennium post Grammaticam, & Dialecticam sine aliquo studio Theologiæ, aut juris Pontificii incumbat; verùm, dicto exacto quinquennio, si illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dùm tamen simul, aut seorsum, aut Theologiæ, aut Sacris Canonibus operam navaverit, ut in his Sanctis, & utilibus Professionibus Sacerdotes Domini inveniant, undè infectas Philosophiæ, & Poesis radices purgare, & sanare valeant &c. Sed nunquàm *Leonis X.* Sacrum Fidei depositum, suæ curæ concreditum, illibatum custodiendi zelus magis eluxit, quàm dùm anno MDXVII. damnavit Lutheranam Hæresim, cujus Autor, ut fusè ostendemus in proximo Colloquio, fuit *Martinus Lutherus*, qui in omnem licentiam effusus, permulta Ecclesiæ Catholicæ Dogmata convellere, ac oppugnare ausus est, & sicut jam observavimus in superiori Colloquio, tantùm ejus nequitia prævaluit, ut indictum adversùs Turcas, Christiani nominis hostes, Bellum in mutua inter Christianos Principes Bella deflexerit, seductisque per hæresim populis, tota ferè Germania, & aliæ plerçque nationes hoc incendio conflagrarint. Quò factum est, ut Turcæ, Principibus Christianis inter se pugnantibus, suasque vires Bellis atterentibus, Christianos fines invaserint, suçque potestati subjugarint. Hìc autem prætermittere haud possum insignem calumniã, quam *Theophylus Raynaldus* impingit Dominicanis in Libro, quem edidit *de Immunitatibus Cyriacorum*, ubi ait, *Leonem X.* Indulgentiarum promulgationem demandasse Religiosis Dominicanis, non verò *Eremitis* Ordinis *S. Augustini*, ut mos erat, indèque *Hæresim Lutheranam ex cupiditate nimia Dominicanorum omnia ad se trahentium*

tium progerminasse. Hæc autem calumnia facilè refellitur, primò, quia falsum est, munus promulgandi Indulgentias Eremitis Ordinis S. *Augustini* injungi solitum fuisse, cùm certissimè constet, id muneris à *Julio II.* Romano Pontifice FF. Minoribus impositum fuisse, idemque munus *Leonem X.* commisisse Ministro Generali FF. Minorum unà cum Archiepiscopo Moguntino in pluribus Germaniæ locis, Diplomate dato die ultimâ Martii anni MDXV. Prætereà, Eminentissimus Cardinalis *Palavicinus* in Historia Concilii Tridentini part. I. lib. I. cap. 3. disertè asserit, hanc Indulgentias promulgandi provinciam non FF. Prædicatoribus à *Leone X.* fuisse demandatam, sed *Alberto*, Electori, & Archiepiscopo Moguntino, è Brandeburgensi familiâ, Viro tunc in Germania præstantissimo, qui hac in re sponte suâ uti voluit operâ *Joannis Tetzelii*, Quæsitoris Fidei, Ordinis Prædicatorum doctissimi Viri, & Concionatoris ferventissimi, qui paulò antè simili delegatione pro Equitibus Teutonicis felicitèr perfunctus fuerat, cujus eo in munere obeundo prudentia atque integritas apud omnes manifesta erat. Quod autem *Lutherus*, tunc Augustinianus, id ægrè tulerit, & æmulatio aliqua Augustinianos inter, & Dominicanos intercesserit, non indè ortus Lutheranæ hæresis tribuendus est Dominicanis, qui ab Electore *Alberto*, Archiepiscopo Moguntino, ad promulgandas Indulgentias accersiti fuerant. Sed missâ hac calumniâ, alias *Leonis X.* res præclarè gestas prosequamur. Pacem inter Reges ac Principes Christianos *Leo X.* composuit, ut eorum arma in Turcam, communem hostem, converte-

ret, misſâque ad Regem Abyſſinorum *Davidem* Legatione, Chriſtianam Religionem apud illos propagare ſummoperè ſtuduit, necnon in America novis Epiſcopatibus erectis. Pragmaticam Sanctionem in Galliis abolevit *Leo* X. ejuſque abolitioni conſenſit *Franciſcus I.* Galliarum Rex, qui pepigit cum eodem Summo Pontifice Concordatum, cujus conditiones commodiùs referemus in Colloquio VI. agendo de Diſciplina Eccleſiaſtica Sæculi XVI. S. *Franciſcum de Paula*, Sacri Minimorum Ordinis conditorem, Sanctorum numero ſolemni ritu adſcripſit idem Pontifex primâ die Maji anni MDXIX. Dubia quædam circà Regulam Monialium *Sanctæ Claræ* declaravit, ac dilucidavit. *Julii II.* deceſſoris ſui Conſtitutionem contra pugnantes duello auctoritate Apoſtolica confirmavit. *Henricum VIII.* Angliæ Regem, ob librum contra *Lutheri* Hæreſim editum, perhonorifico *Defenſoris Fidei* titulo donavit. Cardinales creavit viros doctrinâ, & pietate clariſſimos, & inter illos, *Thomam de Vio Cajetanum* Ordinis FF. Prædicatorum, Virum eruditione, vitæ integritate, ingenii ſubtilitate, variiſque editis Operibus celeberrimum, qui Legatione Apoſtolica in Germania ad coercendum *Lutherum*, naſcentemque ejus Hæreſim profligandam functus eſt. Obiit *Leo X.* apoplexiâ oppreſſus die primâ menſis Decembris anni MDXXI. ætatis XLVI. Pôtificatus nono.

D. Cùm nuperrimè incidiſſem in librum cujuſdam Hæretici, qui *Leonem X.* Pontificem Maximum multis probris, injuriis, & calumniis acritèr perſtringit, inceſſit animum cupido legendi Epiſtolas *Deſiderii Eraſmi*, qui ſub Pontificatu

Leo-

Leonis X. floruit, quemque ipſimet Hæretici impensè laudare ſolent, ut illius Scriptoris teſtimonio, quod Hæreticis ſuſpectum eſſe non poteſt, eorum calumnias revincere poſſem. Nec me profectò ſuſcepti laboris pœnituit. Multas quippè offendi, & perlegi Epiſtolas, in quibus *Deſiderius Eraſmus* eximias dotes ac præclara *Leonis X.* Pontificis Maximi facinora maximis laudibus celebrat. In primis, in Epiſtola, quam hic Author ſcripſit ad *Leonem X.* Pontificem Maximum, quæque in recentiſſimâ illius Operum Editione, anno MDCCIII. Lugduni Batavorum adornatâ, extat ordine centeſima ſeptuageſima quarta, hæc de *Leone X.* habet *Deſiderius Eraſmus*, quæ illius Pontificis virtutem plurimùm commendant: *Senſit illicò Mundus* Leonem *Pontificem gubernaculis rerum admotum, repentè Sæculum illud pluſquàm ferreum, in aureum verſum: ac tanta, tamque fatalis ſubita rerum omnium commutatio, ut nemini non palàm eſſet, hæc auctore Deo geri. Compoſitæ bellorum undæ, cohibitæ Principum inter ipſos minæ, acerbis odiis diſſidentes maximorum Regum animi in Chriſtianam adacti concordiam, ſublatum pernicioſum illud Schiſma, & ita ſublatum tam ingens malum, ut ne cicatrix quidem ſuperſit..... Proindè optimo jure ſibi gratulatur Orbis Chriſtianus, talem* Leonem, *in cujus ore reperit mundus pluſquàm melleam dulcedinem. Quid enim pace dulcius? præſertim poſt graviſſimos ac diutinos bellorum tumultus, quibus inter nos collidebamur, immenſa Chriſtiani ſanguinis jactura, ingenti bonorum mentium dolore, magno Turcarum gaudio ..... Neutra certè in re ceſſat inaudita tua pietas, Pater beatiſſime, quæ ſimul & Chriſtianæ plebis religio-*

ligionem, jam olim multis collapsam modis, & in dies magis ac magis collabentem, saluberrimis, ut audio, Synodi Constitutionibus sarcit ac restituit, & hujusmodi Constitutionibus, non quæ quæstum, aut dominandi libidinem, aut tyrannidem oleant, sed quæ verè spiritum referant Apostolicum, quas quivis à Patribus, non à dominis profectos possit agnoscere, in quibus piæ mentes ipsum Christum veluti loquentem venerentur. Hac igitur via molitur Sanctitas Tua, ut Christi Ecclesia veris ac suis opibus locupletetur, ut sua præmineat gloria, ut sua polleat ditione: breviter, iis cœlestibus donis cumuletur, quæ nonnunquàm tum potissimùm exuberant, cùm cæteris illis destituimur maximè. Quanquàm nec alteram illius virtutis functionem videris negligere, ut qui conciliandis omnium inter se Principum animis componendisque Christianorum rebus, pulcherrimam pariter ac tutissimam struis viam ad impiam Turcarum gentem vel subigendam, vel profligandam. Non ferent aliquandò Leonis *nostri rugitum immanes illæ belluæ; sentient invictum illud* Leonis *mansuetissimi robur quantumvis truculentæ feræ, impares erunt Pontifici, magis pietate quàm copiis armato, ac numen etiam immortale secum in bella trahenti. Video jamdudùm Beatissime Pater, quàm ingens laudum tuarum campus se nobis aperiat, sed longè impar est hujus ingenioli vis rebus tantis explicandis; ad tam divina facinora, nostra non adspirat eloquentia, vel potiùs infantia. Atque utinam hoc studium detur eruditis omnibus, ut velint, tum ea facultas, ut possint omnium Sæculorum memoria dignas Leonis decimi virtutes dicendi viribus exæquare. Me quidem procul absterret tua celsitudo, quem enim illa non absterreat? Et ta-*

tamen nescio quo pacto, mihi vehementer gestit animus pro virili omnes ingenii nervos in hoc explicare, ut quanta extiterunt Leonis in Christianam gentem merita, tanta & posteris habeantur ac celebrentur, nullo unquam tempore intermoritura. Nec solùm in laudata ista Epistola, & in aliis, quos ad Summum Pontificem *Leonem X.* scripsit *Desiderius Erasmus*, quæque in recenti ejus Operum Editione insertæ sunt Ordine CXCIV. CCCCLIII. DXXIX. sed etiam in multis Epistolis, quas ad varios scripsit amicos, *Leonis X.* Pontificis Maximi mitissimum ingenium, bonarum Artium ac Litterarum singulare studium, raras dotes, & eximios mores deprædicat, eumque passim appellat Pontificem doctum, integrum ac pium, virtute Christum referentem; pacis publicæ vindicem; Virorum eruditorum patronum munificentissimum; tam benignum, ut de omnibus benemereri studeret; tam constantem, ut animum ad utramque fortunam infractum haberet; tam vigilem Pastorem, ut nihil sibi antiquius crederet, quàm Christi gloriam, & gregis concrediti procurare salutem. Ex his & similibus encomiis, quæ de *Leone X.* Pontifice Maximo contexit *Desiderius Erasmus*, Scriptor coævus, & cujus testimonium hæreticis suspectum esse haùd potest, facilè confutantur contumeliæ & calumniæ, quas quidam malè feriati moderni heterodoxi de industriâ excogitarunt, ut Vitam hujus Summi Pontificis aliquâ infamiæ labe aspergere possent, eo solo nomine, quòd hic Pontifex, avitæ doctrinæ Catholicæ retinendæ studiosissimus, ad profligandam nascentem *Lutheri* Hæresim curam omnem industriamque contulerit.

lerit. Sed mittamus illos Hæreticos, à quibus multò melius est vituperari, quàm laudari, & prosequamur, si placet, seriem aliorum Romanorum Pontificum, qui Sæculo XVI. *Leoni X.* successerunt.

M. Defuncto *Leoni X.* Pontifici Maximo successit *Hadrianus* hujus nominis *VI.* qui ante Pontificatum *Hadrianus* itidèm appellabatur, natione Batavus, ex ignobilibus parentibus natus, Facultatis Lovaniensis Doctor, *Caroli Austriaci*, Philippi I. Castellæ Regis filii, & postea Imperatoris, dicti *Caroli V.* Præceptor. A *Leone X.* in Collegium Cardinalium ob egregia merita adlectus, tandèm summo totius Collegii consensu, absens licèt, Romanus Pontifex electus est quinto Idus Januarii anni MDXXII. Hanc electionem non humanis studiis, atque factionibus, sed divino consilio factam fuisse, ex eo præcipuè probat *Franciscus Guicciardinus* libro XIV. *Historiæ* sui temporis, quam Italicè scripsit, quòd Cardinales *Hadrianum*, qui tanto regionum intervallo absens erat, cujus nomen vix erat ipsis cognitum, quique Italiam nec viderat unquàm, nec se visurum vel sperabat, vel cogitabat, Summum Pontificem, nemine reclamante, elegerint. Certè ipsemet *Hadrianus*, Pontifex Maximus, disertè testatur in Mandatis, quæ dedit *Francisco Cheregato*, Episcopo Aprutino, quem ad Conventum Norimbergæ in Germania coactum, Nuntium destinavit, se nunquàm Pontificatum ambivisse. In his quippè Mandatis (quæ legi possunt apud *Odoricum Raynaldum* Tomo XX. Annal. Eccles. ad annum MDXXII. Num. LXVI.) sic prædictum Nuntium *Hadrianus VI.* Pontifex Maximus, alloquitur: *Nos, uti aliàs tibi di-*

dixisse credimus, Pontificatum hunc nunquàm ambivimus, immò quantùm in nobis fuit, longè maluissemus privatam vitam agere, & in sancto otio Deo servire. Et profectò Pontificatum ipsum planè recusassemus, nisi Dei timor, & sincerus Electionis nostræ modus, necnon Schismatis ex recusatione nostra imminentis metus, Nos acceptare illum coëgisset. Subjicimus igitur colla summæ dignitati, non ob dominandi libidinem, neque ad ditandos propinquos nostros, sed ad divinæ voluntati parendum, ad deformatam ejus sponsam Ecclesiam Catholicam reformandam, ad subuentandum oppressis, & doctos & virtute præditos, qui multo jam tempore neglecti jacuerunt, erigendum & ornandum; & denique ad omnia illa agendum, quæ bonum Pontificem, & legitimum Beati Petri successorem agere oportet. Hoc sanctissimum consilium, quo permotus Pontificatum susceperat, executioni mandare pro viribus studuit *Hadrianus VI.* Ad pacem inter Principes Christianos, præsertim *Carolum V.* Imperatorem inter & *Franciscum I.* Galliarum Regem conservandam, ad Lutheranam Hæresim penitùs evertendam, ad reformationem morum in Clero promovendam, ad frangendas Turcarum vires statim animum adjecit. *Ludovico* Hungariæ Regi contra Turcarum impetum suppetias tulit, & auxilia misit ad Equites Hierosolymitanos à *Solimano II.* Turcarum Imperatore obsessos in Insula Rhodi, quam tamen Insulam, nobilissimum quondàm post Athenas Græcarum litterarum ac scientiarum domicilium, & firmissimum totius Christianismi adversùs immanem Turcarum tyrannidem propugnaculum, *Solimanus*, Turcarum Impera-

perator, cum summâ Christianorum Principum, ex torpore ad illius Insulæ conservationem ostenso, contractâ infamiâ, in suam potestatem redegit anno, ut in superiori Colloquio observavimus, millesimo quingentesimo vigesimo secundo. In Beneficiorum & Dignitatum Ecclesiasticarum distributione nihil carni & sanguini concessit *Hadrianus VI.* Pontifex Maximus. Cognatos, & affines suos, qui spe celsioris fortunæ Romam venerant, severis verbis excepit, eosque modico viatico donatos, sua relegere vestigia, & pedibus in patriam redire jussit. Nepotem suum, qui Beneficium annui census septuaginta Ducalium aureorum possidebat, & aliud pinguius, quod ad centum aureos ascendebat, obtinere cupiebat, asperâ admonitione corripuit, ac tandem multorum precibus exoratus consensit, ut opulentius Sacerdotium assequeretur eâ tamen lege, ut priore Beneficio sese abdicaret, asserens, se nullâ ratione pati velle, ut quisquam duobus Beneficiis, quibus annexa est cura animarum, simul frueretur, sed *Ecclesias Sacerdotibus, non Sacerdotes Ecclesiis ornare se velle*, sicut ex *Hieronymo Nigro*, Scriptore coævo, refert *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiæ ad ann. MDXXII. Num. XI. Multa gessit *Hadrianus VI.* ad compescendos tumultus, quos *Lutherus*, aliique Hæretici, in Ecclesiam Romanam dabacchantes, propudiosis per Germaniam sparsis libris, excitarunt, de quibus commodiùs agemus in proximo Colloquio, in quo referemus Hæreses, quæ Sæculo decimo sexto Ecclesiam exagitarunt. Regibus Hispaniæ concessit potestatem *Hadrianus VI.* nominandi Episcopos, sicut

ſicut *Leo X.* Regibus Galliæ anteà conceſſerat. Beatos *Antoninum*, Florentinum Archiepiſcopum, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptum, & *Bennonem* Miſnenſem Epiſcopum, Sanctorum Catalogo adſcripſit ultimâ die menſis Maji anni MDXXIII. quo anno multis virtutibus clarus, & perdoctis editis Operibus, quæ in Colloquio quinto, ubi agemus de Viris Illuſtribus decimi ſexti Sæculi, recenſebimus; obiit religioſiſſimus ille Pontifex decimo octavo Kalendas Octobris, poſtquàm annum unum, menſes octo, & dies ſex Chriſti Eccleſiam Sanctiſſimè rexiſſet, eique Epitaphium iſtud poſitum eſt: *Hadrianus Sextus hìc ſitus eſt, qui nihil ſibi infelicius in vita duxit, quàm quòd imperaret*. Non defuerunt malevoli detractores, Critici, & Blaterones, qui hunc Pontificem Sanctimoniâ licèt, doctrinâ, Chriſtianâ prudentiâ, & omnibus ad Eccleſiam ſanctè regendam dotibus neceſſariis præditum, jamque è vita ſublatum, contumeliis proſciderunt, ſicut ex *Paulo Jovio*, qui Vitam *Hadriani VI.* ſcripſit, narrat *Spondanus* ad annum MDXXIII. Num.xx. At ejuſmodi contumelias falſi convincit *Blaſius Ortizius*, Canonicus Toletanus, qui Itinerarium *Hadriani VI.* Pontificis Maximi, cujus domeſticus fuerat, ſcripſit, in quo, poſtquàm capite quadrageſimo laudavit *Hadriani VI.* modeſtiam, frugalitatem, continentiam, cæteraſque Pontificias dotes, quæ in gradu heroico in ipſo fulgebant, hæc ſubdit: *Audactèr fortaſſis aſſerere poſſum, ut domeſticus teſtis, quòd neque vidi, neque perſenſi quidquam ſiniſtrum aut minus grave in dictis aut factis; immò quaſi ſpeculum cunctarum virtutum, antequàm Urbem ingrederetur, ut*

ut cuncti noverunt. Cujus orationi studium vehemens succedebat, & studium interdùm oratio interpellabat, ita ut solùm ea tempora, quæ naturæ necessitas exigit, victui & quieti concederet, cætera omnia officiis divinis ac humanis ita distribuens, ut humani generis adversario nullum locum vacuum relinqueret. At quid moror in illius præconiis enarrandis, cùm esset vir ex omni parte irreprehensibilis. Hoc *Hadriani VI.* Itinerarium, à *Blasio Ortizio*, ejus Domestico, scriptum, Vir Clarissimus *Stephanus Baluzius* ex veteri Codice manuscripto Navarrici Collegii publicavit, inseruitque libro III. *Miscellaneorum*.

D. Sæpè usu venire solet, ut vivi meritâ laude fraudentur, at Viros illustres, qui vitâ jam defuncti sunt, maledictis insectari, summa ignavia & iniquitas est, acerbis pœnis meritò castiganda: *pascitur in vivis livor, post fata quiescit*, inquit *Ovidius*, cui concinit *Plautus* in *Truculento*, Actu I. Scenâ II. dicens: *Dùm vivit, hominem noveris: ubi mortuus est, quiescas*, facilè itaque crediderim, eos, qui jam extinctum *Hadrianum VI.* Pontificem optimum, probrosis calumniis dilacerarunt, omnem penitùs exuisse frontem, ac bibisse fæcem iniquitatis. Sed, missis illis malevolis obtrectatoribus, alios, obsecro te, percense Romanos Pontifices, qui *Hadriano VI.* Sæculo decimo sexto successerunt.

M. *Hadriano VI.* Pontifici Maximo suffectus est summo Cardinalium consensu *Julius Mediceus*, qui *Leonis X.* patruelis erat, S. *Laurentii in Damaso* Cardinalis Presbyter, & Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarius. Ad summum itaque Pontificatum pro-

provectus *Julius Mediceus* decimo tertio Kalendas Decembris anni MDXXIII. voluit appellari *Clemens VII.* fuitque Pontifex in suis actionibus gravis, sagax, victor sui, in adversis sibi semper constans, & in Catholica Fide tuenda, comprimendisque Novatoribus, qui Lutheranæ Hæresis virus in Gallia, Germania, aliisque Regnis & Provinciis diffundere conabantur, vigilantissimus. Gravissimas turbas, quibus toto ferè sui Pontificatus tempore agitatus fuit *Clemens VII.* jam obitèr in superiori Colloquio insinuavimus, quas tamen paulò uberiùs hìc explicare necesse est, quò faciliùs omnia, quæ præclarè gessit, vel ab iniquis passus est Summus ille Pontifex, comperta ac explorata habere possis. Incipiam autem à Bello, quod *Carolus V.* Rex Hispaniæ & Imperator adversùs hunc Pontificem movit eo solo nomine, quòd *Clemens VII.* fœdus iniisset cum Regibus Galliæ & Angliæ, cum Venetis, & *Francisco Sfortia* Mediolanensium Duce pro Italiæ libertate tuendâ, & recuperandis *Francisci I.* Galliarum Regis filiis, quos *Carolus V.* captivos in Hispania detinebat, postquàm Regem *Franciscum I.* quem in Ticinensi, seu papiensi pugna captum in Hispaniam abduxerat, liberum è custodia dimisisset, sicut jam observavimus in superiori Colloquio. Eo fœdere irritatus *Carolus V.* bellum *Clementi VII.* indixit, eique initium Romæ dedit *Columnensium* familia, quæ *Carolo V.* addictissima occultè adversùs Pontificem anno MDXXVI. conspiravit. Cardinalis *Columnensis Vespasianus*, ejusque frater *Pompejus* cum *Hugone Moncada* Hispano, & Regni Neapolitani Pro-Rege, nemine de ipsorum molitione suspican-

te, Urbem summo mane cum octingentis Equitibus & tribus peditum millibus ingressi, ad Vaticanum contenderunt, eorumque inopinato adventu territus Pontifex cum nonnullis Cardinalibus in arcem S. Angeli actutùm se recepit. Hostes verò, Palatio Pontificio sacrâ omni prophanâque supellectili direpto, in Basilicam quoque S. *Petri* nefarias manus injecerunt, eamque pariter diripuere cum opulentioribus suburbii domibus. Hæc fuerunt præludia Belli, quod licèt, compositis induciis, brevi aliquo temporis intervallo utcùmque sopitum fuerit, paulò post tamen vehementiùs exarsit, ac multas Romæ funestas clades intulit. Missus quippè in Italiam cum valido exercitu à *Carolo V.* Imperatore conjuratus Christianissimi Regis *Francisci I.* & Galliæ, patriæ suæ, hostis *Carolus Borbonius*, Romam obsedit, sed in murorum expugnatione plumbeo globo minoris tormenti ictus occubuit, ejusque corpus à Cæsarianis militibus Cajetam asportatum sepulturæ mandatum est superbo hoc Epitaphio illius sepulchro apposito:

Aucto Imperio, Gallo victo,
Superata Italia, Pontifice obsesso,
Roma Capta,
Carolus Borbonius in Victoria Cæsus,
Hìc jacet.

Demortuo *Carolo Borbonio* in Cæsariani exercitus, qui magna ex parte, ut asserunt coævi Scriptores, ex Lutheranis militibus conflatus erat, Imperium confestim successit *Philibertus* Princeps Arausicanus; qui Romam obsidione cinctam cepit, ac ferro flammâque devastavit. Hanc Urbis dire-

direptionem, quæ accidit anno MDXXVII. *Petrus Justinianus* libro XII. *Historiæ Venetæ* elegantèr describit his verbis: *Contigit miserabilis, fœdaque Romanæ Urbis direptio, qualis olim nec à Gothis, nec à Longobardis, Vandalisve facta legitur. Hispani, Germanique milites in omne crudelitatis genus prolapsi multas Urbis partes incendunt, Sacra, profanaque diripiunt, omniaque fuga, tumultu, terrore ac cæde replent: nec Cardinales, Episcopi, cæterique viri religiosi impias deprædantium effugere manus. Ædes quoque sacræ ad unam omnes spoliatæ sunt, vasaque libatoria, divinis rebus dicata, in prædam nefariè acta, ab altaribusque ablatæ aureæ Cruces, pretiosa candelabra, Sacerdotalia indumenta, atque usque in sacrosancta Domini Corporis tabernacula rapaces manus injectæ, omnesque tandem Ecclesiarum thesauros barbarico fastu, immanique avaritia crudelis hostis expilavit; atque in Religionis Christianæ ludibrium Virgines Sacras vel violavit, vel expoliatas in publicum nudo corpore traxit: Cæteras quoque Matronas eadem ignominia affecit: nullum præterea fuit genus hominum, nulla tota Roma vel publica, vel privata domus, quæ furentis, sacrilegique hostis manus evaserit.* His adjungit *Joannes Cochlæus*, Scriptor Germanus, & coætaneus, *milites*, Cæsarianos Sectæ Lutheranæ, *ex veteri Cappella Papæ, in qua ejus Cantores quotidiè Missam, pias preces, & horas canere solebant, fecisse stabulum equorum, Cardinalium vestes, ac pileos in eorum opprobrium induisse, fictumque creasse Papam ex Landesknechio, qui dixerit in ficto suorum Cardinalium cætu, & Consistorio, se donare Papatum Luthero: Quisvis militum id approbet, dexteram in altum tollat. Milites itaque levasse ma-*

num ac clamasse : *Lutherus* Papa , *Lutherus* Papa . Interim , dùm hæc agerentur , & teterrima esset captæ Urbis Romæ facies , *Clemens VII.* Pontifex Maximus , in Molem *Adriani* , quæ Arx S. *Angeli* nunc vocatur, sese recepit . Hanc Arcem *Philibertus* , Dux Arausicanus, perductâ in circuitu fossâ, dispositisque per loca præsidiis,circumvallavit , ne qua subsidia vitæ incluso Pontifici suppeditarentur,sicque fame,& penuria ad deditionem adigeretur,ad quā demùm coactus sub durissimis conditionibus fuit , nec libertate donatus , nisi postquàm illas omnes implevisset. Hæ autem fuerunt conditiones . Primò , ut Summus Pontifex quadraginta aureorum millia numeraret . Secundò , ut præcipuas Ecclesiasticæ Ditionis Arces , unà cum Castro S. Angeli, ac Placentiam, Parmam, Mutinam Civitates , Imperatoris potestati , quandiù ei libitum foret , retinendas permitteret . Tertiò , ut Summus Pontifex cum tredecim Cardinalibus , quos secum habebat , donec pars pecuniæ soluta fuisset , captivus detineretur , & obsides Exercitui pro reliquâ pecuniâ darentur . Postremò , ut *Columnenses* Sacris , & Dignitatibus Pontificiâ sententiâ privati , restituerentur in integrum . His adimpletis conditionibus , *Clemens VII.* Pontifex Maximus in libertatem assertus, pacem, & amiciciam , extinctis prioribus simultatibus, inivit cum *Carolo V.* eique solemni ritu Imperii coronam imposuit Bononiæ anno MDXXX.

Alterum non minoris momenti negotium *Clementis VII.* Pontificatum turbavit, illudque originem habuit ex perditis *Henrici VIII.* Angliæ Regis in *Annam Bolenam* amoribus , quibus , ut in supe-

ſuperiori Colloquio jam obſervavimus, incitatus ille Rex, & pravis *Thomæ Volſei* Cardinalis, Archiepiſcopi Eboracenſis, & Regni Cancellarii, conſiliis impulſus, contractum olim matrimonium cum *Catharina*, filiâ Regum Catholicorum *Ferdinandæ*, & *Iſabellæ*, & materterâ *Caroli V.* Imperatoris, à Summo Pontifice irritum declarari rogavit. Huic injuſtæ Regis petitioni annuere noluit *Clemens VII.* cauſamque ad ſe Romam evocavit, toto tamen triennio Sententiam ferre de induſtria procraſtinavit, ne Regem libidinis impotem unà cum Regno præcipitem ageret, quamvis *Carolus V.* Imperator, ac *Ferdinandus*, Rex Catholicus, SummumPontificem ad ferendam Sententiam acerrimè compellerent. Sed effrænis Regis libido, & adversùs Authoritatē Apoſtolicam contumaciæ Cenſuras à Pontifice extorſerunt, poſtquàm *Thomas Cranmerus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, matrimonium *Catharinæ* cum *Henrico VIII.* Angliæ Rege irritum latâ ſententiâ pronunciaſſet, eâque nixus *Henricus* Rex clandeſtinum cum *Anna Bolena*, quæ jam gravida erat, conjugium contraxiſſet. Tunc Summus Pontifex *Clemens VII.* in ſecreto Conſiſtorio die trigeſimâ menſis Julii anni MDXXXIII. Sententiam peremptoriam tulit, quâ ejectionem ac ſpoliationem *Catharinæ* Reginæ à poſſeſſione juris conjugalis, & Regiæ dignitatis, & Matrimonium inter *Henricum VIII.* Angliæ Regem, & *Annam Bolenam* contractum nullum, injuſta, & attentata fuiſſe, & eſſe declaravit, prolemque ſuſceptam vel ſuſcipiendam, illegitimam fuiſſe, & eſſe; ipſamque *Catharinam* Reginam ad ſuum priſtinum ſtatum, & quaſi poſſeſſionem ju-

ris conjugalis, & Regiæ Dignitatis restituit: Annam Bolenam à Regio thoro, & quasi possessione ejusdem Juris, & Dignitatis eiici ac amoveri debere, prout ipse Pontifex restituit, & reponit, reiicit, & removet. *Henricum* Regem in majorem Excommunicationem, & alias Censuras & pœnas, ob inobedientiam, & contemptum Mandatorum Sedis Apostolicæ incurrisse declaravit, suspenso nihilominùs ad mensem Censurarum effectu, ut rex ad officium redire, & Pontificiæ sententiæ commodiùs obtemperare posset. Hæc in *Henricum VIII.* Regem Pontificia Sententia legitur apud *Sanderum* libro 1. *De schismate Anglicano* pag.76. Non resipuit tamen *Henricus VIII.* sed potiùs eâ sententiâ exacerbatus in Summum Pontificem furere cœpit, &, sicut in superiori Colloquio ostendimus, funestum induxit schisma Anglicanum, quod etiamnùm perdurat. Sunt nonnulli Scriptores, qui ex eventu facta metientes, dictitant, *Clementem VII.* nimiâ festinatione Sententiam tulisse, suoque præpropero judicio *Henricum VIII.* Angliæ Regem, totumque Regnum in hanc schismatis voraginem submersisse. Sed ab hac calumnia prædictum Pontificem egregiè vindicat Cardinalis *Palavicinus* libro III. *Historiæ Concilii Tridentini* cap.xv. & nemo est, si à præjudiciis liber sit, qui hujus Pontificis Sententiam æquissimam fuisse ultrò non fateatur, cùm *Henrici VIII.* Angliæ Regis indomita libido, despecta matrimonii religio, publicum propudiosæ vitæ scandalum, & abjecta Supremo Ecclesiæ Capiti, Summo Pontifici, Christi in terris Vicario, debita reverentia pœnâ anathematis jure optimo ple-

cti

ßi deberent. Consultò hìc prætermitto res, quas præclarè gessit *Clemens VII.* ad profligandam glišcentem Lutheranorum hæresim, quia de his commodiùs agemus in proximo Colloquio, ubi varias referemus Hæreses, quæ Sæculo XVI. eruperunt, magnumque ei dedecus asperserunt. Obiit Summus ille Pontifex Romæ die XXVI. Septembris anni MDXXXIV. annos natus quinquaginta sex. Deiparæ Virgini devotissimus fuit, piumque Rosarii Sodalitium in ejus honorem institutum non solùm Auctoritate Apostolicâ commendavit, verùm etiàm Indulgentias Sodalibus Rosarium recitantibus à Summis Pontificibus *Sixto IV.* & *Leone X.* concessas ampliavit. Nonnullas Congregationes recens institutas, videlicèt Congregationem Clericorum Regularium, qui *Theatini* vocantur, Congregationem FF. Minorum strictioris Observantiæ, & Congregationem Clericorum Regularium S.*Pauli Decollati* in Diœcesi Mediolanensi, approbavit idem Pontifex. Sed de istarum, & aliarum ejusmodi Congregationum, & Regularium Ordinum Institutionibus, Conditoribus, ac Pontificiis approbationibus disserendi se se opportunior dabit occasio in Colloquio sexto, in quo ea, quæ ad Monasticam, seu Regularem Sæculi XVI. spectant Disciplinam, uberiùs exponemus.

D. Fuitne consimilibus turbis perindè agitatus Pontificatus Successoris *Clementis VII.* Supremi totius Ecclesiæ Pastoris?

M. Post solemnes Exequias, ut moris est, mortuo *Clementi VII.* persolutas, *Alexander Farnesius*, Cardinalis & Episcopus Ostiensis, concor-

dibus Cardinalium suffragiis, Pontifex Romanus die decimâ tertiâ mensis Octobris anni MDXXXIV. electus est, dictusque *Paulus III.* Quem fuisse Ponticem multis insignibus virtutibus clarum, humanitate, affabilitate, clementiâ, comitate, prudentiâ, diuturno rerum usu comparatâ, cæterisque aliis virtutibus præditum, & litteris apprimè excultum, testatur *Onuphrius Panuinus* in hujus Summi Pontificis Vita. Ecclesiam, sedente *Paulo III.* Pontifice Maximo, gravissimis turbis exagitavit *Henricus VIII.* Angliæ Rex, in sceleribus, Schismate, Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ contemptu, & in Catholicorum sævissima persecutione obduratus. Et primò quidem, ut in Romanum Pontificem virus suum expectoraret impius ille Rex, jussit (teste *Sandero* Scriptore Anglo, libro I. de *Schismate Anglicano*) *ut omnis potestas, ac jurisdictio in Anglos, & Hibernos Pontifici Romano in perpetuum adimeretur, reusque perduellionis fieret, si quis deinceps quidquam honoris, aut auctoritatis Sedi Apostolicæ deferret: Anglicanæ verò Ecclesiæ summum in terris caput ut solus Rex haberetur, cujus solius esset auctoritate plenissima errores, Hæreses, abusus omnes emendare, & illi propterea omnium Sacerdotiorũ integri proventus primi cujusq; anni, quo quis beneficium aliquod sortitus esset, solverentur; illi omnium Ecclesiasticarum Dignitatũ Decimę redderentur; quin immò, ipsum Papæ vocabulum consecutus, edici curavit, ut de cætero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa, sed tantùm Episcopus ..... In Litaniis prætereà, precibusque, quæ tùm privatim, tùm publicè in omnibus Oratoriis, Ecclesiis, Monasteriis, aliisque in locis recitabantur;*

loco

loco petitionis illius, quæ pro Domno Apostolico à Christi fidelibus per universum Orbem fieri solet, Henricus Rex hæc impia verba apponi, imprimique præcepit: Ab Episcopi Romani tyrannide, & detestandis enormitatibus libera nos Domine. In omnes Catholicos, qui eum, tanquam Supremum Status Ecclesiastici caput agnoscere detrectabant, crudeliter sæviit *Henricus* Rex, eosque morte affecit, præcipuè *Fischerum* Roffensem Episcopum, à *Paulo III.* Pontifice Maximo purpurâ donatum, & *Thomam Morum* Angliæ Regni Cancellarium, qui ambo pro defensione Primatus Romani Pontificis constanter mortem oppetentes Martyrii palmam adepti sunt. Hanc immanem in Catholicos persecutionem novo sacrilegio cumulavit *Henricus VIII.* Angliæ Rex, dùm S. *Thomam*, olim Cantuariensem Archiepiscopum, tanquàm in perduellem Sententiam dicere, ejus memoriam penitùs damnare, ossa igni, cineres fluvio, Templi ornamenta fisco Regio addicere ausus est. Sic furentem *Henricum VIII.* compescere volens *Paulus III.* Pontifex Maximus, Sententiam in ipsum tulit, duoque Diplomata promulgavit, unum tertio Kal. Septembris anni MDXXXV. alterum die XXV. Decembris anni MDXXXVIII. in quibus in perduellem, & hæreticum Regem non solùm Censuris Ecclesiasticis animaduertit, sed etiam declarat, subditos à juramento fidelitatis, & omni ergà Regem subjectione esse omninò absolutos, eisque sub pœna Excommunicationis præcipit, *ut ab ejusdem Henrici Regis, suorumque Officialium, Iudicum, & Magistratuum quorumcumque obedientia penitùs recedant, nec illos in superiores recognoscant*. Extant hæc duo

Pau-

Pauli III. Diplomata Tomo II. Bullarii Romani, de quibus legendus est jam citatus *Sanderus* lib. I. *De schismate Anglicano.* Verùm, quod magis dolendum est, dùm Rex *Henricus VIII.* Catholicam Religionem in Anglia, & Scotia abolere pro viribus satagebat, *Lutherus* in Germania, *Calvinus* in Gallia, *Zuinglius* in Helvetia, aliique nefarii Hæretici, ut in proximo Colloquio commonstrabimus, in Lituania, Suecia, Dania, & Prussia suos errores impunè disseminabant. Ad tot profligandas Hæreses, & domandam Hæreticorum pertinaciam, Concilium Generale Tridentinum, de quo in quarto Colloquio latè disseremus, convocavit *Paulus III.* Pontifex Maximus, illudque cæptum est die XIII. Decembris anni MDXLV. continuatum sub *Julio III.*, & absolutum sub *Pio IV.* die IV. Decembris anni MDLXIII. Undecim hujus Concilii Tridentini Sessiones sub *Paulo III.* celebratæ sunt, octo videlicet Tridenti, & tres Bononiæ, quò translatum est istud Concilium authoritate Pontificiâ Legatis demandatâ anno MDXLVII. ob contagiosum morbum, qui Tridenti grassabatur, sed ortâ inter Patres ob eam translationem dissensione, Concilium à *Paulo III.* suspensum est anno MDXLIX. Ad promovendam hujus Concilii Tridentini celebrationem *Paulus III.* præcipuas curas adhibuit in Christianis Principibus conciliandis, sed potissimùm *Carolo V.* Imperatore, & Rege Christianissimo *Francisco I.* quos in concordiam ut faciliùs revocare posset, Niciam ipsemet Pontifex ad Colloquium venit cum utroque Principe anno MDXXXVIII. induciasque inter eos in decem annos firmavit. Edictum, quod in Conven-

ventu Spirensi *Carolus V.* Imperator anno MDXLIV. promulgaverat, tanquàm Religioni Catholicæ periculosum, & Sedi Apostolicæ indecorum, reprobavit *Paulus III.* ut videre est in litteris, quas ad eumdem Imperatorem scripsit, & quæ extant apud Cardinalem *Palavicinum* libro v. *Historiæ Concilii Tridentini* cap. 6. Improbavit etiam idem Summus Pontifex libellum ab eodem Imperatore in Comitiis Augustanis anno MDXLVIII. promulgatum, quem *Interim* nuncuparunt, quòd præscriberet quidquid interim usque ad futuri Concilii Generalis Decreta credendum esset. Hunc, inquam, Libellum (qui præcipua capita, quæ per recentes controversias agitabantur, viginti sex articulis digesta complectebatur) improbavit, *Paulus III.* Pontifex Maximus, tùm quia *Carolus V.* Imperator in hoc publicando libello quamdam in causa Fidei auctoritatem sibi arrogasse videbatur; tùm quia etiam idem Imperator in prædicto libello contra sancitam in Ecclesia de servando Cœlibatu legem concedebat Sacerdotibus, ut in conjugio, quod contraxerant, persisterent; & Laicis, qui communioni sub utraque specie assueverant, permittebat, ut hunc communicandi ritum retinerent, & super utroque capite futuri Concilii sententiam expectarent. Hunc itaque infaustum *Caroli V.* libellum à Summo Pontifice proscriptum repudiarunt Catholici, quin & ipsimet Hæretici eum approbare renuerunt, sed illum pauci dumtaxat Lutherani susceperunt, qui ideo *Interimistæ* fuerunt appellati, ut videre est apud *Hosium* Cardinalem in libro *De Hæresibus hujus temporis*. Ad depravatos Clericorum mores corri-

rigendos, & ad restaurandam collapsam Ecclesiæ Disciplinam *Paulus III.* instituit Cœtum gravissimorum, & doctissimorum quatuor Cardinalium, & quinque Præsulum, quibus adjunxit *Gregorium Cortesium* Abbatem *S. Georgii* Venetiarum, Ordinis Benedictini, & *Thomam Badiam* Magistrum Sacri Palatii, Ordinis FF. Prædicatorum, qui ut vehementi Summi Pontificis desiderio facerent satis, Libellum confecerunt, quo præcipua reformationis capita ad tollendos serpentes abusus, ad rectam universæ Ecclesiæ disciplinam, & œconomiam, ipsiusmetque Pontificis, & Episcoporum officium pertinentia, summo candore, & pari diligentiâ comprehenderunt, illumque Romano Pontifici obtulerunt anno MDXXXVIII. Hæc reformationis Capitula, seù selectorum Cardinalium, & Prælatorum ad *Paulum III.* Monita, fuerunt Antuerpię edita anno MDXXXIX. Parisiis anno MDCXII, eaque integra *Petrus Crabbe*, Ordinis Minorum, in sua Conciliorum Editione præposuit Synodo Tridentinæ, velut ejus exordium. Dùm hæc, & alia utilissima pro emendatione morum, & resarciendâ Ecelesiæ Disciplinâ animo pervolueret *Paulus III.* Pontifex Maximus, obiit quarto Idus Novembris anni MDXLIX. ætatis suæ octogesimo primo, Pontificatus decimo quinto. Testatur *Spondanus* ad annum MDXLIX. Num. XII. hunc Pontificem, multis aliundè virtutibus clarum, domesticæ amplificandæ atque evehendę fortunæ supra modum studiosum fuisse, eumque, paulò antequam moreretur, proximorum suorum, quos plus æquò dilexerat, ingratitudinem incusasse, ac subindè illud Davidicum ingeminasse: *Si mei non fuissent*

fuissent dominati, tunc immaculatus essem, & emundarer à delicto maximo. Observat idem *Spondanus*, nullam prorsùs fidem adhibendam esse calumniis, quas, ad obterendam *Pauli III.* Pontificis Maximi famam, hæretici & apostatæ *Ochinus*, *Vergerius*, *Baleus*, *Sleidanus*, aliique ejusmodi impuri & perversi homines de industria confinxerunt.

D. Tot inter laudes, quibus jam aliquos Sæculi XVI. Romanos Pontifices exornasti, hæc una instar omnium mihi esse videtur, quòd videlicèt profligandis Hæresibus, quibus istud Sæcuculum exundabat, ac sanciendæ Disciplinæ Ecclesiasticæ infatigabili zelo incubuerint. Hanc, inquam, laudem non imminuet tempus, non deteret oblivio, & licèt totus collabatur orbis ac pereat, vivet illa tamen, æternùmque stabit. Sola pietas Romanis Pontificibus hanc mentem injecit, ut rem tantam, tamque Ecclesiæ salutarem magnis aggrederentur animis, administrandæ modum præscripsit sapientia, perficiendæ felicitas præfuit. Nihil hoc opere, si causam intueamur excelsius; si progressum & ordinem, nihil ad sapientiæ leges accommodatius; si exitum, nihil propiùs miraculo fingi, & excogitari potest. Verbo dicam, Romanis Pontificibus Sæculi decimi sexti debemus, quod, pulsis Hæreticorum erroribus, sancita sit Religionis avitæ majestas, legum auctoritas asserta, Ecclesiasticæ Disciplinæ restitutus splendor, & veritas, discussâ omni caligine, per se jam luceat, & gloriosè triumphet. Sed perge aliorum Romanorum Pontificum res præclarè gestas continuâ serie describere, ut indè constet, illos pietate, doctrinâ, & indefesso labore

bore de Hæresibus Sæculi XVI. triumphos egisse.

M. Post obitum *Pauli III.* tribus ferè mensibus vacavit Sedes Apostolica. Multi Cardinales se se propensos exhibuerunt ad eligendum in Romanum Pontificem *Reginaldum Polum*, Cardinalem, natione Anglum, in quo nobilitas sanguinis regii, & insignis morum gravitas juxtà & probitas cum doctrina eximia conjunctæ erant, quique Pontificiis Legationibus præclarè functus fuit in Gallis, in Belgio, & in Anglia, ubi, *Maria* regnante, Catholicam Religionem restituit. At *Reginaldo Polo* tam sublimem dignitatem pertimescente potiùs quàm appetente, ac seriò monente Cardinales, ut omnia sua consilia ad Dei tantummodò honorem, & Ecclesiæ utilitatem referrent, contigit, ut præter omnium expectationem ad Summum Pontificatum consentientibus suffragiis electus sit sexto Idus Februarii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi *Joannes Maria De Monte* Cardinalis, Episcopus Prænestinus, qui *Julii III.* nomen sibi adscivit, cum hac Sententia: *Vias tuas Domine demonstra mihi*. Eo sedente Romano Pontifice, tria memoratu digna contigerunt, quæ hìc ordine referemus. In primis, Concilium, quod sub *Paulo III.* in Tridentina Civitate anno MDXLV. cœptum fuerat, & ab eodem Pontifice Bononiam anno MDXLVII. translatum, ac tandem anno MDXLIX. ob exortas inter Patres super hac translatione dissensiones suspensum erat, *Julius III.* Pontifex Maximus Diploma de Concilio in Civitate Tridentina resumendo promulgavit Kalendis Decembris anni MDL. scripsitque ad omnes

omnes Reges ac Principes Christianos, ut justis ac piis ipsius hac in re votis annuerent; monuit insuper omnes Prælatos, aliosque, qui de jure, vel consuetudine, vel privilegio, Concilio Generali interesse debent, ut ad Concilium in Civitate Tridentina proximis futuris Kalendis mensis Maji anni sequentis, seu MDLI. resumendum, & prosequendum, legitimo cessante impedimento, accederent. Hoc pacto Concilium in Civitate Tridentina continuatum est, ac sex sub *Julio III.* Sessiones fuerunt celebratæ. At propter Parmense bellum inter Imperatorem *Carolum V.* & Regem Christianissimum *Henricum Secundum*, cujus in fidem, & clientelam se contulerat *Octavius Farnesius* Dux Parmensis à Cæsare bello petitus, coactus est *Julius III.* Pontifex Maximus in tanto belli apparatu & armorum strepitu celebrationem Concilii Tridentini suspendere in Cœtu Purpuratorum Patrum die XV. Aprilis anni MDLII. sicùt fusiùs ostendemus in quarto Colloquio, ubi agemus de Conciliis, quæ Sæculo XVI. habita sunt. Altera res memorabilis, quæ sub Pontificatu *Julii III.* contigit, in hoc consistit, quòd dum Lutherani, & Calvinistæ cœco furore abrepti Ecclesiam Romanam impeterent, & Romani Pontificis Primatum apertâ fronte oppugnarent, Divinæ Providentiæ dispositione factum est, ut Syri, qui Nestoriano Schismati diutiùs adhæserant, ad Ecclesiæ Romanæ fidem & unitatem reversi sint, miserintque ad *Julium III.* Legatos, qui eorum nomine obedientiam ipsi exhiberent, & Romani Pontificis Primatum colerent, palàmque profiterentur. Inter hos Legatos, qui à Syris Romam missi sunt, præcipuus

erat

erat *Simon Sulakas*, totius Orientis trans Euphratem usque ad Indos Patriarcha electus, qui, oblatâ Relatione historicâ Ecclesię ac Religionis illarum regionum, Fidei professionem in Palatio Apostolico magnâ celebritate emisit die xx. mensis Februarii anni MDLIII. eumque *Julius III.* Pontifex Maximus doctrinâ ac morum probitate præstantem, & Catholicâ fide probatum, Episcopum consecrari jussit, & Patriarchali pallio suis manibus in Consistorio ornavit, ac demùm variis muneribus donatum remisit in patriam, adjunctis ei aliis nonnullis Religiosis Viris, linguæ Syriacæ, & rituum Ecclesiæ Romanæ peritis, qui Catholicam Religionem in his nationibus propagare possent. Extant litteræ ad *Julium III.* Pontificem Maximum ab iis Orientalibus per *Sulakam* scriptæ, quas *Andreas Masius* ex Syriaco Latinas fecit, in quibus primò rogant *Julium* Pontificem, ut prædictum *Sulakam*, quem Patriarcham elegerant, confirmare ac consecrare velit, & unà cum ipso in patriam regressuro mittat Viros idoneos, à quibus de Fidei rebus edoceri queant. Secundò, apertè docent, sincerisque animis profitentur Primatum Romani Pontificis his verbis: *Tu sedes in sede alta, & sublimi Principis Apostolorum, tenentis Claves Regni Cælestis, cui ore suo salutari Dominus noster dixit: Quidquid ligaveris in terra, erit ligatum, & in Cælo, & quidquid solveris in terra, erit solutum & in Cælo, & super eum fundavit Ecclesiam suam, adversùs quam Portæ Inferi non valebunt in generatione generationum..... Tu es caput omnium Patrum, sicut erat Petrus Caput omnium Discipulorum, cui ut est data Sedes alta, & sublimis in terra, sic*

sic his vltimis temporibus alta , & excelsa est Sedes tua , ipsa Roma magna , & celeberrima . Plura de hac Syrorum Legatione , eorumque cum Ecclesia Romana unione legesis apud *Onuphrium Panuinum*, qui rem pleniùs narrat in Vita *Julii III.* Pontificis Maximi. Denique, sub Pontificatu *Julii III.* sublatum est Schisma Anglicanum , Regnante *Maria* , Regis Angliæ *Henrici VIII.* & *Catharinæ* filiâ , quæ ut damna à suo patre Ecclesiæ Catholicæ illata resarciret,evocavit in Angliam Cardinalem *Reginaldum Polum*, Summi Pontificis *Julii III.* Legatum , qui Anglos declarantes, pœnitere se scissuræ & ab Ecclesia Romana defectionis , atque ab eo veniam & in gremium Ecclesiæ restitutionem postulantes , absolvit solemni ritu à Schismate , eosque Ecclesiæ Romanæ , auctoritate sibi à Summo Pontifice concessâ , reconciliavit pridiè Kalendas mensis Decembris anni MDLIV.Curavit etiam posthæc idem Cardinalis, Sedis Apostolicæ Legatus, ac diligentissimè invigilavit, ut hortationibus,Synodis, aliisque modis Catholica Religio in Anglia instauraretur , redirent pii viri exules , pellerenturque è contra depravatæ & hæreticæ doctrinæ sectatores, frequentarentur Academiæ,Cleri restitueretur disciplina , populi reformarentur mores, & antiqua Instituta , piæque consuetudines postliminiò revocarentur . Hanc Regni Angliæ mutationem , quæ certè fuit *Dexteræ Excelsi* , statim ac *Julius III.* accepisset à Legatis Romam missis , qui Regum & Ordinum Angliæ nomine obedientiam Sedi Apostolicæ , eique præstiterunt , in summam lætitiam effusus Summus Pontifex , supplicationes publicas non in Urbe tantùm , sed per Italiam

universam, gratiis Deo agendis, decrevit, & Indulgentiam ad modum Jubilæi per Christianum Orbem in gratiarum actionem publicavit. Inter *Carolum V.* Imperatorem, & Christianissimum Regem *Henricum II.* quorum iræ ac simultates in dies exasperari videbantur, pacis conciliandæ percupidus fuit *Julius III.* probè sciens, per horum Principum discordias nova quotidiè incrementa Turcas, & Hæreticos suscipere, quos posteà coercere, atque in ordinem redigere facilè non esset. Legatos itaque ad illos misit, eisque etiam per litteras significavit, seipsum ad pacem componendam lubentissimo animo accessurum, ubi primùm ambo Principes in eam propenderent. Reipublicæ Christianæ Leges utilissimas edidit *Julius III.* & inter alias, contra Blasphemos & Hebræos Edicta severissima promulgavit, Incredibilem in subditos mansuetudinem & clementiam exercuit, & à cupiditate agnatos suos ultra modum locupletandi alienus fuit. Obiit optimus ille Pontifex decimo Kalendas Aprilis anni MDLV. ætatis suæ anno sexagesimo septimo, mense sexto, Pontificatus anno quinto, die quadragesimo quarto, & sepultus est in Basilica S. *Petri*.

D. Doleo certè ex animo, quòd tam citò *Julius III.* fuerit è vivis sublatus, cujus Pontificatus ad promovendum Catholicæ Religionis incrementum diuturnior esse dubuisset.

M. Multò brevior fuit Pontificatus *Julii III.* successoris, videlicèt *Marcelli II.* qui die vigesimo secundo Pontificatus sui extinctus est incredibili omnium bonorum dolore, quibus aureum Sæculum sub hoc Pontifice videndi spes affulserat. Hic

Ju-

Julii III. in Sede S. *Petri* successor, dictus ante Pontificatum *Marcellus Cervinus*, patriâ Politianus fuit, honestis parentibus natus, tantâque modestiâ, continentiâ, probisque moribus ab ipsa adolescentia condecoratus, ut si quid non seriò, sed per jocum inter amicos paulò liberiùs ageretur, aut diceretur, ad *Marcelli* adventum omnes illicò conticescerent. Eminebant in eo, ac certatim de palma contendere videbantur ingenii maturitas, prudentia usu rerum consultissima, insignis pietas doctrina eximia, cæteræque virtutes, quæ ipsum ad supremum totius Ecclesiæ Principatum evexerunt. Fuit *Marcellus Cervinus* Cardinalis Presbyter Tituli S. Crucis in Hierusalem creatus à *Paulo III.* Pontifice Maximo, missus ad *Carolum V.* Imperatorem, & *Franciscum I.* Christianissimum Regem pro gravissimis Ecclesiæ & Reipublicæ negotiis Nuncius Apostolicus, & in Concilio Generali Tridentino Legatus & Præses, ac tandem post obitum *Julii III.* Pontifex Romanus concordibus Cardinalium suffragiis die nonâ Aprilis anni MDLV. electus, proprium suum nomen *Marcelli* retinuit, voluitque appellari *Marcellus II.* ut indè omnibus testatum faceret, se per hanc supremam dignitatem immutatum non iri. Et sanè res cæteroquì disiunctissimas arctissimo vinculo in se sociavit sanctissimus ille Pontifex, sublimem dico dignitatem cum modestia, exquisitam prudentiam cum candore, doctrinæ studium cum maximis occupationibus, & miram benignitatem cum integerrima æquitate, ita ut, licèt nihil momenti haberet apud ipsum gratia, nihil tamen diceret aut faceret nisi gratissimum. Morum reformatio-

nem ardenti studio exoptans,eam ad os Hæreticis obstruendum necessariò fieri debere asserebat. Carni & sanguini, ut ait *Spondanus*, adeò nihil tribuit Summus hic Pontifex, ut neminem propinquorum Romam venire voluerit, ac ne fratrem quidem: duos parvulos fratris sui filios, quos ipse in Urbe educabat, à nemine salutari passus fuerit, nec, quo tempore Pontifex fuit, unquam viderit. Interpellatus verò an in Palatium ex privatis ædibus introducendi essent? incunctanter respondit. *Quid illis cum Palatio? eorumne id patrimonium est?* Pacem inter Principes Christianos componere vehementèr cupiens *Marcellus* Pontifex Maximus,Oratores Imperatoris, & Galliarum Regis ad se accivit, eisque jussit, ut ad Dominos suos scriberent, ni in pace ineunda consentirent, se non tantùm Nuncios & Legatos missurum, sed ad ipsos quoque profecturum, quò illorum animos ad sanciendam concordiam, & ad pacis consilia tandem præsentiâ suâ flectere posset. Severus justitiæ cultor, Oratori Regis Hispaniæ, veniam homicidii pro nobili quodam Romano roganti, respondit idem Pontifex,se Pontificatum ab homicidæ absolutione auspicari nolle. At,dùm totus esset Summus ille Pontifex in excogitandis modis, quibus Ecclesiam ab Hæresibus & vitiis, Rempublicam à bellis & dissensionibus,Romanam Curiam à superfluis sumptibus & pompis inutilibus expurgaret; dùm omnes magnam de ipsius Pontificatu demonstrarent lætitiam, & in spem longè majorem erigerentur, huic tam justæ gratulationi, dùm fervet, dùm increbrescit, ecce tibi repentinus optimi Pontificis interitus, simul-
que

que perculsæ civitatis ægritudo, luctus, consternatio, squallor intercedit. Obiit Sanctissimus ille Pontifex Apoplexiâ ictus postremo die mensis Aprilis anni MDLV. Pontificatus sui die vigesimo secundo, ætatis suæ anno quinquagesimo quarto. Omnes Scriptores Sanctitatem hujus Pontificis *Marcelli II.* prædicant, *Sadoletus*, & *Bembus*, Cardinales in Epistolis ad ipsum datis, *Paulus Manutius* in ea, quam ad ipsum pariter scripsit, Epistola, *Bzovius*, *Spondanus*, *Odoricus Raynaldus* in Annalibus Ecclesiasticis, & alii, quos inter *Onuphrius Panuinius* in Vita hujus Pontificis istud observatione dignum refert: *Ea*, inquit, *simplicitate, qua privatus cùm esset* (seu Marcellus II.) *edebat, habebatque, sivè privatim, sivè publicè convivaretur, Anagnostem in mensa, qui sacros Libros, aut SS. Patrum Scripta legeret. Post longum in prandio silentium, recordatus aliquandò ea Hadriani VI. Papæ verba: Romano Pontifice nemo est miserabilior, conditione ejus nulla miserior. Totius enim vitæ lætitia & felicitas amaritudo est: Cathedra Romani Pontificis est spinosa, iter consertum undique aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premat & confringat humeros: manu mensam percutiens dixit:* Non Video, Quomodò, Qui Locum Hunc Altissimum Tenent, Salvari possint. Quæ verba innuunt, Romanis Pontificibus in suprema illâ dignitate constitutis arduam, ac difficilem esse ad salutem viam.

D. *Marcelli II.* Pontificis Maximi morum integritatem, atque in profligandis Hæresibus, & restaurandâ Ecclesiæ Disciplinâ zelum æmulatusne est ejus in Sede Romana successor?

M. Justis *Marcello II.* de more persolutis, *Joannes Petrus Carafa*, è clarissimâ Neapolitanâ familiâ ortus, Cardinalis, Episcopus Ostiensis, Sacri Collegii Decanus, Theatinus olim Archiepiscopus, & Ordinis Clericorum Regularium, qui *Theatini* ab ejus Archiepiscopatu dicti sunt, Conditor, electus est Summus Pontifex die XXIII. mensis Maji, Ascensioni Christi Domini memoriæ sacrâ, anni MDLV. &, ob beneficia sibi à *Paulo III.* Pontifice Maximo collata, nomen *Pauli IV.* accepit, & Symbolum, seu signum, *Dominus mihi adjutor*, coronatusque est septimo Kalendas Junii ejusdem anni. Hic Pontifex Decessoris sui *Marcelli II.* vestigia pressit, & in eo summa fuerunt omnia, ex quibus undique perfectus, & detractis quibuscumque vitiis, Pontifex cumulatur. Atque ut ex singulis pauca libemus saltem; omnium disciplinarum, ac præsertim Sacrarum Litterarum, linguarumque Latinæ, Græcæ, Hebraicæ accurratæ notitiæ, maximam à teneris annis vitæ integritatem conjunxerat *Paulus IV.* Pontifex Maximus, ac mira illius erat in negotiis cùm publicis, tùm privatis penitùs introspiciendis sagacitas & perspicacia, in extricandis celeritas, in ponderandis maturitas, in gerendis cautio, in conficiendis diligentia, in providendo ne quid Respublica detrimenti caperet singularis prudentia, & in tractandis ingeniis incredibilis dexteritas. Sunt, quorum ætas integra floret, sed, obrepente mox senectute, ingravescit illorum virtus cum corpore pariter, & magis ac magis hebescens in dies, fracta ad extremum effætaque penitùs obsolescit. Longè alius fuit is, quem in præsentia laudo, *Paulus*

lus IV. Pontifex Maximus. Quamvis enim annos septuaginta novem natus esset, dùm in Sede Sancti *Petri* ad regendam universam Ecclesiam collocatus est, ejus tamen senectus nec iners, nec languida fuit, sed alacris, & ad res gerendas semper actuosa. Erat his temporibus soluta & ferè collapsa Ecclesiæ Disciplina, moresque ad tantam licentiam increbuerant, ut faciendæ medicinæ vix jam locus superesse videretur. Venit auspicatò *Paulus IV.* Pontifex Maximus, & quæ delapsa jam fluxerant, æquissimis Legibus vinciens, abusus, quos superiorum temporum negligentia pepererat, sustulit, mores emendavit, restituit disciplinam, veterem castigavit luxum, & ad pristinam sanctimoniam revocavit. At, quia sæpiùs contingere solet, ut benè cœpta (quæ humana fragilitas est) propediè obsolescant; huic incommodo prudenter occurrit summus ille Pontifex, multa summæ severitatis Edicta promulgando, quæ ad mores emendandos pertinebant, certasque ad restaurandam Ecclesiæ Disciplinam regulas præscribendo, ex quibus velut ex fonte plurima sacri Concilii Tridentini Decreta promanarunt. Jacebat Dei cultus; ad illum augendum multa sancivit *Paulus IV.* & abrogatis brevioribus precibus, quæ tunc in Curia frequentabantur, statas Deo laudes ex antiquioris Breviarii formâ ab omnibus persolvi jussit. Leges tulit in Judæos in Ditionibus Ecclesiæ degentes, voluitque, ut certis septis à Christianorum habitatione separatis concluderentur; Pileum crocei coloris Viri, & velum ejusdem coloris fœminæ gererent, quo signo internoscerentur. Sanxit insuper, ut Judæi nec nutrices,

ancillasque Christianas, seu Christianos famulos haberent, eisque districtè prohibuit, ne Dominicis festisque diebus publicè laborarent, ne cum Christianis luderent, comederent, aut ullam cum ipsis familiaritatem haberent, ne mercaturam exercerent, & ne Medici Judæi, etiam vocati & rogati, ad Christianorum curam accederent. Offensioni vulgò erant propudiosi homines, & impuræ mulierculæ pullulantes ubique, & meretricium exercentes; ad exscindendam penitùs illam pestem *Paulus IV.* Pontifex Maximus in hujusmodi Lenones & Lenas certis in casibus pœnam capitis, in aliis verò fustium & exilii decrevit. Multæ ac perniciosæ Hæreses Catholicam Religionem Sæculo decimo sexto infestabant; *Paulus IV.* Summus Pontifex conservandæ, ac vindicandæ Catholicæ Religioni in Anglia, in Scotia, in Gallia, in Germania, in Polonia, in Dania, in Suecia, in Italia, & toto Orbe Christiano, curas omnes ac cogitationes suas impendit. Et primò quidem pro tuenda, ac propaganda Catholicâ fide Legatos misit ad Principes Christianos, Viros doctos cum *Aloysio Lippomano* Sedis Apostolicæ Legato in Poloniam direxit, *Nonnium Barretum* Societatis Jesu Professorem, Patriarchali dignitate donatum, ad Regem Abyssinorum legavit, novos Episcopatus in India Orientali instituit, & numerum Episcoporum in Belgio auxit, tresque illius regionis Ecclesias in Metropoles erexit, Camaracensem videlicet, Trajectensem, & Mechlinensem. Novum etiam Testamentum Syriaco idiomate characteribusque Romæ edi curavit, ut faciliùs sincera germanaque pietas apud Syros radices ageret, & indè

indè se quaquaversùs propagaret. Ad refrænandam verò petulantiam Hæreticorum, qui ubique terrarum impunè volitabant, Tribunali Sacræ Inquisitionis, seu *Sancti Officii*, majorem auctoritatem dedit *Paulus IV.* statuitque, ut non tantùm de Hæresi, sed de quibusdam aliis criminibus etiam cognosceret hujus Tribunalis Cardinalium Cœtus à *Paulo III.* ad id institutus. *Michaelem Ghislerium* Cardinalem Alexandrinum, Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui posteà fuit Romanus Pontifex, dictus *Pius V.* summum Inquisitorem creavit, voluitque, ut hujus Tribunalis causæ, quæ antehàc sex delectorum Cardinalium autoritate terminari solebant, coram Romano Pontifice, semel in hebdomada, statâ die cognoscerentur. Si hujus Tribunalis Sancti Officii Romæ à *Paulo III.* erecti, & à *Paulo IV.* ampliori auctoritate donati originem, progressus, fructus ac commoda, quæ ex eo percepit Italia, scire aveas, legesis *Antonium Caraciolum*, Clericum Regularem Theatinum, in Vita *Pauli IV.* libro 3. cap. 3. & seq. ubi multos profert hæreticos, aut de hæresi suspectos, qui hujus Tribunalis Sancti Officii beneficio fuerunt in Italia compressi, & in ordinem redacti; additque neminem fuisse, qui, nomine hujus Tribunalis audito, non extimesceret, non se totum colligeret, non fugam, si sibi malè conscius esset, statim arriperet, cùm in nullo Italiæ loco hæretici, malefici, & improbi homines securos se esse posse existimarent, acerbis pœnis in eos ubique animadvertente Sancti Officii Tribunali, juxta hanc *Tertulliani* in *Scorpiaco* capite vigesimo primo præclaram Sententiam: *ad officium Hæreticos compelli,*

pelli, non illici, dignum est; duritia vincenda est, non suadenda. Quàm severus non solùm errorum, sed & vitiorum censor esset *Paulus IV.* ex eo facilè intelligere potes, quòd dum suorum Nepotum vitia comperta habuisset, Decretum absque mora ediderit, quo ipsos jussit Româ secedere cum suis cunctis familiis intra duodecim dies, & Cardinalibus, aliisque inhibuerit, ne unquàm secum agerent de indulgendâ ipsis veniâ, pœnâque remittendâ. Obiit *Paulus IV.* Optimus Pontifex die XVII. mensis Augusti anni MDLIX. anno ætatis suæ octogesimo quarto, Pontificatus quinto. Post ejus obitum populus Romanus, cui Sancti Officii Tribunal exosum erat, factâ manu, atque conglomerato agmine ad Inquisitionis carceres convolavit, & cæco furore correptus Commissarium hujus Tribunalis ex Ordine Prædicatorum vulneravit, fores perfregit, reos liberavit. Dein, in odium Inquisitionis suo in Dominicanos converso furore, quoscumque obvios habebat, dilaceravit, eorumque Cœnobio S. *Mariæ super Minervam* faces omni procul dubio admovisset, ni *Juliani Cæsariani* auctoritate prohibitus fuisset. Postremò, in memoriam *Pauli IV.* tanto impetu sæviit efferatus ille populus, & ad incredibilem furorem derepentè traductus, ut Simulachro ejusdem Pontificis, quod ei in Capitolio ob res præclarè gestas erectum fuerat, nasum ac brachiū ignominiosè absciderit. At popularis ille furor non potuit tanti Pontificis obscurare gloriam. Vivit, æternùmque vivet in omnium Fidelium animis virtutum illius Summi Pontificis infixa recordatio. Nunquàm intermorietur, nunquàm intercidet fidelis memoria *Pauli IV.* qui

omnes

omnes suas curas in tuenda contra Hæreticos Fide Catholica, & in emendandis moribus defigens, primus Romanorum Pontificum, Librorum Prohibitorum Indicem anno MDLIX. promulgavit, in quo non solum Hæreticorum libros, sed etiam Catholicorum, quorum Lectio fidelibus perniciosa esset, sub gravissimis pœnis à quoquam legi, vel haberi prohibuit. Hunc zelum vigilantissimi illius Pontificis, qui non agnoscunt, cæci; qui non amplectuntur, ferrei; qui non prædicant, ingrati omninò sunt, & saxa ac scopulos gestant in cordibus suis. Hinc Sanctissimus Pontifex *Clemens XI.* (quem diù Ecclesiæ suæ sospitem & incolumem servet) Statuam *Pauli IV.* à furente Populo Romano dejectam in Capitolio reponi jussit cum hac Inscriptione in basi incisâ:

PAULO IV. PONT. MAX.
SCELERUM VINDICI INTEGERRIMO
CATHOLICÆ FIDEI ACERRIMO PROPUGNATORI
STATUAM OLIM A S. P. R. IN CAPITOLIO ERECTAM
AC DIU OBSCURO LOCO JACENTEM
CLEMENS XI. PONT. MAX.
RESTITUI JUSSIT
ANN. SALUT. MDCCVIII.

D. Agnosco, amplector, etiam atque etiam prædicabo semper eximias virtutes *Pauli IV.* Pontificis Maximi, præsertim, cùm à Viris eruditis nuperrimè audierim, hunc Summum Pontificem lectioni Operum S. *Thomæ Aquinatis*, quo Magistro glorior, ad supremam usque senectutem tantâ

tantâ cum voluptate vacasse, ut ipsum appellare solitus esset *Baculum senectutis suæ*, & de eodem Doctore Angelico aliquandò dixerit: *Extinctam in ipso puerperio Neapolim, cùm enixa Thomam est*. Quâ sententiâ innuere volebat Summus ille Pontifex, nunquam Urbem Neapolitanam alterum Thomam, seu alterum ingeniorum, doctrinæ, sanctitatisque miraculum par aut simile Orbi Christiano daturam. Addebant insuper Viri illi eruditi, *Paulum IV.* Pontificem Maximum in perpetuam memoriam præcipuæ illius venerationis, quâ S. *Thomam Aquinatem*, civem suum, prosequebatur, statuisse singulis annis Sacra solemnia in Ecclesia S. *Mariæ super Minervam* à sacro Cardinalium Collegio die VII. mensis Martii Doctori Angelico dicatâ celebrarentur, eumque ad Purpuratos Patres Concionem in Sancti Doctoris laudem habuisse, cùm primùm peracta est eadem celebritas, cui etiamnùm, recurrente quot annis die VII. mensis Martii, interresse solent Eminentissimi Cardinales, ad quos inter missarum solemnia latinam Orationem, in laudem S. *Thomæ* concinnatam, habet in eadem Ecclesia S. *Mariæ super Minervam* juvenis Familiæ Dominicanæ alumnus. Cùm igitur de S. *Thoma*, Magistro meo, tam benè meritus sit *Paulus IV.* non possum quin prodire coram, & erumpere quodam modo gestiat meus erga hunc Summum Pontificem gratus animus, ac summa observantia, quâ illum perpetuò colam. Sed dicas, amabo, nùm impunita manserit atrox illa injuria, quam Populus Romanus in *Pauli IV.* Pontificis Maximi memoriam, familiam, simulacrum, necnon in S. Officii Tribunal intulit?

M. Post

M. Post quatuor menses, & sex dies à morte *Pauli IV.* vacationis Sedis Apostolicæ, *Joannes Angelus Mediceus*, Mediolanensis, Presbyter Cardinalis Tituli *S. Priscæ*, electus est Pontifex Maximus, dictusque *Pius IV.* qui à clementia, & humanitate Pontificatum orsus, Populo Romano eorum omnium, quæ in *Pauli IV.* marmoreum simulacrum, & Sancti Officii Tribunalis contumeliam, Sede vacante, quàm tumultuosissimè commiserat, veniam condonavit, eâ tamen lege, ut detrimenta illata, suis sumptibus Sanctæ Inquisitionis Officio resarciret. Dein, volens Summus ille Pontifex (ut legere est apud *Onuphrium Panuinum*, & *Ciaconium* in Vita *Pii IV.* necnon apud *Spondanum* ad ann. MDLX. Num. 11.) volens, inquam, Summus Pontifex *Pius IV.* Romanorũ Pontificum propinquis salutare exemplum relinquere, ut populos sibi creditos clementer haberent, & publica negotia pro Ecclesiæ dignitate conficerent; in *Carafas*, *Pauli IV.* Nepotes, tanquàm reos læsæ Majestatis, ac perduellionis, pœnâ mortis animadvertit, illiusque jussu *Carolus Carafa* Cardinalis in carcere strangulatus est, *Joannes* ejus Frater, & Comes *Alifanus*, uxoris frater, atque *Leonardus de Cardine* capita perdiderunt, quæ mox in Œlio ponte ad terrorem exposita sunt. Aliquantò mitiùs cum *Alphonso Carafa* Cardinali, *Pauli IV.* ex fratre pronepote actum est, quippè qui centum aureorum millibus multatus, vitam obtinuit. *Memorabile* sanè, ut inquit *Spondanus*, *spectaculum, & instabilis fortunæ ludibrium; atque in iis, qui secundiori aura altiùs provecti extra omnem sortem se se collocatos existimant, amplissimum documentum,*

si

si essent qui recogitarent. Observant tamen mox à me laudati Historici, Carafarum, *Pauli IV.* nepotum, causam jussu *Pii V.* Successoris *Pii IV.* fuisse retractatam, & post accuratum Actorum examen, *Pium V.* Sanctissimum Pontificem, memorem beneficiorum, quæ à *Paulo IV.* acceperat, Carafarum familiæ famam, titulos, honores & bona restituisse, eique jus ad Dignitates reddidisse. De Concilio Tridenti restaurando statim à coronatione sua sollicitus *Pius IV.* Pontifex Maximus, Nuntios eâ de re misit ad *Ferdinandum* Imperatorem, ad Regem Catholicum, & ad *Franciscum II.* Galliarum Regem, cæterosque Principes, ac tandem perruptis omnibus difficultatibus, solemnes Romæ ad impetrandum Dei auxilium supplicationes habuit à Basilica S. Petri usque ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam, universale Jubilæum promulgavit, & in Purpuratorum Patrum Senatu tertio Kalendas Decembris anni MDLX. Diploma edidit, quo Synodi, Tridenti, sublatâ omni suspensione, ad diem Paschatis anni MDLXI. celebrandæ continuationem indixit, misitque Legatos, qui ejus nomine ei præessent. Prima sub *Pio IV.* quæ tamen numeratur à Concilii Tridentini exordio, Sessio decima septima, inita est, invitati sunt etiam Hæretici ut ad Concilium animo pacifico accederent benignè suscipiendi, & audiendi, eâque de causâ promulgatum est publicæ fidei ac securitatis Edictum, seu, ut ajunt, Salvus Conductus, qualis ab initio ejusdem Concilii fuerat jam expeditus sub *Paulo III.* Pontifice Maximo. Tandèm post annos viginti septem ab Indictione Concilii Tridentini, peractis viginti quinque

que Sessionibus, singulari *Pii IV.* Pontificis Maximi studio & vigilantiâ, universali Concilio Tridentino finis anno MDLXIII. impositus est; Patribus ita acclamantibus: *Beatissimo Pio Papæ Domino, sanctæ, & universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.* Synodum Tridentinam Diplomate dato VII. Kal. Februarii anni MDLXIV. confirmavit *Pius IV.* Indicem Librorum prohibitorum à selectis Patribus in Oecumenica Synodo adornatum promulgavit. Episcopis Residentiam in suis Diœcesibus imperavit; non residentium Bona, ut spolia Sedi Apostolicæ vindicavit. Curiæ etiam Romanæ disciplinam, & solutos Aulicorum mores emendare pro viribus studuit. In aliquos Episcopos Gallicanos, qui apertè à Fide Catholica defecerant, sed præsertim in *Odetum Castilionæum* Cardinalem & Episcopum Bellovacensem, qui, depositâ purpurâ, ac relictis Episcopatus insignibus, se Comitem Bellovacensem nuncupabat, & Calvinianam Hæresim in sua Diœcesi stabilire satagebat, Sententiam in Consistorio Secreto habito anno MDLXII. pronunciavit *Pius IV.* quâ illos, ob manifestam in Hæresim prolapsionem, Sacerdotiis privavit, *Odetum* verò *Castilonæum*, Cardinalem & Episcopum Bellovacensem, ab omni Cardinalatus commodo, & honore, atque etiam à privilegio Clericali ipso jure depositum, & Ecclesiæ Bellovacensis administratione, ac omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, ac prælaturis privatum, & ad illa inhabilem, & perpetuò incapacem declaravit. Hæc Pontificis Sententia habetur in Constitutione sexagesima sexta *Pii IV.* quæ extat in Bullario Roma-

mano, ejusque meminêre *Onuphrius Panuinus*, qui tum temporis Romæ aderat, in *Vita Pii IV. Homerus Tortora* libro 3. Historiæ Francorum, *Jacobus Augustus Thuanus* libro 35. suæ Historiæ, & *Henricus Spondanus* in Continuatione *Baronii* ad annum MDLXIII. Num. XX. Hujus Sententiæ in se à Pontifice latę nuncium ubi accepisset *Odetus Castilionæus* Cardinalis, & Episcopus Bellovacensis, irâ excanduit, & in contumeliam Pontificis, ut refert *Spondanus* ad annum MDLXIII. Num. XLIX. habitum Cardinalis, quem ante deposuerat, resumpsit, eoque indutus uxorem duxit *Isabellam de Altavilla* Dominam *de Lore*, & in celebri Principum ac Procerum Regni Conventu (in quo *Carolus IX.* Galliarum Rex, *Major* in Senatu declaratus, Regni administrationem suscepit) eodem Cardinalitio habitu inter cæteros comparuit, magno Catholicorum scandalo, id ad summum auctoritatis Pontificiæ contemptum, & Ordinis Ecclesiastici derisum pertinere existimantium. His commotior factus *Pius IV.* Pontifex Maximus, ejus privationem ac depositionem, quæ facta fuerat in Consistorio Secreto, die XI. mensis Septembris publicari, & locis consuetis Romæ affigi curavit, eamdemque typis mandari, & ejus exemplaria per Gallias disseminari. Hinc factum est, ut *Odetus Castilionæus* Pseudo-Cardinalis, fugiens periculum, quod sibi ob hæresim, quam palàm profitebatur, imminebat in Gallia, ubi pessimè apud omnes Catholicos audiebat, in Angliam, jam hæresi infectam, unà cum suâ pellice anno MDLXVIII. secesserit, ut liberiùs viveret sub Regina *Elizabetha*, quæ suo patrocinio hæreticos impensè fovebat, & apud

apud quam prædictus *Odetus Castilionæus* auctoritate & gratiâ, quamdiù vixit, plurimùm valuit, ut legere est apud *Ciaconium* in ejus Vita. Dùm in Hæreticorum exterminium, morumque emendationem totus incumberet *Pius IV.* Pontifex vigilantissimus, in morbum incidit, & susceptis magnâ religione ac pietate Sacramentis Ecclesiæ, in verborum Sancti senis Simeonis: *Nunc dimittis Servum tuum Domine secundùm Verbum tuum in pace* prolatione, integris sensibus placidèque mortuus est v. Idus Decembris anni MDLXV. Pontificatus anno v. mense xi. die xv. Testatur *Onuphrius Panuinus*, hunc Pontificem literarum scientiâ, negotiorum magnâ experientiâ, mirâ animi patientiâ, in laboribus perseverantiâ, eloquentiâ non mediocri, memoriâ singulari, ingenio sagacissimo, aliisque eximiis virtutibus fuisse exornatum. Sed longè majori laude, meâ quidem sententiâ dignus est *Pius IV.* Pontifex Maximus, quòd dederit Ecclesiæ Nepotem suum Cardinalem *Borromæum*, virum pietate in Deum, contemptu rerum mundanarum, zelo propagandæ fidei, & studio reformandæ Ecclesiæ insignem, resumendæ Concilii Tridentini celebrationis præcipuum auctorem, ejusque ad exitum deducendi impulsorem, de quo plura dicemus in quinto Colloquio, ubi Virorum Illustrium Sæculi XVI. Gesta, & Opera referemus. Post *Pii IV.* obitum, ejus corpus sepultum est in Basilica Vaticana juxtà Sacellum *Innocentii VIII.* indèque ad Ecclesiam S. *Mariæ de Angelis* in Thermis apud Carthusianos, quos maximis beneficiis auxerat, die IV. Januarii anni MDLXXXIII. translatum est, ubi visitur ante

Aram maximam ejus Monumentum cum hoc Epitaphio:

D. O. M.
PIUS IIIJ. PONT. MAX.
MEDICES. MEDIOLANENSIS.
SEDIT. ANNOS. V. MENS. XI. DIES. XV.
VIXIT. ANNOS. LVI. MENSES. IX.
OBIIT. V. IDUS. DECEMB. MDLXV.
JOANNES. ANTONIUS. SORBONELLUS.
EPISCOPUS PRÆNESTINUS.
CONSOBRINO.
CAROLUS BORROMŒUS. S. PRAXEDIS.
MEDIOLANENSIS.
M. SITICUS. DE ALTEMPS. GERMANUS.
CONSTANTIENS. S. MARIÆ. TRANSTIB.
TITT. PRESBB.
AVVNCULO
S. R. E. CARDDD. POSUERE.

D. Narrabat mihi nudiuſtertiùs Vir eruditus, S. *Carolum Borromæum* Cardinalem & Nepotem *Pii IV.* authorem fuiſſe Cardinalibus, ut poſt *Pii IV.* Pontificis Maximi obitum, *Michaelem Ghislerium* Cardinalem Ordinis Prædicatorum eligerent in Romanum Pontificem, dictum poſteà *Pium V.* Sed quo pacto hæc Sanctiſſimi illius Pontificis *Pii V.* facta fuerit electio, & quibus virtutibus ipſe in Pontificatu præſertìm eluxerit, ſcire vehementèr aveo.

M. Non tantum certè tibi & mihi otii eſt, ut omnia, quibus Sanctiſſimus Pontifex *Pius V.* inclaruit, præclarè Geſta poſſim ipſe in hac Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compendioſa narratione ſingillatim

tim perſequi, velímque opus longi laboris aggredi. Abundè itaque ſufficiet, præcipua *Pii V.* Pontificis Maximi Geſta percurrere, & è plurimis pauca derivare, quæ tamen, ſummatim etſi enarrata, haud obſcurè oſtendent, quantâ prudentiâ & ſanctitate *Pius V.* univerſam Eccleſiam gubernarit. In primis, *Pius V.* qui ante Pontificatum appellabatur *Michael Ghislerius*, oriundus erat è Senatoriâ Bononienſi Ghislerianâ familiâ, quæ tamen Bononiâ, civilium turbarum causâ, vel ejecta, vel ſponte ſuâ, domicilium fixit in Oppido agri Alexandrini, dicto *Boſcho*, ubi XVI. Kalendas Februarii anni MDIV. natus eſt *Michael Ghislerius*, qui piè à parentibus educatus, & litteris excultus, ſtatim ab ipſo ineuntis ætatis principio, impulſu Spiritus Sancti fugit è patria, & Ordini S. *Dominici* nomen dedit, in quo ita vixit, ut omnibus tanquam exemplum continentiæ, tolerantię, frugalitatis, obedientiæ, & cæterarum virtutum proponeretur; cùmque jam pridem ad ſummam virtutis perfectionem perveniſſe judicaretur, ipſe tamen quotidiè ſe ipſo melior ac perfectior cerneretur. Demandatum ſibi Sanctæ Inquiſitionis Officium præclarè, & ſummâ cum laude obivit, & in eo ſtudium conſervandæ veræ ac Catholicæ Religionis, & adversùs eos, qui illam ullâ ex parte labefactare moliebantur, implacabile odium eluxit. Cum Hæreticis perpetuum bellum gerens, ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, & exagitandis conquievit. Exedebat animum ipſius zelus Eccleſiæ, neque quiſquam unquàm veriùs idem, quod olim *David*, dicere potuit: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſu-*

per inimicos tuos tabescebam? Hinc non mirum, si eo in munere in Hæreticos inquirendi impigrè perfungendo, tot Potentum inimicitias, tot minas, tot pericula, tot vitæ ac capitis dimicationes incurrerit, sustinuerit, devorarit, à quibus sæpiùs à Deo fuit mirabiliter liberatus. Ob hæc tanta, ac tam præclara in Christianam Rempublicam merita, primùm Episcopus Nepesinus ac Sutrinus, Dein, à *Paulo IV.* Pontifice Maximo Presbyter Cardinalis Tituli S. *Mariæ* super Minervam, & Supremus Inquisitionis Moderator creatus est, eâque dignitate auctus singularis prudentiæ ad videnda quæ vera & recta essent, infracti animi, & libertatis ad eadem proferenda, auctoritatis ad ea obtinenda, toti Ecclesiæ multa argumenta exhibuit. In dicenda sententiâ non respexit ad carnem & sanguinem, nihil metui aut gratiæ dedit, nunquàm ad cujusquam voluntatem orationem suam accommodavit, nunquàm quidquam veritate prius aut antiquius habuit. Post obitum *Pii IV.* à quo Archiepiscopus Montis-Regalis in Subalpinis *Michael Ghislerius* fuerat institutus, præter omnium expectationem, nihilque tale ipse cogitans, à Cardinalibus in Conclave ingressis divino consilio electus est Romanus Pontifex VIII. Idus Januarii anni MDLXVI. dictusque *Pius V.* Illicò expalluit electus in Pontificem *Pius V.*, & penè in deliquium incidit, rogatusque causam, ingenuè dixit: *Cùm essem Religiosus Ordinis S. Dominici optimè sperabam de mea salute; creatus verò Episcopus cæpi de ea formidare; nunc verò electus in Pontificem penè de ea despero. Quomodò enim Deo rationem tot millionum animarum, quos sunt*

sunt in eo Orbe, reddam, qui vix unius animæ meæ rationem reddere valeo? Quibus verbis insinuare volebat *Pius V.* quàm ægrè sibi Pontificatus impositum onus suscipiebat. Hujus Sanctissimi Pontificis *Pii V.* electionem potissimùm promovit Sanctus *Carolus Borromæus* Cardinalis & *Pii IV.* Pontificis Maximi nepos, qui jam pridem eximias illius virtutes penitùs exploratas habebat, eumque præ cæteris dignissimum, cui summa Ecclesiæ potestas deferretur, sapientissimè judicabat. Nec eum, aliosque Electores fefellit eventus. In ea quippè celsissima Sede constitutus *Pius V.* Pontifex Maximus, in id totus incubuit, ut rem Catholicam, si quâ in parte nutaret, constabiliret; labantem fulciret, inclinatam erigeret, stantem firmaret, atque firmatam ornaret: ut Populorum saluti consuleret, egenorum necessitatibus sucurreret, omniumque utilitati prospiceret. Eamdem in victu cultuque parcimoniam, eamdem interioris vestitus asperitatem, eamdem à certis ciborum generibus abstinentiam, easdem preces, eademque jejunia, quibus à principio se, cùm adhuc in Monasterio esset, assuefecerat, retinuit *Pius V.* Pontifex Maximus. Tota ejus Familia ad exemplum Domini composita, nullâ re magis, quàm modestiâ singulari, & præcipuâ quâdam sanctimoniâ vitæ à vulgaribus familiis discernebatur. Atque hæc privatim. Publicè autem quot & quanta beneficia in hanc Urbem, & in totam Rempublicam Christianam contulit *Pius V.* Summus Pontifex? Leges Sanctissimas pro bono Urbis regimine sanxit, quibus usuras compescuit, Gladiatorum Spectacula interdixit, Clericis districtè inhibuit,

ne ludis operam darent, ne lautis comessationibus gulæ indulgerent, ne choreis interessent, ne cauponas adirent, aut quiduis aliud agerent, quod vitæ Clericalis sanctitatem fœdare posset. Judiciorum severitatem, quam jam improbissimusquisque aut eludere, aut perrumpere solebat, renovavit. Adultam ac prævalidam meretricum licentiam cohibuit, & Urbem quibusdam hominum pestibus, & tetrâ colluvione mulierum, quæ, ob turpem quæstum, unicuique corporis sui copiam facientes, lubricam juventutem blandimentis ad libidinem inescabant, purgavit. Hinc, sicut boni de Pontificatu *Pii V.* summâ alacritate perfundebantur, ita improbi tristes & abjecti erant, dùmque illi gaudio triumphantes, quasi in cœlum sublati viderentur, hi adspectum hominum lucemque fugientes, quasi infrà terram amandati cernebantur. difficile dictu esset, quot familias inopes sustentarit, quot miseros, quos inopiæ suæ pudebat, adjuverit largitate, quot virigines, quarum pudicitia periclitabatur, constitutâ dote, ab infamia liberaverit *Pius V.* Pontifex Maximus. Hanc Summi illius Pontificis ergà omnes beneficentiam ac liberalitatem sat superque prædicant & innumerabilium privatorum inopia sublevata, & infinita illa vis pecuniarum, quâ omnibus propè Orbis Christiani partibus, aliquâ difficultate pressis, ac laborantibus, sine ulla cunctatione subvenit. Nullis sumptibus, nullis laboribus pepercit Summus ille Pontifex, ut Catholicam Fidem variis erroribus impetitam ubique terrarum tueri, ac sartam tectam conservare posset. Quid non fecit, ut frangeret in Galliis conatus Calvinistarum, nobilissimum

mum illud Regnum peſtibus purgaret, & Hæreſis, velut Hydræ, in ſuam & aliorum perniciem contumacis, aſſiduè renaſcentia capita amputaret? magnâ vi auri, multiſque millibus militum ſuppetias tulit *Carolo IX.* Galliarum Regi, qui ſui Regni, Fideique conſervationem precibus *Pii V*, ejuſque ſanctitati ſe acceptam referre palàm profeſſus eſt. In Belgio quoque, quod perduellium Hæreticorum, quibus Gallia laborabat, furoribus vexabatur, rem Catholicam plurimùm juvit, labantem Fidem erexit ac ſuſtentavit, furore hæreticorum, in Religionis Orthodoxæ perniciem irruentium, repreſſo. Quid dicam de Angliæ Regno? in quo ut Catholicos tueretur adversùs inſectationes Reginæ *Elizabethæ*, quæ in eos crudelitèr deſæviebat, anathemate impiam illã Reginam perculit, & Regno Angliæ jure merito privavit, tùm quia ſpuria erat *Henrici VIII.* Angliæ Regis proles, ac ſubindè nec jure nataliũ, nec Regni Legibus capax in Regiam dignitatem ſucceſſionis; tùm quia etiam Regina *Elizabetha* poteſtate malè partâ ad Catholicæ Religionis everſionem abutebatur, ut potè quæ tyrannidem in Catholicos Præſules, Sacerdotes, & alios orthodoxos exercebat, ſubditoſque ſuos ad ejurandam Romani Pontificis obedientiam juramento obſtringebat, ac ſe unam pro Eccleſiæ Anglicanæ Capite non minùs ſuperbè, quàm impiè gerebat. Adversùs eamdem Reginam *Elizabetham* egregiè *Pius V.* Pontifex Maximus, patrocinium ſuſcepit *Mariæ Stuartæ*, Reginæ Scotiæ, eximiâ in Deum pietate, invictâ animi magnitudine, prudentiâ ſupra ſexum, formâ præſtantiſſimâ præditæ, & in Catholica Fide conſtantiſsimæ,

quam Regina *Elizabetha*, nullâ juris gentium, nullâque fidei publicæ habitâ ratione, in carcerem conjecerat, eamque posteà, innocentem licèt, oppressit, ac ultimo affecit supplicio, veritane *Maria*, Scotiæ Regina, Catholicorum ope Regnum recuperaret, hæreticosque reprimeret. Prætermitto, ne longior sim, Germaniam, Prussiam, Poloniam, aliasque Orbis Christiani regiones, in quibus nihil non egit Sanctissimus Pontifex *Pius V.* ut rectæ Fidei securitati prospiceret, ac penitùs disturbaret consilia, molitionesque Hæreticorum, qui Catholicis negotium facessebant, atque Ecclesiæ Romanæ exitium parabant. At silentio prætermittere haùd possum immortale, & omnium gentium, omniumque sæculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo universam Rempublicam Christianam affecit *Pius V.* re & nomine sanctissimus Pontifex. Nomini Christiano extremam perniciem tum temporis minabantur Turcæ, qui suopte ingenio feroces, & tum maximè propter recentes victorias spe atque animis inflati, tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserant, ut Classem Christianorum à se unico flatu exsufflatum iri, eâ verò semel disjectâ, quasi januâ quâdam effractâ ac revulsâ, omnes sibi Christianorum portus, omnem oram maritimam apertam fore arbitrarentur. Ad hanc formidandam Turcarum potentiam conterendam, Cardinalem Alexandrinum, nepotem suum, Summus Pontifex Legatum misit in Hispaniam, in Lusitaniam, in Galliam, ut nihil intentatum relinqueret, quod ad Christi gloriam & Christianorum salutem pertineret. Tandèm, initâ cum *Philippo II.* Hispaniarum

rum Rege, & cum Venetis belli contra Turcas gerendi societate, Pontificiæ Classi *Marcum Antonium Columnam*, omni præconio majorem, præfecit *Pius V.* Christianorum Classis Turcicam longè potentiorem ad Echinadas Nonis Octob. an. MDLXXI. obviam habuit, & commisso prælio, sine magna Christianorum clade, hostium cæsa quadraginta millia, decem & eò amplius millia capta, centum nonaginta quinque illorum Triremes, aliaque complura navigiorum genera in Christianorum potestatem redacta; plus quindecim Christianorum captivorum millia è barbarica servitute erepta; Verbo dicam, nulla post hominum memoriam parta victoria est, in qua & admirabilis se divini numinis potentia clariùs ostenderit, & virorum fortium virtus magis præfulserit. Hanc victoriam pepererunt lachrymæ, sacrificia, eleemosynæ, preces ac jejunia *Pii V.* Pontificis Maximi, qui, ut alter Moyses, manus in Cœlum tollebat, dum *Marcus Antonius Columna*, qui Classi Pontificiæ summo imperio præerat, velut alter *Josue*, profligabat Amalecitas. At, proh dolor! dùm lætitiâ maximè gestit, dùm omnes Deo vota nuncupant, & Sanctissimo Pontifici diuturnam vitam apprecantur, tam justæ omnium gratulationi intercessit lethalis morbus *Pii V.* qui vitam sanctissimè actam, non minùs sancto fine conclusit. Per quadraginta totos dies tantam vim doloris perpessus est, quanta maxima in hominem cadere potest, nunquàm tamen ullam vocem, quæ vim doloris exprimeret, emisit, sed illud in ore frequentissimè habuit: *Domine, adde ad dolorem, sed adde ad patientiam.* Quin, & septem præcipuas Urbis

Urbis Basilicas invisere voluit, & quamquàm viribus corporis gravitate ac diuturnitate morbi disjectis, magnam itineris partem pedibus confecit, apertè profitens, velle se eorum reliquias postremùm videre, quos se non multò post visurum esse speraret in Cœlo. Obiit *Pius V.* Pontifex Maximus Kalendis Maji anni MDLXXII. eumque in vita & post mortem miraculis clarum *Clemens X.* anno MDCLXXII. Beatis accensuit, & *Clemens XI.* quem diu Ecclesiæ suæ sospitem & incolumem servet, Sanctorum Fastis adscripsit XI. Kalendas Junii anni MDCCXII. Corpus S. *Pii V.* quod humili Sepulchro in S. *Andreæ* Sacello primùm conditum fuerat, postea *Sixtus V.* anno MDLXXXVIII. transtulit in magnificentissimum Sepulchrum, quod ei in Basilica S. *Mariæ Majoris* excitaverat. Tandem Reverendiss. Pater *Antoninus Clocbe*, totius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis, anno MDCXCVIII. facultatem impetravit, Corpus Sancti *Pii V.* è loco subterraneo, in quo jacebat, eruendi, illudque reponendi in Arca, quam è nitido marmore ornatam, elaborandam curavit, ubi nunc visitur, publicæ piorum venerationi in eâdem Basilicâ S. *Mariæ Majoris* expositum, & frequentissimo concursu illius patrocinium implorantium in dies magis cultum. Si præter hæc pauca, & carptim à me narrata, plura de Vita, Sanctitate, Gestis & miraculis S. *Pii V.* Pontificis Maximi scire percupias, consule *Gabutium*, & *Bzovium*, qui fusè de S. *Pio V.* latinè; *Fueilletum*, qui Gallicè; *Fuenmajorem*, qui Hispanicè; *Catenam*, & *Paulum Alexandrum Maphæum*, qui Italicè Sancti *Pii V.* vitam conscripserunt.

D. Cer-

D. Certè tot virtutum præsidiis & ornamentis instructus Sanctissimus Pontifex *Pius V.* rerumque, quas in Pontificatu ad Reipublicæ Christianæ salutem, ad Fidei Catholicæ propagationem, suique nominis gloriam immortalem præclarè gessit, magnitudine clarus, satis suo exemplo ostendit, non adeò difficilem esse sanctitatis cum majestate conjunctionem, quæ in aliis Principibus laudabilis, in Pontifice verò necessaria omninò videtur. Quarè non dubito, quin in locum Sancti *Pii V.* cujus mors gravem Ecclesiæ intulit jacturam, & omnes bonos summo mærore affecit, Cardinales alium suffecerint Pontificem, his virtutibus exornatum, quæ ferendo oneri parem, & isto honoris amplissimi fastigio dignissimum reddiderint.

M. Concordibus quinquaginta duorum Cardinalium suffragiis III. Idus Maji an. MDLXXII. Sancto *Pio V.* datus est successor *Hugo Boncompagnus*, patriâ Bononiensis, Tituli Sancti *Sixti* Presbyter Cardinalis, qui *Gregorius XIII.* fuit in Pontificatu nuncupatus. Hæc subita & concors totius Cardinalium Collegii in hac electione consensio non sine singulari divinæ providentiæ afflatu, & certâ atque exploratâ electi Pontificis opinione virtutum contingere potuit. Et sanè multis ac præclaris virtutibus emicuit *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus, quas inter potissimùm eminebant prudentia, quam nihil inflectere; fides & constantia in promissis, quam nulla temporum asperitas labefactare poterat; in colendo Deo pietas sine simulatione, in regendis hominibus severitas sine supercilio; in administrandis negotiis

gotiis & ſine feſtinatione diligentia, & ſine tarditate gravitas; denique in propaganda fide & exterminandis Eccleſiæ hoſtibus ſine ullâ intermiſsione vigilantia. Ab ipſo ſui Pontificatus exordio zelum, quo, ad tuendam & in variis Orbìs regionibus promovendam Catholicam Religionem flagrabat,prodidit. Ejus adhortationibus, miſsiſque ad Chriſtianos Principes Legationibus, ingens fuit parata Chriſtianorum Claſsis contra Turcas, quæ tamen, diſcordiâ & cunctatione Ducum, Chriſtianæ rei adversùs Infideles promovendæ inutilis fuit, ac re infectâ diſceſsêre fœderati. Miſit etiam idem Summus Pontifex ad Magnum Ducem Moſcovitarum *Joannem Baſilii*, ad Japonios, ad Armenos, ad Jacobitas, ad Indos, ad Maronitas, & ad alias nationes, religioſos viros, qui doctrinâ & pietate præſtantes, Catholicam Religionem in his regionibus mirificè propagarunt. Verùm, ut candidè fatear, *Gregorii XIII.* in conſervanda Catholica Religione zèlus nullibi magis quàm in Galliis reſplenduit. At enim, ſedente eo Pontifice, Galliarum Regnum, quod antehàc non à ſuis tantùm, ſed ab aliorum quoque finibus hæreticos, alioſque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſæpè, tantâque cum laude depulerat, quod Europam, Aſiam, & Africam geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaverat, quod violatam ab aliis Sedis Apoſtolicæ dignitatem tam ſæpè reſtituerat, tam firmis præſidiis ſepſerat, tam multis ornamentis affecerat: hoc, inquam, florentiſsimum Galliarum Regnum, ſedente Romano Pontifice *Gregorio XIII.* miſerum in modum lacerabatur ab Hæreticis Calviniſtis, Sedis Apoſtolicæ infen-

infensissimis hostibus, qui, divini numinis metu jam pridem projecto, Legum autem & judiciorum auctoritate contemptâ ac conculcatâ, strages, calamitates, vastitatem, ac crudelissimorum facinorum exempla in Galliarum Regnum intulerunt. Horret ac refugit animus ea memorare, quæ per illas pestes ac furias ab humani generis hoste immissas contigerunt. Vidisses prophanata eversa, incensa augustissima Templa; Sacerdotum Aras cæde maculatas; abstractas ex Sedibus suis Virgines Deo Sacras, direptas urbes, excarnificatos homines, campos manantes sanguine, fluviorum cursus humanis corporibus impeditos, plena omnia licentiæ, plena rapinarum, plena scelerum, plena hostium & externorum & domesticorum. Hęc, aliaque id genus gravissima mala non sine lacrymis adspiciens *Gregorius XIII.* Pontifex Optimus, *Henricum III.* Galliæ Regem adversùs Hæreticos Calvinistas pecuniâ & copiis adjuvit, atque, præter subsidium deciès centenûm millium Librarum Turonensium, quas ex fructibus Ecclesiarum istius Regni exigi permisit, ad subveniendum insuper Regis & Regni necessitatibus, potestatem fecit Cardinalibus & Episcopis ejusdem Regni alienandi bona immobilia Ecclesiarum, ex quibus alia deciès centena millia librarum Turonensium redigerentur, *Henrico III.* Regi persolvenda. Hoc *Gregorii XIII.* subsidium, ejusque in conservanda Religione Catholica singulare studium rebus in Galliæ Regno afflictis maximam levationem attulerunt. Catholica Religio multis in locis à quibus exulabat, restituta; Bona sua, & exercendorum munerum suorum facultas Ecclesiæ Ministris

niſtris reddita; multorum animi, qui nutabant, confirmati; & adhibita remedia multis malis, quæ ſuperiorum temporum calamitate importata erant. Pratèr hæc, quæ tuendæ ac propagandæ Catholicæ Religionis ſtudio incenſus *Gregorius XIII.* variis in regionibus geſsit, alia pauca memorabo. Fratricellorum, qui *Illuminati* dicebantur, Sectam repullulantem extinxit. *Franciſcum Toletum*, Societatis Jeſu Virum doctiſsimum, miſit Lovanium, ut induceret *Michaelem Bajum*, Facultatis Lovanienſis Doctorem, ad retractandas LXXIX. propoſitiones à ſe, & à ſuo Deceſſore Sancto *Pio V.* damnatas, quod *Franciſcus Toletus* ex animi ſententiâ confecit. Cophtos ad Romanam Eccleſiam colendam adduxit *Gregorius XIII.* Neophytis, Græcis, Maronitis, Germanis, Anglis Romæ Collegia erexit. Romanum Collegium Societatis Jeſu fundavit, annuis cenſibus munificentiſsimè dotavit, ingentibuſque Beneficiis ac Privilegiis auxit. Prætermitto varia ornamenta, quibus Summus ille Pontifex Romam novis fontibus, Baſilicis, horreis, pontibus, palatiis, viis, porticibus amplificavit, decoravit. Nihil dicam de Emendatione Kalendarii juſſu ejuſdem Romani Pontificis factâ, quia de illâ ſat ſuperque diſſerui in Apparatu Chronologico, quem adjeci ad calcē libri, quem publicâ luce donavi, *De Myſteriis & Annis Chriſti*. De Religioſis Ordinibus, quos approbavit *Gregorius XIII.* & de Privilegiis, quæ eis conceſsit, commodiùs agemus in ſexto Colloquio, ubi de Monaſtica Sæculi decimi ſexti Diſciplinâ ſermonem habituri ſumus. Omnes itaque *Gregorii XIII.* Pontificis Maximi virtutes coronabo hoc

Elo-

Elogio, quo eum prosequitur *Ciaconii* in Vitis Pontificum Continuator: *Erat Gregorius in audiendis negotiis patiens, in transigendis solers, eloquio gravis, responsis opportunus, natura benignus & misericors, victu ac potu temperatissimus: in Pauperes verò & doctos beneficus & mirum in modum liberalis*. Hujus in Viros doctos beneficentiæ egregium argumentum dedit Summus ille Pontifex, dùm Imperatorem, & Galliarum Regem monuit, ut ad vacantia Ditionum suarum Beneficia digniores promoverent, jussitque Metropolitanis, ut Catalogum virorum moribus, litteris, & prudentiâ illustrium, quos quisque in finibus haberet, ad se mitterent, ne indignis Ecclesiarum regimen committeret. Nec mirum sanè, quòd in Viros eruditos adeò propensus esset Summus iste Pontifex, cùm ipsemet sic litteris esset addictus, ut earum studia, si quandò per negotia licebat, nunquàm intermitteret, dicere solitus: *Nullum magis decere plura scire, quàm Pontificem Romanum*. Obiit *Gregorius XIII.* die x. Aprilis anni MDLXXXV. ætatis LXXXIV. Pontificatus XII. eique marmoream Statuam in Capitolio erexit grata Romana civitas, multis ab eo cumulata beneficiis.

D. Dùm Sæculi decimi sexti Romanorum Pontificum res præclarè gestas mecum tacitus perpendo, facilè intelligo, illos omnibus his præfulsisse dotibus, quibus Sanctus *Antoninus*, quem nuperrimè legebam, Romanum Pontificem præditum esse debere asserit in Oratione, quam habuit ad *Callixtum III.* Pontificem Maximum, quamque inseruit Chronico suo Tit. XXII. Cap. XVI. ubi Romani Pontificis dotes exprimit his verbis: *Decet*

talem

talem ac tantum Pontificem pro hominibus assumptum in his, quæ ad Deum sunt, normam fore justitiæ, Sanctimoniæ speculum, pietatis exemplum, veritatis assertorem, defensorem Fidei, Doctorem gentium, Ducem Christianorum, Amicū Sponsi, Sponsæ Paranymphum, Ordinatorem Cleri, Pastorem plebium, Magistrum insipientium, oppressorum refugium, Advocatum pauperum, spem miserorum, Tutorem pupillorum, Judicem Viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, metum malorum, gloriam bonorum, virgam potentium, malleum Tyrannorum, Patrem Regum, moderatorem Legum, Canonum Dispensatorem, Orbis terræ lumen, Vicarium Christi, Christum Domini, Deum Pharaonis. Has omnes dotes, quibus, teste S. *Antonino*, in Ecclesia Romanus Pontifex præcellere debet, cernere licet in his Sæculi XVI. Pontificibus, quos hactenùs laudasti; nec dubito, quin alii Summi Pontifices, qui post *Gregorium XIII.* Apostolicam Sedem eodem Sæculo tenuerunt, pari virtutum splendore universam gubernaverint Ecclesiam.

M. Post obitum *Gregorii XIII.* Cardinales in ejus locum subrogarunt *Felicem Peretum de Montealto*, Cardinalem ex Ordine Fratrum Conventualium Sancti *Francisci* assumptum, quem die XXIV. Aprilis anni MDLXXXV. Romanum Pontificem elegerunt, dictum *Sixtum V.* Virum humili quidem loco natum, sed animo excelsum, intrepidum, totique Orbi regendo parem. Reginam Angliæ *Elizabetham* anathemate perculit *Sixtus V.* quòd impia illa mulier non solùm crudeli carnificinâ in omnes Catholicos grassaretur, verùm etiam per summam & à Sæculis inauditam perfidiam

diam ultimo supplicio affecisset innocentissimam *Mariam Stuartam*, Reginam Scotiæ, quæ a suis perduellibus subditis exagitata, ad ipsam confugerat. Mortis Sententiam, solis fultam calumniis, constanti & impavido animo excepit *Maria Stuarta*, atque ad supplicii locum, Crucem ac Rosarium manu gestans, quasi ad nuptias comptè ornata, perrexit, ubi se Catholicam mori professa, datisque ad filium suum *Jacobum* sanctissimis documentis, caput supposuit trunco, quod ei altero ictu rescissum est die XVIII. Februarii anni MDLXXXVII. ætatis suæ XLV. Sic in odium Fidei Catholicæ à crudeli Reginâ *Elizabetha*, oppressa ac interfecta est Regina *Maria Stuarta*, cujus injustam cædem jure optimo vindicavit *Sixtus V.* Pontifex Maximus, & de cujus oppressione, damnatione, ac triumphali morte plura legeris apud *Camdenum* in *Vita Elizabethæ* Reginæ, & apud P. *Caussinum* Societatis Jesu Tomo II. *Aulæ Sanctæ*. Nec minùs illustre invicti animi sui argumentum prodidit idem Summus Pontifex, dùm in *Henricum* Navarræ Regem, & alterum *Henricum* ejus patruelem, Principem *Condæum*, tanquàm in Hæresim relapsos, & Calvinistarum Hæreticorum in Galliis Duces ac protectores, Anathema vibravit, atque in ipsum Galliarum Regem *Henricum III.* qui Ducem & Cardinalem Guisios fratres in Comitiis Blesensibus à sicariis trucidari jusserat, & Cardinalem *Borbonium*, Archiepiscopum Lugdunensem, in carcere detinebat, Monitorium in solemni Cardinalium Consessu die V. Maji anni MDLXXXIX. emisit, quo, narratâ Cardinalis *Guisii* nece, & *Borbonii* Cardinalis, ac Lugdunensis Archiepiscopi detentione,

ipsum vehementer hortabatur, ut dictum Cardinalem *Borbonium*, & Archiepiscopum Lugdunensem in pristinam libertatem assereret, &, ni Sedi Apostolicæ parêret, eum, cæterosque omnes, qui iis in rebus consilium, auxilium, aut favorem præstarent, in Censuras Ecclesiasticas incursuros, & à Fidelium Cætu præcisos fore declarabat. Sæpè contingere solet, ut homines, dum vitam agunt privatam, grati sint, modesti, ac benefici, sed ubi ad altiorem provecti sunt gradum, prioris conditionis, & beneficiorum obliviscantur, injuriarum memores & ultores, qui nolint æquo cum aliis jure vivere, sibi omnia arrogent, ac cæteros homines, servorum loco habeant. Ab hoc contagio remotissimum multis argumentis se *Sixtus V.* Pontifex Maximus probavit. In eos, à quibus beneficia acceperat, gratus ac liberalis fuit, omnes patienter auscultabat, & quamvis esset fervido ingenio & ad subitos iræ motus prono, turbidos tamen nunquam admisit, aut itâ temperavit, ut hanc naturæ propensionem accomodaret rebus fortiter gerendis, vitiis bello indicendo, & justitiæ splendori à sceleratorum hominum injuriis vindicando. Hæc summa in coercendis vitiis, & in servandis justitiæ Legibus severitas multis enituit exemplis, quibus, ut videre est in vita illius Pontificis, sicut sol exoriens nebulas dispellit, sicut ventus aream purgat, ita & *Sixtus V.* authoritate suâ dissipavit improbos, cùmque judicaret, acrioribus remediis suum egere Sæculum, propositis etiam acerbioribus suppliciis hominum libidinem audaciamque, judiciorum severitate revocatâ, frænavit ac compescuit. In quo, si qui sunt,

ſunt, qui eum ut nimis ſeverum, ac rigidum culpare audeant, & ut molles ægroti de medicamentorum amaritie conquerantur, facere id non poſſunt, quin eâdem operâ laudabilem integerrimi judicis, & optimi Principis in reprimendis malis, quæ impunè graſſantur, vigilantiam damnent. Jam verò, quis unquàm *Sixto V.* Pontifice Maximo in tota ratione vivendi ſplendidior, ac magnificentior fuit? quot Romæ, & quàm ſumptuoſa ædificia extruxit? Quàm multa, & ſolertèr excogitata ab antiquis, ſed poſteà per poſterorum ignaviam oblivione obruta, quaſique ſepulta, revocavit? Quàm multos egregios artifices ad nova excogitanda propoſitis præmiis excitavit? Sub ejus Pontificatu nova apparuit Urbis Romæ facies, Baſilicis ejus munificentiâ inſtauratis, viis in commodum publicum ſtratis, fontibus deductis, Arcubus, Obeliſcis, Columnis erectis, ſed præſertim Bibliothecâ Vaticanâ, quæ eſt ſacrum totius eruditionis ærarium, magnificè inſtructâ & ornatâ, ut videre eſt in Inſcriptione, quæ eidem Bibliothecæ juſſu ejuſdem Pontificis inſculpta hæc habet:

SIXTUS V. PONT. MAX.

Bibliothecam Apoſtolicam à ſanctiſſimis prioribus illis Pontificibus, qui Beati Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiæ primordiis inchoatam, pace Eccleſiæ reddita, Laterani inſtitutam, à poſterioribus deinde in Vaticanum, ut ad uſus Pontificios paratior eſſet, translatam; ibique à Nicolao *V. auctam, à Sixto IV. inſignitèr excul-*

excultam, quò Fidei nostræ & veterum Ecclesiasticæ Disciplinæ rituum documenta omnibus linguis expressa, & aliorum multiplex sacrorum copia librorum conservaretur ad puram & incorruptam fidei & doctrinæ veritatem, perpetua successione in nos derivandam, toto terrarum Orbe celeberrimam, cùm loco depresso, obscuro, & insalubri sita esset, aula perampla, vestibulo, cubiculis, circùm & infra, scalis, porticibus, totoque ædificio à fundamentis extructo, subselliis, pluteisque directis, libris dispositis, in hunc editum, perlucidum, salubrem, magisque opportunum locum extulit, picturis illustribus undique ornavit, liberalibusque doctrinis, & publicæ studiorum utilitati dicavit anno 1588. *Pontif.* 4.

Optimum Versionis Vulgatæ Latinæ ex antiquissimis MSS. Codicibus & ex Hebraicis Grecisque fontibus emendationem adornandi consilium, quod inierat *Pius IV.* & prosequutus fuerat Sanctus *Pius V.* perficere sategit *Sixtus V.* & ardenti studio, magnâque diligentiâ curavit, ut viri variarum linguarum peritissimi, quos, ut huic emendationi incumberent, Romam acciverat, non solùm Scripturæ Sacræ Versionem Vulgatam Latinam, sed etiam Versionem Græcam LXX. Interpretum pristino nitori restituerent. Erat aliquot abhinc annis soluta, & alicubi penè collapsa morum Disciplina. Venit auspicatò *Sixtus V.* Pontifex Maximus, & quæ delapsa jam fluxerant, æquissimis legibus vinciens, mores emendavit, restituit Disciplinam, veterem castigavit luxum, Exulum & Sicariorum licentiam compressit. Astrologiam

giam judiciariam proscripsit. Triplicem contractum ad usuras viam aperientem damnavit Constitutione, quæ incipit, *Detestabilis*. Simoniam compescuit. Eunuchorum ac Spadonum conjugia prohibuit ac rescidit. In adulteros ac lenones quibusdam in casibus pœnâ capitis animadvertendum sanxit. Abortum quovis modo procurantes, seu fœtus immaturi, tàm animati, quàm inanimati, formati vel informis ejectionem, sicut & sterilitatis potiones dantes vel sumentes, homicidii voluntarii pœnis addixit. Pratèr Sancti Officii Congregationem, quam confirmavit, quatuordecim alias instituit Romæ ad faciliorem universæ Reipublicæ Christianæ, Status Ecclesiastici, atque Romanæ Curiæ negotiorum expeditionem. Quàm acutè præsentia cernebat *Sixtus V.* Pontifex Maximus, tàm cautè futura providebat. Constitutionem promulgavit, quâ sanxit, ut in Collegium Cardinalium quatuor saltèm in sacra Theologia Magistri ex Mendicantium Religiosorum Ordinibus assumerentur. Ad Christianæ verò Reipublicæ commoda trigesiès centena millia nummûm aureorum, quæ etiamnùm in Arce S. *Angeli* asservantur, suis successoribus reliquit, certis tantùm casibus, & pro Ecclesiæ necessitatibus & utilitate insumenda. Propter hæc, & alia benè multa, quæ in suo Pontificatu præclarè gessit *Sixtus V.* ei adhuc viventi SenatusPopulusque Romanus Statuam in Capitolio collocavit. Obiit Summus ille Pontifex die XXVII. mensis Augusti anni MDXC. ætatis suæ anno LXIX. Pontificatus sexto per quatuor menses & tres dies inchoato.

D. *Sixtum V.* Pontificem Maximum eo præ-

ſertim nomine maximâ veneratione proſequor, quòd S. *Thomam*, Doctorem Angelicum, quem ceu Magiſtrum meum impenſiſſimè colo, in ſecretiori Bibliotheca Vaticana, quam nuperrimè perluſtravi, depingi cum S. *Hieronymo* Eccleſiæ Doctore juſſerit, ſiniſtrâ manu Eccleſiam geſtantem, dexterâ verò, quâ ſcripſit, ingentem luminis ſplendorem evibrantem cum hac Inſcriptione: *Sancti Thomæ de Chriſto Scripta, à Chriſto Crucifixo confirmantur*. Sed perge, quæſo, aliorum Romanorum Pontificum, qui *Sixto V.* ſub finem Sæculi decimi ſexti in Sede Apoſtolica ſucceſſerunt, ſeriem geſtaque deſcribere.

M. Poſt obitum *Sixti V.* in throno Apoſtolico tres Romani Pontifices *Urbanus VII. Gregorius XIV.* & *Innocentius IX.* continuâ ſerie ſederunt, ſed cùm eorum Pontificatus breviſſimus fuerit, paucis itidem verbis illorum Geſta complectemur. Et primò quidem, poſtquàm *Sixto V.* ſolemni ritu parentatum fuiſſet, Cardinales *Joannem Baptiſtam Caſtaneum*, patriâ Romanum, Tituli Sancti *Marcelli* Presbyterum, elegerunt in Romanum Pontificem, dictum *Urbanum VII.* moribus caſtiſſimum, victu & potu temperantem, ingenio mitem, prudentiæ, juſtitiæ, religioniſque commendatione mirabilem. Magnam quidem toti Eccleſiæ lætitiam attulit hęc electio, ſed in tam ſecunda omnium admurmuratione, tantoque plauſu, improviſo ante coronationem ſuam morbo correptus ille Pontifex, ad coronam immortalem à Deo vocatus, migravit ex hac vita quinto Kalendas Octobris anni MDXC. ætatis ſuæ anno LXXVIII. Pontificatus die XII. Mortem lætus adſpexit *Urbanus VII.* gra-

gratiasque Deo egit, quòd ipsum opportuno tempore terris eriperet, quo de suscepto Pontificatus onere rationem non esset redditurus. Omnia bona sua, etiam paterna, ad æstimationem aureorum triginta millium, Sodalitati Beatissimæ Virginis Annunciatæ, in Conventu Minervitano Fratrum Prædicatorum erectæ, in Dotes pauperum & calamitosarum Virginum, legavit. Ægrè tulerunt omnes gravissimam hujus Pontificis, quem Deus terris tantùm ostentare voluit, jacturam, & de quo verè dici potest, quod de Sancto Pontifice *Cornelio* affirmat Sanctus *Cyprianus*, Episcopus & Martyr, his verbis: *Non iste ad Episcopatum subitò pervenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad Sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit.* Hujus defuncti Summi Pontificis *Urbani VII.* laudes *Pompejus Ugonius* celebravit Oratione funebri habitâ ad sacrum Cardinalium Collegium in Basilica Vaticana, in qua prætèr benè multa, quæ prædictum Pontificem maximè commendant, hæc de eo habet: *Quas ille* (seu Urbanus VII.) *tam brevi tempore ingentis gloriæ fulgurationes emisit? Quas significationes dedit optimæ de Pontificatu administrando voluntatis? Quantam in spem hanc Urbem, cunctam Italiam, Nationes omnes erexerat? An ille assumpsit sibi honorem, & non accessit vocatus à Deo tanquàm Aaron? An tam sublimi fastigio elatus hominem esse se oblitus est? quantum in summa potestate retinuit modum? qua modestia familiam instituerat? quàm parum carni & sanguini tribuebat? quàm nihil penitùs pristinos mutaverat mores? Manebat Principi,*

quæ privato humanitas. Jam aditum ad se, etiam infima de plebe hominibus aperuerat, jam ad subveniendum egentibus manum porrexerat, jam virtuti, doctrinæ, honestisque laboribus præmia ostendebat. Quid illa majora & publica magis, quanta celeritate, quanto ardore animi complexus erat? Diffidentium Christianorum Regnorum arma pacare, subjectis parcere, superbos debellare, Religionem amplificare, tueri justitiam, misericordiam exaltare. O Consilia præclara, O dignas Christi Vicario cogitationes! &c. Hanc Orationem à *Pompejo Ugonio* habitam in Funere *Urbani VII.* integram edidit *Augustinus Oldoinus* Soc. Jesu in suis Additionibus ad Opus *Ciaconii* de Vitis Romanorum Pontificum Tomo IV. Post obitum *Urbani VII.* electus est in Summum Pontificem *Nicolaus Sfondratus*, Mediolanensis, Presbyter Cardinalis Tituli Sanctæ *Cæciliæ*, castissimæ vitæ laude, & Christianâ modestiâ spectatissimus, qui *Gregorii XIV.* nomen sibi sumpsit, & confestim ad conservandam in Galliis periclitantem Catholicam Religionem omnem curam ac sollicitudinem adhibuit. At enim, Calvinistarum Hæresis, quæ sub Galliarum Regibus *Francisco I. Henrico II. Francisco II. Carolo IX.* & *Henrico III.* quadantenùs compressa ac cohibita fuerat, mortuo tandem *Henrico III.* absque mascula prole, tantos sibi spiritus, ac tantam arrogantiam sumpsit, ut brevi de Catholica Religione in Galliis conclamatum iri speraret. Sicut autem aquæ impetus saxorum, lignorumve oppositu diu retentus ac retardatus, si fortè tandem quæ obstabant, aut sublata, aut perrupta & disjecta sunt, multò major ac vehementior esse consuevit; ita Hæreti-

corum

corum Calvinistarum omnia in Galliis turbare cupientium Factio, quos ad id tempus legum ac Regum terror tanquàm victos frænatosque tenuerat, fractis postremò repagulis, furere ac bacchari per nobilissimum Regnum, & in summa impietate summam licentiam nacti, divina humanaque omnia cędibus & incendiis miscere cœperunt. Augebat Catholicorum in Galliis timorem potentia *Henrici Borbonii*, Navarræorum Regis, qui in Calviniana Hæresi natus & educatus eam totis viribus propagare hactenùs tentaverat, ac subindè grave imminebat periculum, ne, si semel Galliarum Regno potiretur, illam impunè grassari permitteret, suoque foveret patrocinio. Eo zelo servandæ Catholicæ Religionis accensi hi, qui contra *Henricum Borbonium*, Navarræorum Regem, erant fœderati, quique *Carolum Borbonium*, Patruum Regis *Henrici III.* Regem Galliarum salutaverant hujus nominis *Decimum*, palàm declararunt, Gallos non posse tutâ conscientiâ ipsum *Henricum Borbonium*, aliumve Principem fautorem Hæreseos, in Regem admittere, quòd evidens perfidiæ ac subversionis Catholicæ Religionis & Regni immineret periculum. Quin, & illos Martyrii palmam consecuturos significarunt, qui *Henrico Borbonio* ad sanguinis usque profusionem resisterent, eumque à Regio throno arcerent. Hinc enatum intestinum ac domesticum bellum, commissa multa prælia, multa cæsa hominum millia, totaque Gallia gravissimo incendio conflagravit. His malis, quæ in dies ingravescebant, remedium afferre & Calvinianam Hæresim, multorum capitum hydram, quæ non paludem ali-
quam

quamLerneam,sed potentissimû & opulentissimum Galliarum Regnum inficiebat, penitùs excindere volens *Gregorius XIV.* consultius esse duxit,ut *Henrico Borbonio*, quem hæresi, quam necdùm ejuraverat, patrocinaturum pertimescebat, aditus ad solium Regium præcluderetur. Eam ob rem in auxilium fœderatorum contra *Henricum Borbonium* non solùm exercitum misit in Gallias, sed etiam Nuntium Apostolicum, *Marsilium Landrianum*, cum duplici Diplomate, quo omnibus Ordinis Ecclesiastici Viris præcipiebat, ut infrà quindecim dies ab obedientia & comitatu *Henrici Borbonii* recederent, sub pœna Anathematis, & si infra alios quindecim dies eum non deseruissent, sub pœna exauctorationis & privationis Dignitatum ac Beneficiorum: ipse verò *Henricus Borbonius*, uti Hæreticus & Relapsus, excommunicatus denuntiabatur, omnibusque Regnis & Ditionibus privatus. Verùm, his turbis in Gallia excitatis, quas nec *Gregorius XIV.* nec *Innocentius IX.* ejus successor, quorum brevissimus Pontificatus fuit, sedare ac componere haud potuerunt, finem tandem imposuit *Clemens VIII.* Pontifex Maximus, & *Innocentii IX.* Successor. Eo quippè sedente Pontifice, Deus Optimus Maximus, qui vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanat; qui mortificat & vivificat; qui deducit ad Inferos & reducit; pro paterna sua misericordia Gallos quidem ad tempus castigavit, sed morti non tradidit eos. Respexit ad lacrymas, ad jejunia, ad eleemosynas, ad preces Ecclesiæ suæ, & cor Galliarum Regis *Henrici IV.* quod habebat in manu sua, ad fidem Catholicam, & Ecclesiæ Romanæ

Com-

Communionem convertit. Professionem Catholicæ Fidei ab *Henrico IV.* Rege factam, ejus ejurationem Calvinianæ Hæreseos, & obedientiam Sedi Apostolicæ per Oratores præstitam, cùm suscepisset *Clemens VIII.* Regem ab Hæresi & Censuris absolutum in Communionem Ecclesiæ Romanæ admisit, indeque perstrepentes omnes in Gallia tumultus composuit ac placavit, sicut mox, agendo de Pontificatu *Clementis VIII.* latiùs ostendemus. Sedit *Gregorius XIV.* menses dumtaxàt decem & dies decem, obiitque die xv. mensis Octobris anni MDXCI. ætatis LVII. Pileum rubrum Cardinalibus ex Ordinibus Regularium assumptis concessit. Constitutiones perutiles edidit, ac res præclarè gessit Summus ille Pontifex, quæ legi possunt in Oratione, quam in ejus Funere ad Cardinales habuit *Vincentius Blasius Garcia*, quamque *Augustinus Oldoinus* edidit in suis Additionibus ad *Ciaconium*.

Post obitum *Gregorii XIV.* summo omnium Cardinalium consensu electus est in Romanum Pontificem *Joannes Antonius Fachinetus*, patriâ Bononiensis, morum integritate, eruditione & civili prudentiâ præstantissimus, & Tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis. Ea quæ in Pontificatu memoriâ digna gessit *Innocentius IX.* latè, juxtà ac eleganter prosequitur *Benedictus Justinianus* Societatis Jesu, qui in ejus Funere peroravit, & ex cujus Oratione, quæ extat in *Oldoini* Additionibus ad *Ciaconium*, pauca hìc referre sat superque sufficiet. *Pontificatus Innocentii*, inquit, *brevis quidem fuit, sed Sacerdotii gloria non vulgaris. Nam cùm probè intelligeret, hoc*

à se

à se novum Pastoris munus efflagitare, cùm ut populos sibi subjectos leniter benignèque tractaret, tùm ut veræ Religionis, Christianæque fidei septis aut abductas oves revocaret, aut aberrantes, suis, si opus esset, humeris elatas, ad ovile perduceret; nihil antiquius habuit, quàm ut laxatis Populo Romano liberaliter nuper impositis vectigalibus, de Barbaris ad fidem convocandis, deque Hæreticorum perfidia tollenda piè ac sapienter cogitaret, neque cogitaret solùm, sed re ipsa perficere aggrederetur. Siquidem & Japoniorum Ecclesiam impii ac nefarii Tyranni immanitate vexatam, sua liberalitate mirificè recreavit, & Byzantinum Collegium, sive Turcarum conversioni, sive Christianorum institutioni ac solatio jam pridem animo destinatum, tantùm non instituit ac fundavit. Mitto quæ de rebus Gallicis ad seditiones sedandas, & civiles Controversias componendas sapienter; ad sublevandam jam propè profligatam Religionem piè; ad pristinam & avitam fidem atque doctrinam revocandam aptè; ad perduelles, & divini humanique juris prædones, atque Archypiratas vel fallendos, vel opprimendos, callidè atque ingeniosè excogitabat &c. Sed hæc præclarè gesta, & alia utilissima Ecclesiæ consilia, quæ mente volvebat *Innocentius IX*· mors intercepit, & optimum illum Pontificem, cùm duos tantummodò menses in Cathedra Sancti Petri sedisset, rapuit die xxx. mensis Decembris anni MDXCI.

D. Ex eâ trium Romanorum Pontificum *Urbani VII. Gregorii XIV.* & *Innocentii IX.* præmatura & inopinata morte facilè intelligo, nihil humanis in rebus firmum, nihil stabile, nihil diuturnum reperiri posse, nosque his exemplis interdùm

dùm à Deo admoneri, terram nobis, non pro domicilio, ſed pro diverſorio datam; hanc, quæ vita dicitur, non tàm vitam eſſe, quàm iter ad Vitam; in Cœlo, non in terra, nobis ſpem deſigendam ac collocandam. Agitat quippè Deus omnia arbitratu ſuo, & quæ ſolida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit, ludens in Orbe terrarum. Sed abſolvamus, ſi placet, ſeriem & Hiſtoriam Summorum Pontificum; qui Sæculo decimo ſexto Eccleſiam Romanam gubernarunt.

M. Seriem Summorum Pontificum, qui Sæculo decimo ſexto Sedem Romanam tenuerunt, claudet *Clemens VIII.* anteà dictus *Hippolytus Aldobrandinus*, patriâ Florentinus, Tituli S. *Pancratii* Presbyter Cardinalis, qui in Pontificiam Cathedram evectus eſt tertio Kalendas Februarii anni MDXCII. Inter cætera, quæ ſummâ cum laude in Pontificatu geſſit *Clemens VIII.* tria potiſſimùm commendatione digna ab Hiſtoricis referuntur, quæ hìc inſerere debemus. In primis, contemplans Summus ille Pontifex graves ac diuturnas Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, ſed præcipuè luctuoſum ſtatum nobiliſſimi & florentiſſimi Galliarum Regni, quod tot jam annos bellorum civilium ſerie ita & ab alienis & à ſuis vexabatur ac diripiebatur, ut de eo verè dici poſſet, quod ſcriptum eſt apud Prophetam: *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo*; miſertus, inquam, *Clemens VIII.* Galliarum Regni, quod ſummâ rerum perturbatione, & omnium malorum acerbitate conflictabatur, Decretum edidit, quo ad

ad placandum Deum, & ejus opem impetrandam, statuit perpetuam sine intermissione Orationem quadraginta Horarum publicè in Urbe certis Ecclesiis & præfinitis diebus celebrari, eâ servatâ Ecclesiarum & temporis distributione, ut diu noctuque, quâvis horâ, toto vertente anno, juges in conspectu Domini orationes piæ animæ in tam gravi Ecclesiæ necessitate fundere possent. Tentavit quidem *Clemens VIII.* sub exordium Pontificatus sui *Henricum IV.* de cujus sincera ad Fidem Catholicam conversione dubitabat, à successione ad Regium Galliarum solium deturbare, aliumque Principem, qui verè Catholicus esset, ejus loco constituere. At posteà, re maturiori examine perpensâ, & à *Jacobo Perronio* Ebroicensi Episcopo, & *Arnaldo Ossato*, Regis *Henrici IV.* Oratoribus, qui deinde ad Cardinalitiam dignitatem provecti fuerunt, exoratus Pontifex, diu optatam Absolutionem ab Hæresi & Censuris concessit Regi Galliarum *Henrico IV.* præmissis tamen sexdecim conditionibus, quas ex *Henrico Spondano* ad annum MDXCV. Num. IX. excerptas hìc subjiciam. *Primò, ut Procuratores jurarent Regis nomine, se Sanctæ Sedis & mandatis Ecclesiæ parituros. Secundò, coram Pontifice Calvinismum, aliasque omnes Hæreses ejuraturos, ac professionem Fidei ei tradituros. Tertiò, quòd Rex in Principatu Bearnensi Religionem Catholicam restitueret, Catholicos Episcopos in eo nominaret, & quousque antiqua bona eis redderentur, de suo eis largiretur, quo se pro dignitate sustentarent. Quartò, ut intrà annum Principem Condæum è manibus hæreticorum educeret, & in Catholicorum reponeret, à quibus in Religione Catholica*

lica & Christiana pietate educaretur. Quintò, Concordata cum Sede Apostolica tam in Beneficiorum nominatione, quàm in omnibus aliis integrè servaret. Sextò, Concilium Tridentinum promulgandum curaret, & servandum in omnibus, iis exceptis, quæ citra publicæ tranquillitatis perturbationem, aut similes considerationes, executioni demandari non possent. Septimò, nullum hæreticum, aut de hæresi suspectum, ad Episcopatus, aut Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica nominaret. Octavò, præcipuo loco haberet, & in patrocinium susciperet personas Ecclesiasticas, neque eas ab aliis opprimi aut vexari, eorumve bona retineri pateretur. Nonò, si quæ bona aut Castra Ditionis Ecclesiasticæ, beneficii profani titulo cuiquam sive Catholico sive hæretico data essent, revocarentur, & Ecclesiæ restituerentur. Decimò, Rex facto dictoque, ac præcipuè in dispensatione honorum & dignitatum, ostenderet Catholicos sibi præcipuo loco esse, omnesque intelligerent percupere ipsum solam Catholicam Religionem in ipsius Regno vigere. Undecimò, legitimo impedimento cessante, quotidiè Rex Coronam Beatissimæ Virginis, quarta quaque Feria Litanias, singulis Sabbatis Rosarium ejusdem Virginis, quam pro patrona sua in Cœlis assumet, recitaret: jejunia, & cætera præcepta Ecclesiæ, servaret: quotidiè sacrum audiret, & Festis diebus Missę solemni interesset. Duodecimò, in singulis Regni sui Provinciis, & in Principatu Bearnensi, unum Monasterium virorum vel fœminarum Religionis Monasticæ, vel Mendicantium ex reformatis ædificaret. Decimò tertiò, saltem quatèr in anno peccata sua sacramentalitèr confiteretur, & sacram Eucharistiam publicè sumeret. Decimò quartò, ratam haberet coràm Legato, aut Nuncio

in

in Franciam mittendo, abjurationem hæresum, professionem Fidei, & alia à Procuratoribus promissa, & ratihabitionis instrumentum ad Pontificem mitteret. Decimò quintò, ad Principes Catholicos scriberet, gratulans de sua reconciliatione cum Ecclesia Romana, ostendensque se in ea semper perseverare velle. Postremò, juberet Rex per universum Regnum gratias Deo agi pro tam insigni accepto ab eo beneficio. His conditionibus constitutis, *Clemens VIII.* in Basilicâ S.*Petri* Regi *Henrico IV.* absolutionem eâ solemnitate concessit, quam in Cardinalis *Perronii* Relationibus, & in Annalibus *Spondani* ad an. MDXCV. Num.x. legere est. Accepti hujus beneficii magnitudinem agnoscens *Henricus IV.* Galliarum Rex, non solùm gratias Deo toto Regno agendas indixit, verùm etiam, litteris ad *Clementem VIII.* Pontificem Maximum officii & reverentiæ plenis, summum desiderium testatus est Romam advolandi, ut ad genua Pontificis provolutus, ei grates rependeret infinitas, obedientiam, quam debebat, præstaret atque exhiberet, & præstiturum se atque exhibiturum in perpetuum spondêret, nisi gravissimis distentus fuisset impedimentis. Tum verò tumultibus in Galliis omninò pacatis, omnique factione penitùs dissipatâ, confestim ad Regis *Henrici IV.* fidem & obsequium redierunt Proceres, Provinciæ ac civitates, totaque Gallia diu desideratâ pace potita est.

Ferventissimarum *De Auxiliis Divinæ Gratiæ* Concertationum inter doctissimos Ordinis Fratrum Prædicatorum & Societatis Jesu Theologos spectator & auditor esse voluit *Clemens VIII.* easque ut finiret, instituit Romæ Cardinalium & Con-

Consultorum Congregationem *De Auxiliis*, jussitque ut ejusmodi Controversiæ ad mentem S. *Augustini*, Ecclesiæ Doctoris, expenderentur, ut videre est in Oratione, quam habuit Summus ille Pontifex die xx. mensis Martii anni MDCII. in prima Congregatione de Auxiliis coram eo celebratâ, quæque his verbis concepta est: *Quamvis soli Deo, non autem ulli mortalium, actionum mearum tenear rationem reddere, placet tamen impræsentiarum consilii mei causam aperire: cur, inquam, hanc universam de Auxiliis Divinæ Gratiæ Controversiam ad mentem S. Augustini expendendam duxerim. Etenim S. Prosperum à Rufino hac in re consultum sapientissimè respondisse semper existimavi; si verè de his quæstionibus instrui desiderabat, sicut desiderare par erat, ipsis S. Augustini disputationibus cognoscendis curam impenderet, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequeretur. Quò factum est, ut Summi Pontifices Romani, mei Prædecessores, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, & Hormisdas S. Augustini doctrinam contra Pelagianos ita laudaverint, ut illius Scripta, quæ intra Gallias à novis Pelagianæ Hæresis sectatoribus reprehendebantur, consultò approbaverint. Quemadmodùm enim isti credebant, se omnia authoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsavissent, ita illi considerantes sanctissimum Virum sapientissimè Pelagianorum versutias deprehendisse, & machinas omnes, quibus gratiæ divinæ virtutem effringere & conterere moliebantur, copiosè in multis voluminum disputationibus destruxisse & funditus evertisse, illius*

doctrinæ argumentis adversùs hujusmodi pestem semper usi sunt. Adeò certè ut Bonifacius Prædecessor meus, cùm esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum Beati Augustini Episcopi responsa semper poposcerit. Quos si ego in definiendis his quæstionibus imitarer, id & rationi congruum, & Deo acceptum fore ratus sum: quippè, dùm potestatis authoritate mihi cum illis communi cœlitùs à Deo concessa utor, & eisdem cum illis vestigiis insisto, & ex eodem fonte, jure hæreditario, defæcatissimam & saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam hauriri volo, & eam, quam ab illis accepi, hæreditariam, Posteris meis relinquo, justissimam Deo facti mei rationem reddam. Quibus omnibus accedit, ita S. Augustinum omnes difficultates, quæ vel à Pelagianis & eorum sectatoribus tunc movebantur, vel potiùs moveri possent, penetrasse & explicuisse: et ita illorum omnia Sophismata dissolvisse, ut nihil hac nostra tempestate de Gratia Dei in Controversiam vertatur, quod à Sancto Augustino non fuerit olim jam copiosè pertractatum. Vanum est enim quod à nonnullis dicitur putari, præsentes quæstiones esse recenter à Theologis Scholasticis excogitatas; cum nihil contra Divinæ Gratiæ necessitatem et virtutem à recentioribus quibusdam nunc asseratur, quod à Pelagianis et Semipelagianis olim assertum non fuerit: nihil etiam adversùs illos pro ejusdem Divinæ gratiæ virtute atque efficacia & necessitate dici oporteat, quod S. Augustinus ante mille fere et ducentos annos non docuerit. Etenim celebrem illam distinctionem, qua veteres Theologi gratiam partiti sunt in sufficientem et adjuvantem seu efficacem, ex doctrina S. Augustini desumptam fuisse, apparet ex libro

libro de Correptione & Gratia, ubi expreſsè dicit, adjutoria Divina ita diſtinguenda eſſe, ut aliud ſit adjutorium ſine quo aliquid non fit; & aliud, quo aliquid fit. Unde, inquit, primo homini, &c. Hanc *Clementis VIII.* Orationem hìc inſerere neceſſarium eſſe duxi, ut indè intelligeres, quanto ſtudio Summus ille Pontifex addictus eſſet doctrinæ Sancti *Auguſtini*, & quàm vehementi deſiderio teneretur hiſce de Auxiliis Divinæ Gratiæ Controverſiis in Congregationibus de Auxiliis coram ſe habitis ultimam diem imponendi, quas tamen morte præventus ſuſpenſas, ac Theologis ſalvâ & inculpatâ fide hinc indè diſputandas permiſit. Quam verò in partem propenderit Summus ille Pontifex, ſat ſuperque produnt tum illius Scriptum ſuper his Controverſiis datum, tum Acta celeberrimæ Congregationis, quæ Romæ in Bibliotheca Angelicâ Eremitarum S. Auguſtini, & Lutetiæ Pariſiorum in Bibliotheca Colbertina MSS. ſervantur, quæque nuperrimè à noſtro *Jacobo Hyacintho Serry*, Doctore Sorbonico, in publicam lucem edita ſunt, tum denique Acta noſtri *Thomæ de Lemos*, quæ itidem paucis abhinc annis publici juris fecit doctiſſimus Canonicus Regularis in Galliis Congregationis S. *Genovefæ*. Sed his miſſis, certiſſimè conſtat, *Clementem VIII.* Pontificem Maximum, Fratres Prædicatores, & Patres Societatis Jeſu, incolumi ſemper amicitiâ, & charitate ſartâ tectâ jugiter perſeverante, inter ſe diſputantes: ſingulari amore ac benevolentiâ fuiſſe complexum. Dominicanos multis beneficiis ſibi devinxit, Beatos *Raymundum* & *Hyacinthum* ejuſdem Ordinis in Sanctorum nume-

rum adſcripſit. Beatum *Ambroſium* Senenſem, ejuſdem Ordinis, Martyrologio Romano inſcribi juſſit, *Agneti à Monte Politiano*, Virgini, quæ eumdem Ordinem profeſſa eſt, ſacros honores decrevit. Quanto autem affectu Patres Societatis Jeſu complecteretur *Clemens VIII.* probant impenſa univerſæ ſocietati beneficia, & *Stanislao Koſtkæ*, Polono, ejuſdem Societatis alumno, ſacri ſanciti honores: probat *Toleto*, ac *Bellarmino* ejuſdem Societatis, non ad Principum gratiam, ſed ſponte ſuâ, atque intimo cordis ac voluntatis affectu, delata à Summo illo Pontifice Purpura: ſed longè feliciùs probat paterna illa, verèque Pontificia ſollicitudo, quâ Societatem Jeſu è Gallia pulſam reſtitui curavit, & animum Regis *Henrici IV.* qui de reſtituenda Societate ſæpè rogatus, aſſenſum præbere noluerat (ut videre eſt in ea Epiſtola, quam Chriſtianiſſimus ille Rex ad ſuum Oratorem in Curia Romana Ducem *De Luxembourg* ſcripſit die XVII. menſis Auguſti anni MDXCVIII. & in Documentis ad Hiſtoriam Cardinalis *De Joyeuſe* ſpectantibus, quæ à Clariſſimo Viro *Auberio*, Senatus Galliarum Advocato, publicæ luci data ſunt anno MDCLIV.) precibus ac repetitis officiis repugnantem, inquam, Regis *Henrici IV.* animum ita flexit, & exitu adeò ſecundo devicit *Clemens VIII.* ut Patres Societatis Jeſu non modo in *Henrici IV.* gratiam redierint univerſi, verùm etiam inuſitatis Regiæ munificentiæ monumentis ſupra votum aucti fuerint, ſicut jam in primo Colloquio obitèr obſervavimus.

Poſtremò, plurimùm commendari debet ſumma illa vigilantia, quâ *Clemens VIII.* toto ſui Pon-

Pontificatus tempore multa pro bono Ecclesiæ regimine infatigabili zelo peregit. Sacrorum Bibliorum Editionem *Sixti V.* authoritate adornatam perfici, & castigatissimam prodire fategit. Indicem librorum prohibitorum à *Pio IV.* promulgatum, cum supplemento; Pontificale Romanum, & Cœremoniale Episcoporum, auctoritate suâ recognita & emendata, approbavit, & Vaticanis Typis excudi jussit. Opinionem de Confessione per litteras absenti Sacerdoti factâ, & Absolutione ab eodem absente datâ, damnavit Summus ille Pontifex ut ad minus falsam, temerariam, & scandalosam, ac districtè vetuit, ne deinceps publicè, privatisque Lectionibus & Concionibus, quasi unquam aliquo casu probabilis, defenderetur; cùmque, post hujus Pontificii Decreti evulgationem, *Franciscus Suarez*, insignis Societatis Jesu Theologus, 3. part. disput. 21. sect. 4. scripsisset, corporalem prẹsentiam pœnitentis & confitentis cum Sacerdote absolvente non esse essentialem Pœnitentiæ Sacramento, Censurâ à *Clemente VIII.* notatus est, sicut refert *Isambertus*, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de Pœnitentia, Disputatione 18. Art. 7. his verbis: *Die 18. Augusti an. 1605. Sanctissimus decrevit ex Tomo quarto Patris Suarez, Jesuitæ in 3. par. D. Thomæ Disputationem vigesimam primam de Confessione Sacramentali, cui titulus est: Utrùm de necessitate Confessionis sit, ut Pœnitens Sacerdoti absenti immediatè & per ipsum revelet peccata sua? totam esse amovendam, nec aliam esse subrogandam.* Hìc tamen obitèr advertere debes, hoc Decretum, cujus mentionem facit *Isambertus*, non fuisse datum sub *Clemente VIII.* sed sub *Paulo V.*

ejus Successore, die XIV. mensis Junii anni MDCV. Cùm enim doctrinam de Confessione per litteras & Internuntium factâ proscripsisset *Clemens VIII.* velletque *Suárezius* in posteriori Operum suorum Editione hanc doctrinam speciosis expositionibus emollire, & ostendere opinionem suam eo telo petitam minime fuisse, meruit sub *Paulo V.* Pontifice maximo fulmen secundum, ut videre est in hocce Decreto, quod ad Facti hujus historici veritatem magis illustrandam integrum hìc subjicere non abs re erit.

Feria v. die 14. Julii 1605. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis habita Romæ in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram S. D. N. Paulo V. ac Illustrissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus, contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus: proposita causa Patris Francisci Suares Jesuitæ, & consideratis his quæ scripsit Tomo 4. in 3. part. S. Thomæ sectione 4. disp. 21. interpretando Decretum felicis recordationis Clementis Papæ VIII. die 20. Junii 1602. quo damnavit hanc propositionem, videlicèt, licere per litteras, seu Internuntium, Confessario absenti peccata Sacramentalitèr confiteri, & ab eodem absolutionem obtinere: ac etiam maturè discussis his, quæ idem P. *Suares adduxit in defensionem suæ interpretationis: auditis votis Illustrissimorum Dominorum Cardinalium, Sanctissimus decrevit, dictam interpretationem non subsistere, & ideò amovendam esse ab ejus libris, juxtà Decreta aliàs facta à felicis recordationis Clemente Papa VIII. de quibus in actis Sancti Officii.*

Regularem Disciplinam in Religiosis Ordinibus collabentem instauravit *Clemens VIII.* eorum-

rumque Privilegia circà adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ tempore Paſchali, quæ Parochi in Belgio violare attentabant, confirmavit, ſicut & Conſtitutionem *Gregorii XIII.* quâ prohibetur Fratribus Prædicatoribus, ne favore cujuſcumque perſonæ extra Ordinem conſtitutæ ad honorum gradus aditum ſibi patefaciant. Quæ Sanctiſſima lex, omnem ambitioni & Procerum commendationibus viam præcludens, utinàm in Ordine noſtro jugitèr obſervetur. Græcorum, Japoniorum, Sinarum, & Indiarum Orientalium Gentium ſaluti conſuluit *Clemens VIII.* Pro Natione Scotiæ Collegium Romæ fundavit, Viros eruditos fovit, & beneficiis cumulavit, ac tandem tempore Jubilæi anno milleſimo ſexcenteſimo multa admirandæ pietatis exempla ac documenta dedit Religioſiſſimus ille Pontifex, quæ *Henricus Spondanus* ad annum MDC. Num. II. deſcribit his verbis: *Advenisse quoquè* Romam, dùm anno MDC. Jubilæum celebraretur, *Turcas aliquos, tradunt, & baptiſmum ſuſcepiſſe: plurimoſque hæreticos, qui curioſitate videndi ducti (inter quos etiam fuiſſe dicitur Fridericus Dux Witembergicus) conſideratis ſanctis operibus, quæ paſſim fiebant, ac præcipuè Clementis VIII. qui pedes peregrinorum lavabat, tergebat, & oſculabatur, egenos pecuniis ſublevabat, accumbentibus miniſtrabat, Confeſſiones audiebat, omnes conſolabatur, ſingulis benefaciebat, Eccleſias frequentiſſimè viſitabat, & Cardinales, alioſque Prælatos, ac Principes & Proceres Romanos ad eadem præſtanda verbo, et exemplo egregiè invitabat: his, inquam, conſideratis, non pauci ex iiſdem hæreticis à curioſitate in admirationem rapti, depoſita omni iniqua et*

 inepta

inepta ministrorum suorum criminatione, quòd Pontifex sit Antichristus, et Roma Babylonia; ejerata hæresi, fidem Romanam amplexi sunt. Inter quos Stephanus Calvinus, pestilentissimi illius Hæresiarchæ affinis, qui postea Ordinem Carmelitarum Discalceatorum ingressus, multa in eo pietatis et in ministeriis ei creditis prudentiæ opera exhibuit, ac demùm felici exitu vitam terminavit. Sedit *Clemens VIII.* annos tredecim & triginta tribus diebus, & meritis, quàm annis longè cumulatior, cùm vixisset annos sexaginta novem, in Cœlum migravit quinto Nonas Martii anni millesimi sexcentesimi quinti. Sed hactenùs satis dictum sit de Summis Pontificibus, qui Sæculo decimo sexto Romanam Ecclesiam gubernarunt.

D. Me, patriâ Romanum, valdè in primis oblectat Romanorum Imperatorum, & Summorum Pontificum, qui Romæ sederunt, Historia, cum qua nequit alterius Gentis, aut magnitudine aut pulchritudine, aut majestate, aut loci sanctitate, omnisque generis illustrium exemplorum copiâ & varietate contendere Historia. Certè, quantum voluptatis & utilitatis ex assiduo Historiæ studio percipiatur, facilè nunc experior, quippè qui illius ope ac beneficio ea, quæ in præteritis Sæculis gesta sunt, perindè modò calleo, ac si omnibus ætatibus vixissem, omnes regiones perlustrassem, omnibus publicis consiliis interfuissem, & omnia, quæ unquam in retroactis Sæculis contigerunt, præsens spectassem atque annotassem. Cum igitur, juxta Poëtam, *trahit sua quemque voluptas*, ipse deinceps totus incumbam studio Historiæ, quæ facilitate omnes allicit, aures tenet,

net, animos mulcet, & à qua si quis abhorrere se dicat, parùm abest, quin se barbarum hominem quidem esse fateatur. Quid enim aliud est, meâ quidem sententiâ, Barbarorum ritu vivere, quam in Historiâ Sacrâ, Ecclesiasticâ, ac Prophanâ, cujus studium cordato cuique tot nominibus longè antiquissimum debet esse, peregrinum & hospitem esse, aut rudem ac tyronem velle consenescere.

M. Rectè quidèm & appositè dicis. Nam si nulla Gens est, quantumvis remotissima, quæ non in rebus Gestis Romanorum Pontificum, & Imperatorum cognoscendis plurimum operæ atque studii collocet, quid te, sodes, facere oportet, qui Romæ vivis, qui è Romano cœlo spiritum ducis, qui tot antiquæ virtutis, avitæ pietatis, ac majestatis monumenta quotidie intueris, & quàcumque ingrediaris intra hujus Urbis mænia, in sacram aliquam historiam vestigium ponis? An, dùm tam multos ingeniosos & eruditos homines, in remotissimis gentibus natos, tam longinqua itinera suscipere, tantos sumptus facecere, tam multis se labòribus ac periculis exponere cernimus, ut Romam videant, quòd ita judicant, se meliùs ac perfectiùs Historiam Ecclesiasticam ac prophanam intellecturos, si ipsum Urbis situm, ipsa mænia, ipsas veterum arcuum, trophęorum, templorum quamvis laceras & disjectas reliquias, ipsos tot olim nobilitatos victoriis colles, sacras Basilicas, veteres Cryptas, Martyrum sepulchra, & alia sexcenta id genus monumenta propriis oculis inspexerint; soli Romani, quibus hæc omnia in oculos assiduè occurrunt, negli-

negligent tam utilem, tam jucundam ac fructuosam cognitionem rerum, quibus, velut delitiis, Doctorum hilarantur epulæ, Præsulum convivia condiuntur, & omnes, qui Historiæ tam Ecclesiasticæ, quàm prophanæ sunt studiosi, maximâ voluptate pascuntur. Certè, quàm gloriosum fuit Romanis Pontificibus tot res ad perpetuum Reipublicæ Christianæ decus ac ornamentum præclarè gessisse, aut in earum partem venisse, vide ne tibi tam turpe sit, si, quorumdam aliorum sequutus exemplum, otio indulgeas, & immortalia Romanorum Pontificum Gesta ne primoribus quidem labiis degustare curaveris. Sed opus non est, ut tibi jam in Historiæ Ecclesiasticæ stadio spontè currenti calcaria addam. Finem itaque præsenti Colloquio imponamus, aliud postridiè habituri de erroribus & Hæresibus, quæ Sæculo Ecclesiæ decimo sexto variis in locis fruticantes gravissima Ecclesiæ Catholicæ damna intulerunt.

COL-

COLLOQUIUM TERTIUM,

De erroribus & Hæresibus, quæ Sæculo decimo sexto variis in locis enatæ Ecclesiam Catholicam miserum in modum dilacerarunt.

DISCIPULUS. QUorsùm, amabo, charissime Magister, te solitô mæstiorem video? quid sibi volunt istæ lacrymæ quibus te conficis? nunquid tot calamitates, quibus Sæculo decimo sexto fuit afflicta Ecclesia gravissimis Hæresum agitata procellis, te ad lacrymandum provocant? cedo, si placet, causam doloris tui, ut officium meum tibi, à quo persæpè meo in luctu fui amantissimè confirmatus, vicissim in tuo tristissimo casu exhibere possim.

M. Si piæ reputantur hæ lacrymæ, quas in obitu majorum suorum virtute præstantium profundunt illi, qui cum eis conjunctè amantèrque vixerunt; quantò magis piæ, justæ ac sinceræ censeri debent illæ lacrymæ, quas ab oculis meis elicit amantissimi Patris mei, Reverendissimi *Antonini Cloche*, totius Ordinis Fratrum Prædicatorum Generalis Magistri, inopinata mors, quæ heri die vigesimâ sextâ Februarii anni MDCCXX. eô me dolore perculit, qui omnem consolationem vincit. Quid autem in tam gravi jactura aliud agere possum, quàm ut modis omnibus tester dolorem meum,

meum,& quod vitæ reliquum est in mærore ac lacrymis transigam, orbatus ac destitutus Patre post hominum memoriam optimo, qui licèt eò progressus esset ætatis, ad annum scilicet nonagesimum tertium, ut à vita, tanquàm ex arbore fructus, non per vim evulsus, sed suo tempore ipsâ maturitate collapsus videatur, illius tamen mors eò me acerbiori dolore affecit, quò ejus vita diuturnior, & mihi & omnibus utilior visa sit, illôque meliorem Patrem nemo nostrûm aliquandò visurus sit, nec parem unquam posteri nostri sint habituri. Collegerat quippè Reverendissimus Pater *Antoninus Cloche*, natione Gallus, summa omnia, ex quibus undique perfectus, & detractis quibuscumque vitiis, Præpositus Generalis cumulari debet, eâque sapientiâ ac felicitate Prædicatorum Ordinem per triginta quatuor annos rexit, ut ad summam rerum administrationem natus esse videretur. Atque, ad leniendum utcùnque dolorem meum, ut ex singulis pauca libemus, revoca, quæso, in memoriam tuam, charissime Discipule, quæ fuerit illius in negotiis cùm publicis, tùm privatis penitùs introspiciendis sagacitas ac perspicacia, quæ celeritas in extricandis, in ponderandis maturitas, in gerendis cautio, in conficiendis diligentia, quæ Vis, quod animi robur in sustinendis; quæ tenax & adamantina memoria, quâ omnia retroacti temporis negotia, singula, quæ illa spectare poterant, puncta, apices, minutissima quæque persequebatur, & quàm facilè præterita recordabatur, tàm acutè cernebat præsentia, tàm cautè futura providebat. Mirifica felicis ejus ingenii indoles ita exculta erat præ-

præclaris tùm humaniorum, tùm ſeveriorum litterarum ſtudiis, ut extempore implicatiſſimos Theologorum nodos ſolvere & explicare ſoleret, quod ſæpiùs Romæ in ſolemnibus diſputationibus patuit, in quibus de omni re, quæcumque ſe offerrent, elegantèr, accuratè & copiosè dicebat; eâ facilitate omnia propoſita argumenta reſumebat atque diluebat, tam amplâ eruditione intimos Theologiæ fontes aperiebat, & reconditos antiquitatis theſauros reſerabat, ut omnibus admirationem moveret, ejuſque oratio non facta, ſed nata; non quæſita ſed inventa; recitata de ſcripto, non ex uberrimo locupletis ingenii ac doctrinæ penu deprompta videretur. Tu ipſe in blandiſſimis ejus Colloquiis, quibus interdùm fruebaris, ſuſpicere ſolebas ejus animi candorem, fuci & fallaciarum expertem, ingenuitatem ſermonis ſine verborum circuitu, doctrinam abſque ſupercilio, ſenectutem non languidam & inertem, ſed alacrem & actuoſam, cujus ætatem virilem non pœniteret; gratam ſimplicitatem, lautam tamen elegantiam in excipiendis, qui ad ſe ventitabant, Principibus; ſummam denique comitatem, affabilitatem, atque humanitatem, quæ tanta in eo erat, ut omnium horarum homo cuilibet vacuas aures patienter commodaret, verbis ornaret beneficia, omnium preces obviâ benignitate geſtiret antevertere, ſingulorum Poſtulata libentèr cognoſcere, nihil juſta petentibus denegare, & ſi quid negare cogebatur, eâ ſermonis uteretur lenitate, eôque humanitatis condimento deliniret, ut eos quoque, quibus negabat, æquos à ſe placatoſque dimitteret. Eâ affabilitate, quâ ama-

amabilior ne voto quidem fingi poterat, eâ propensissimâ de omnibus benè merendi voluntate, Regum, Principum, ac Magnatum sibi conciliavit benevolentiam, multitudinem verò, cujus erat in oculis, fecit omninò suam, & omnium Fratrum suorum corda ac voluntates ita ad se rapuit, ut vix unus uni carior sit, quàm ille esset his omnibus, quorum curam ei Deus crediderat. Quid? cæteræ virtutes, quales in eo, & quàm singulares fuerunt? Quis unquàm in acceptis beneficiis magnificentior fuit? Quàm sumptuosum Cardinalis *Hieronymi Casanate*, de illo & de toto suo Prædicatorum Ordine benè meriti, Mausoleum in Basilica S. *Joannis* Lateranensis excitavit, quàmve elegantẽ & affabrè elaboratam ejusdem Cardinalis Statuam, velut monumentum ære perrennius, in vestibulo insignis apud Prædicatores Minervitanos Bibliothecæ Casanatensis erigi ac collocari curavit? Quid dicam de singulari ejus pietate, quam etiamnùm testantur Sacræ Ordinis Prædicatorum Virgines, ac multi Beati, quos ad illius preces, piamque sollicitudinem, Beatorum ac Sanctorum Fastis adscripsit Ecclesia, quos inter eminet Sanctus *Pius V.* Pontifex Maximus, cujus Corpus in Arca nitidissimo marmore adornatâ, ad implendum debitæ pietatis suæ officium, apud Basilicam Sanctæ *Mariæ Majoris* reposuit ille religiosissimus Ord. Prædicatorum Magister, ut nihil in præsentia dicam de insigni illâ Statuâ, quam ex marmore altitudinis palmarum Romanarum xx. Sancto *Dominico*, Ordinis Prædicatorum Fundatori, in Templo Vaticano posuit. Postremò, ut mittam alia benemulta, quæ non solùm amplam satis ad dicendum

dum suppeditarent materiem, sed singula libros integros desiderarent, nihil toto ac diuturno Præfecturæ suæ tempore antiquius habuit Reverendissimus Pater *Antoninus Cloche*, quàm ut tùm Epistolis Encyclicis, tùm Comitiis Generalibus, quæ Romæ, ac deindè Bononiæ celebravit, Disciplinam Regularem sartam tectam in suo Ordine conservaret, eamque sibi constanti ac perpetuâ ratione vivendi in se exprimeret. Hinc non mirum, si statim ac sibi ex hac vita migrandum esse sensit, nihil territus, mortem irretortis oculis adspexerit, & omnem spem sibi in divina bonitate & misericordia constitutam esse ostendens, Sacramenta Ecclesiæ summâ cum pietate, jam æternitatis candidatus, susceperit, & post brevem, sed gravem ac piam ad suos Fratres, quos in suo sinu gestabat, habitam Concionem (quæ à me lacrymis perfuso arrectis auribus audita, & statim scripto consignata, mox typis edita est) cum incredibili eorum omnium, qui aderant, Fratrum dolore, extremum Deo, quem unicè in vita dilexerat, spiritum reddiderit. Quod ubi percrebuit, quæ tùm totius Urbis consternatio, qui plangor omnium, quæ complorationes, quæ lamentationes fuerint, tute, Charissime Discipule, sat superque vidisti & audisti. Sed ô me infelicem! quantò mihi res secùs cecidit, quàm à principio cogitaram? Brevis enim hæc virtutum Reverendiss. Patris *Antonini Cloche*, Patris mei amantissimi, commemoratio, quam mihi solatio & levamini fore speraveram, ea mihi pectus effodit, ea vulnus adegit altiùs, ea dolorem dolore cumulavit.

D. Est omninò difficilè, fateor, mortem Re-

Reverendissimi Patris *Antonini Cloche* non deflere, non graviter ferre, si tamen fas est aut flere, aut omninò mortem vocare, quâ tanti viri mortalitas magis finita, quàm vita est. Vivit enim adhùc, crede mihi, vivetque semper, atque etiam latiùs in memoria hominum, & sermone versabitur, postquàm ab oculis recessit. Quin, asserere non dubitaverim, nos ei potiùs gratulari debere, quàm lugere; quia terram Cœlo,laborem quiete, mortalitatem immortalitate mutavit. Quòd mortuus est, humanæ fragilitatis est, quòd ita mortuus, divinæ cujusdam felicitatis. Bonum certamen certavit,cursum consummavit,fidem servavit, eumque tandem Deus ex hoc inquieto ac turbulento Salo, in illum, ut quidem spes est, placidissimum portum perpetuæ quietis ac tranquillitatis eduxit. Eâ spe recreati nostrum debemus delinire dolorem, cui tempus sensim sine sensu, ut fieri assolet, callum tandem obducet. Interim, nostrum incipiamus Colloquium de Hæresibus, quæ Sæculo decimo sexto Ecclesiam exagitarunt, easque singillatim, juxtà ordinem Chronologicum, expendamus.

M. Ordiemur à Lutherana Hæresi, cujus Author fuit *Martinus Lutherus*, Islebii in Saxonia plebeis parentibus natus sub finem Sæculi decimi quinti seu anno MCCCCLXXXIII. Litteris humanioribus imbutus, dùmque ruri esset, ictu repentini fulminis in unum è suis sodalibus immissi perterritus, Ordini Eremitarum Sancti *Augustini* anno ætatis suæ vigesimo secundo in Cœnobio Erfordiensi nomen dedit, non quidem *libens et cupiens*, ut ipsemet ad Patrem suum scribit in Præ-

Præfatione Libri *De Votis Monasticis*, sed *terrore & agone mortis subitæ circumvallatus*, *emisit coactum & necessarium votum*. Laureâ Doctorali in Academia Witembergensi donatus, ac Theologiæ Professor creatus, acer ac vehemens in disputando, humanæque gloriæ percupidus, à regia viâ, & tritis Theologorum semitis recessit, nactusque occasionem declamandi contra Indulgentias(quas *Leo X.* Pontifex Maximus, sicut in superiori Colloquio observavimus, ad perficiendam Fabricam Templi Sancti *Petri* Romæ, quam *Julius II.* inceperat, per Orbem Christianum prædicari jusserat) suos cœpit evomere errores, iisque magnam Germaniæ partem infecit.

D. antequàm referas errores *Martini Lutheri*, rem mihi gratissimam faceres, si eum nativis coloribus depingere velles, ut hoc pacto scire possim, quis & qualis fuerit ille Hæresiarcha, qui, sub specioso obtentu reformandi mores Ecclesiæ, tot ac tantas excitavit tragædias, quibus sùs dèque totum Orbem miscuit.

M. Quis & qualis fuerit *Martinus Lutherus*, sat supèrque produnt ea, quæ virulento calamo scripsit, Opera, ex quibus palàm dignoscitur, eum fuisse subdoli & versipellis ingenii virum, Diaboli Discipulum, superbum, impudentem, maledicum, effræni libidini deditum. In primis, apparet subdolum ac versatile *Lutheri* ingenium in ea Epistola, quam scripsit ad *Leonem X.* Pontificem Maximum, in qua, ut videre est apud *Ulembergium* in Vita *Lutheri* Cap.2. summâ animi demissione sic Romanum illum Pontificem alloquitur Lutherus: *Beatissime Pater, prostratum me*

Beatitudinis tuæ pedibus offero cum omnibus, quæ ſum, & habeo. Vivifica,occide,voca, revoca,approba, reproba,ut placuerit: Vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis,& loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mortem non recuſabo. Sed quàm fucato ac ſimulato animo hæc ſcriberet *Lutherus*, ſtatim ipſemet declaravit in Reſponſione, quam ſcripſit contra librum, quem noſter *Sylveſter Prieras*, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, in lucem emiſerat. In ea quippè Reſponſione *Lutherus* in hæc impia verba, quæ loco mox à me laudato refert *Ulembergius*, contra Summum Pontificem, & omnes Cardinales prorumpit: *Quid enim? mihi videtur, ſi ſic pergit furor Romaniſtarum, nullum reliquum eſt remedium, quàm ut Imperator, Reges, & Principes, vi & armis accincti aggrediantur has peſtes Orbis terrarum, remque non jam verbis, ſed ferro decernant*. &, paucis interjectis, ſubdit: *Si fures furca, ſi latrones gladio, ſi hæreticos igne plectimus, cur non magis hos magiſtros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam iſtam Romanæ Sodomæ colluviem, quæ Eccleſiam Dei ſine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus noſtras in ſanguine iſtorum lavamus, tanquàm à communi & omnium periculoſiſſimo incendio nos, noſtroſque liberaturi*. Quæ verba *Lutheri* expendens ibidèm jam à me citatus *Ulembergius*, ait: *Conferat nunc inter ſe, qui volet, iſta, quæ eodem anno & forſan eodem menſe ſcripta ſunt. Lutherum videbit ad Pedes Pontificis humiliter proſtratum, & ſupplices tendentem manus, illas ipſas, inquam, manus, quas ſecreto mentis deſiderio in ejuſdem Pontificis ſanguine lavare cupiebat*. Has blaſphemas voces omni procùl dubio ſuggeſſit *Luthero* Dia-

Diabolus, cujus ipsemet fatetur, se fuisse discipulum. Ait quippè in libro *de Angulari Missa, Diabolum nocte quadam eum à somno excitasse, & ad scribendum contra Sacrificium Altaris suasisse*. Refert etiam *Clochæus* in Actis & Scriptis *Lutheri*, solitum fuisse hunc Hæresiarchã dictitare, *se Diabolo familiarem esse, seque cum ipso plusquàm unum modium salis comedisse*. Quod etiam idem *Joannes Cochlæus* confirmat his verbis: *Sunt & alia non pauca hac de re argumenta, quòd etiam corporaliter visus quibusdam fuerit Dæmon cum eo*, seu Luthero, *conversatus*. In Diaboli schola edoctus *Lutherus*, milliès in suis Scriptis nomen Diaboli inculcat, tanquam furiosus scribit, passim suam & superbiam & impudentiam ostentans. Quanto superbiæ typho tumidus esset *Lutherus*, facilè ex ejus verbis, & factis, quorum pauca hìc subjiciam, perspectum ac exploratum habere poteris. Pestiferum librum, quem *de Captivitate Babylonica* scripturivit *Lutherus*, his verbis concludit: *Audio paratas esse denuò in me Bullas, et diras Papisticas, quibus ad revocationem urgear, aut hæreticus declarer. Quæ si vera sunt, hunc libellum volo partem esse revocationis meæ futuræ, ne suam tyrannidem frustra inflatam querantur. Reliquam partem propediem editurus sum talem, Christo propitio, qualem hactenus non viderit nec audierit Romana Sedes, obedientiam meam abundè testaturus*. Nec verbis contentus *Lutherus*, Corpus Juris Canonici in ignem Witembergæ projecit, hæc superba proferendo verba: *Quia conturbasti Sanctum Domini, Deus te consumat igne æterno*. Quæ *Lutheri* verba expendens *Odoricus Raynaldus* in Annal. Eccl. ad an. MDXX. Num. XVI. ait:

ait: *Scilicèt Lutherus sceleſtiſſimus, qui palam adulteria, inceſta, et ſcortationes conſulit, ipſo judice fuit Sanctus Domini conturbatus in Sacris Canonibus à Chriſto, Apoſtolis et Sanctis Patribus, à quibus ejus doctrina impia damnatur; et Folia Sacros Canones continentia, ac docentia, quæ ſit vera ſcriptura, ignes æternos paſſura ſunt, ac non ipſe flammis exurendus ſempiternis*. Intolerabili ſuperbiæ ſummam in ſuis Scriptis impudentiam adjunxit *Lutherus*, quippè qui in Reſponſione, quam edidit ad librum, quo ejus errores egregiè confutaverat *Henricus VIII.* tum temporis Catholicæ Fidei defenſor, omni contumeliarum, probrorum, convitiorumque genere Regiam Majeſtatem proſcindit his verbis: *Neſcias*, inquit, *an ipſa mania ſic inſanire poſſit, aut ipſa ſtoliditas tàm ſtolida ſit, quàm et caput boc Henrici noſtri. Fortè ut verum faciat proverbium: Aut Regem, aut fatuum naſci oportuit..... Cùm prudens et ſciens mendacia componat adversùs mei Regis Majeſtatem in Cœlis; damnabilis putredo iſta et vermis, jus erit pro meo Rege, et Majeſtatem Anglicam luto ſuo et ſtercore conſpergere, et Coronam iſtam blaſphemam in Chriſtum pedibus conculcare*. Dein, inflatis tibiis, & quaſi totus ſpiritu fatidico plenus, hæc ſubjungit: *Certus ſum*, ait, *Dogmata mea habere me de Cœlo, quæ etiam adversùs eum triumphavi, qui in ungue noviſſimo plus habet virtutis et aſtutiæ quàm omnes Papæ, et Reges, et Doctores, ut nihil agant, qui bullas nominum et titulorum contra me jactant, et libellos ſuos Regiis inſcriptionibus venditant. Dogmata mea ſtabunt, et Papa cadet, invitis omnibus portis inferi, et poteſtatibus aëris, terræ et maris.... Sic placet in Chriſto in dies*

magis

magis ac magis superbire adversùs istos insulsos, et ineptos Basiliscos, quò magis ipsi furunt...... Hæc sunt arma, quibus Hæretici vincuntur hodie, ignis et furor insulsissimorum asinorum, et Thomisticorum porcorum. Sed pergant porci illi, et, si audeant, exurant me. Hìc sum, et expectabo eos, cineribus solis post mortem etiam in mille maria projectis, prosequar et fatigabo hoc abominabile vulgus. Summa, vivens Papatus hostis ero, exustus bis hostis ero. Facite Porci Thomistæ, quod potestis. Lutherum habebitis Ursam in via, et Leenam in semita, undique vobis occurret, et pacem habere non sinet, donec ferreas vestras cervices et æreas frontes contriverit. Talis fuit impii *Lutheri* calami amarulentia, & effrænis convitiandi libido, ac plusquàm scurrilis dicteriorum, sannarumque petulantia, quâ impudentissimus ille Hæresiarcha maledicentiæ suæ fulmen in illos omnes contorquebat, qui virulenta ejus dogmata impugnarent. Hinc *Desiderius Erasmus*, cujus testimonium Lutheranis suspectum esse non debet, in *Diatriba Hyperaspistes*, quæ extat Tomo x. ejus Operum nuperrimæ Editionis Lugduni Batavorum anno MDCCVI. adornatæ, sic *Lutherum* affatur: *Novi aliquot viros, qui initio non inviti legebant tuas lucubrationes cognoscendi judicandique studio: tandem coacti sunt rejicere, quòd faterentur sese infici tot sannis, scommatis, dicteriis, convitiis & calumniis. Et cùm videas quantum malorum in Orbem invexerit ista tua ferocia, cùm totiès admonitus sis, tamen usque proficis in deterius. Innumeros abstraxisti à suis Prælatis, qui nunc oberrant velut oves dissipatæ non habentes pastorem, præsertim cùm videant tuam Ecclesiam tantis dissidiis concuti &*

intestinis bellis tumultuari. Et inter hæc adhuc vacat tibi tantos libros, tam operosè maledicos scribere & convitiis debacchari. Hinc incipis, per hæc pergis, in hæc desinis &c. Jam verò, quanta esset Lutheri morum spurcities ac salacitas, disce ex Sermone de Matrimonio, quem scelestus ille Hæresiarcha Witembergæ habuit, & extat Tomo V. ejus Operum Editionis Witembergensis, ubi hæc habet: *Ut non est in meis viribus situm ut vir non sim, tam non est etiam mei juris, ut absque muliere sim..... Verbum hoc, quod Deus ait*: Crescite & multiplicamini, *non est præceptum, sed plusquam præceptum divinum, putà opus, quod non est nostrarum virium ut impediatur, vel ut omittatur, sed tam est necessarium, quàm ut masculus sim, magisque necessarium, quàm edere, bibere, purgare, mucum emungere, somno, & excubiis intentum esse. Insita est natura & indoles, æquè ac membra, quæ eò pertinent.* Hinc salacissimus ille Hæresiarcha (uti referunt Scriptores coævi, testesque locupletissimi) tria plaustra lascivis Deo dicatis Virginibus onusta è Monasterio Nimicensi per *Leonardum Koppen*, raptorem incestuosum, abduxit, eas Witembergam ad stupra rapuit, formâ venustiorem ex illis, *Catharinam de Borè*, jam gravidam, sibi copulavit, quæ illi altero mense à nuptiis partum edidit, ac tandèm eò audaciæ & impietatis prorupit *Lutherus*, ut prædictum Deo Sacrarum Virginum Raptorem Panegyricâ Oratione in Ecclesia celebrarit, eumque cum Christo, in Limbum descendente & animas ex Inferorum potestatibus eripiente, contulerit, Sacrilegis his verbis: *Felicem Raptorem! sicut Christus raptor erat in mundo, quando per mortem*

Princi-

Principi mundi auferebat arma & vasa sua, ipsumque ducebat captivum, ita & tu has miseras animas ex carcere humanæ tyrannidis eduxisti: & quidem opportunissimo tempore, in Pascha, quo Christus suorum quoque captivitatem captivam duxit. Tres filios, *Joannem*, *Martinum*, & *Paulum* ex sua pellice *Catharina de Borè* suscepit *Lutherus*, obiitque anno MDXLVI. die XVII. mensis Februarii, Islebii, noctu, cùm serò præcedenti oppiparè cænasset, & facetiis pro more indulsisset. Hoc Epitaphium, teste *Joanne Pomerano*, suo tumulo inscribi voluit Lutherus: *Pestis eram vivus, moriens mors ero tua, Papa*. Ejus Opera, septem Tomis in Folio comprehensa, Witembergæ anno MDLVIII. edita sunt, in quibus apertè se præbet magnum Ardelionem, Proteo mutabiliorem, totius Christianismi infensissimum hostem, verbisque suis nihil aliud declarat, quàm se in corde *Lucianum*, aut alium quemdam de grege *Epicuri* porcum, grandem inhalantem crapulam, aluisse. Certè, innumeris erroribus à capite ad calcem scatent Hæresiarchæ *Lutheri* libri, *in quos* (ut phrasi utar *Senecæ* in libello de morte *Claudii* Cæsaris) *si incidisses, valdè fortis licèt tibi videaris, maluisses cloacas Augiæ purgare, multò plus ego stercoris exhausi*.

D. Profectò *Hercules* non sum, ut possim repurgare Augiæ stabulum, quod, ut nuperrimè legebam apud *Lucianum* in *Pseudomante*, tantum fimi ac stercoris congesti habebat, quantum ter mille boves pluribus annis reddere potuissent. Sed quamvis haud possim Augiæ stabulum, eôque longè fæculentiorem *Martini Lutheri* doctrinam repurgare, præcipuos tamen scire vellem errores,

in quos impegit *Lutherus*, qui, ut mox narrabas, vitæ religiosæ, quam professus fuerat, nauseans Regulam, exuto & ad urticas pulso cucullo, lapsus est in Apostasiam,& ex Apostasia in Hæresim, ex Hæresi in magnum, & sceleribus famosum evasit hæresiarcham, qui, temerè sparsâ impiæ ac sacrilegæ religionis novitate, dissensiones, cædes, bella, strages, parricidia ubique terrarum excitavit, Sectamque conflavit, quæ etiamnùm pluribus in locis viget ac veram fidem corrumpit.

M. In suis libris *Martinus Lutherus* crambem dumtaxàt recoxit, & antiquos errores jam consepultos, suisque natalitiis tenebris ab Ecclesia damnatos, è bustis veterum Hęresiarcharum postliminiò revocavit, sicut nullo negotio tu ipsemet colligere poteris ex impiis dogmatibus, quæ hic scelestissimus Hæresiarcha passim in suis Operibus perfrictę frontis audaciâ docet, quęque præcipuè ad ista septemdecim capita, ex quibus alii innumeri pullulant errores,reduci possunt. Primò, docet*Martinus Lutherus,liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum extinctum omninò esse, et esse rem de mero titulo*. Secundò, *Nullum esse hominis meritum ad gloriam, sive salutem*. Tertiò, *Hominem sola fide, eaque inamissibili, sine operibus justificari*. Quartò,*Sacramenta novę legis nec gratiam conferre, nec caracterem imprimere*. Quintò, *Confessionem Auricularem inventum esse humanum*. Sextò, *In Eucharistiæ Sacramento post consecrationem remanere panem*. Septimò, *Corpus Christi in Sacramento non semper esse, sed in solo usu*. Octavò, *Ab omnibus etiam Laicis sub utraque specie sumendum esse Eucharistiæ Sacramentum*. Nonò, *Missam nec à Christo insti-*

institutam, nec Sacrificium esse. Decimò, *Sacerdotes ad Cęlibatum non teneri, verbo & exemplo confirmavit*. Undecimò, *Vota Monastica, tanquàm nova hominum commenta explodit, ac sugillat*. Duodecimò, *Indulgentias reprobat, & pias fidelium fraudes vocat*. Decimo tertiò, *Contritionem ex metu gehennæ conceptam, peccatum esse*. Decimo quartò, *Sanctos nec colendos, nec invocandos esse*. Decimo quintò, *Ecclesiam solis constare bonis, & è suo sinu malos, seu peccatores & reprobos excludere pertendit*. Decimo sextò, *Purgatorium ex Scriptura Sacra probari haud posse asseverat*. Postremò, *Deum hominibus impossibilia præcipere, eumque esse authorem peccati sacrilego ore effutire non dubitat*. Præter illos septemdecim capitales errores, alios non minus infestos evomuit *Lutherus*, quos inter, censentur isti: *Primatus Romani Pontificis non est ex jure Divino*: *Hæreticos comburi, est contra voluntatem spiritus*: *Præliari adversùs Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*: *Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non malè facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent*: *Duo tantùm sunt in Ecclesia Sacramenta, Baptismus & Panis*: *Christiani æqualiter sunt Sacerdotes &c.* Legesis Diploma Pontificium *Leonis X.* quod incipit his verbis: *exurge Domine*, & habetur Tomo XIV. Conciliorum Labbeanæ Editionis pag. 390. & Tomo 2. Bullarii pag. 614. datum XVII. Kalendas Julii anni MDXX. in quo Romanus ille Pontifex *Lutheri* errorum XLI. capita confixit.

D. Mittamus, quæso, illam *Lutheri* errorum colluviem, illum calumniarum gurgitem, contumeliarumque sentinam, quæ agitari diutiùs sine nau-

nauſea non poteſt, & oſtende, ſi placet, an Hæreſiarchæ *Lutheri* diſcipuli in unam Sectam coaluerint, vel in plures Sectas ſint diviſi?

M. In tres diverſas Sectas diſtracti ſunt *Lutheri* diſcipuli, quarum prima eſt Anabaptiſtarum, qui Baptiſmum parvulis nihil prodeſſe putant, eoſque denuò baptizant, dum ad ætatem adultam pervenerunt. Altera Secta eſt eorum, qui *Lutheri* Placitis alia de ſuo plura miſcuerunt; & hanc Sectam componunt *Sacramentarii*, ſeu illi, qui *Berengarii*, Sacramentariorum parentis, renovantes errorem, docent, Corpus Chriſti Domini in Euchariſtia non eſſe, quod cùm *Martini Lutheri* doctrinæ adverſetur, ideò non Lutherani, ſed Sacramentarii appellantur. Tertia Secta conflatur *Confeſſioniſtis*, ſeu illis, qui Confeſſionem Auguſtanam ſectari ſe jactant & proteſtantur, unde *Proteſtantes* dicti ſunt. Porro, hi Lutherani dicti Confeſſioniſtæ, in tres adhùc Claſſes diſtiguuntur. Alii quippè ſunt *Rigidi*, alii *Molles*, alii *Extravagantes*. Hi, qui puris adhærent Lutheri erroribus, *Rigidi* vocantur; *Molles* verò, qui Confeſſionem Witembergenſem ſequuntur; *Extravagantes* denique appellantur hi, qui Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcripſerunt, ut Principum favorem aucuparentur, ſeque Lutheranos dicunt, licèt ſectentur dogmata *Luthero* contraria.

D. Varias illas Sectas, in quas Hæreſiarchæ *Lutheri* diſtracti ſunt diſcipuli, ſingillatim expendamus, & primò quidem de Anabaptiſtarum Sectæ exordio, Auctore, erroribus, & de aliis hujuſmodi, quæ ad ipſam pertinere poſſunt, breviter diſſeramus.

M. An-

M. Anno circiter MDXXII. prodiit fanatica Anabaptistarum Secta procusa à *Nicolao Storkio*, sive *Pelargo* dicto, Silesio, qui, cùm antehàc *Luthero* adhæsisset, ab eo posteà deficiens, & insolitas Revelationes sibi factas, secretaque Mysteria, quasi ab Archangelo *Michaele* accepta, temerè venditans, Witembergâ pulsus est, & per Thuringiam incertis sedibus oberrans, rusticos homines ad Sectam suam pertraxit, iisque sequentes errores, teste *Joanne Cochlæo* in Actis *Lutheri*, instillavit. Præcipuum hujus Sectæ Dogma est, Parvulis usu rationis carentibus nihil omninò prodesse Baptisma, hincque illi Sectarii dicebantur *Anabaptistæ*, tùm quòd ipsi rebaptizarentur, tùm quòd rebaptizarent alios, adultos scilicèt, qui extra eorum Sectam necdùm rationis usu donati Baptimum susceperant. Præter hunc capitalem errorem, Anabaptistæ realem Corporis Christi præsentiam & manducationem corporalem in Cœna Domini negant; Imagines execrantur; solam scripturam recipiunt, Magistratum abjiciunt, jurare, litigare, arma tractare, Magistratum gerere, Christianis illicitum esse volunt. His, & aliis erroribus, falsis revelationibus, suisque enthusiasmis cùm promiscuæ plebis, ac stolidorum rusticorum ingentem multitudinem decepisset *Nicolaus Storkius*, cœpit ære ciere viros, martemque accendere cantu, quo animati ejus Sectarii, eos omnes, qui rebaptizari nolebant, ex Urbibus expulerunt, aut cæciderunt, cultum Dei extinxerunt, expilarunt Ecclesias, Episcopos, & Pastores trucidarunt, bona eorum diripuerunt, Monasteria diruerunt, sacras Virgines violarunt,

Senatum pro suo arbitrio mutarunt, tàmque magnos concitarunt tumultus, ut tandem, missis ad eos debellandos copiis, centum & triginta efferatorum illorum Rusticorum millia commissio prælio anno MDXXV. perierint, ut videre est in *Petri Criniti* de hoc Bello Rusticorum Commentario, qui Tomo secundo Rerum Germanicarum *Marquardi Freheri* editus est. Anabaptistæ fuerunt divisi in varias Sectas, quæ vel ab Auctoribus suis, vel à locis, vel à doctrina, vel à vitæ instituto varia traxêre nomina, quæ hìc indigitare sufficiet. Primò, inter Anabaptistas, alii appellabantur *Muntzeriani* à *Thoma Muntzerio*, Alstensi in Thuringia Concionatore, qui è Sacerdote Catholico Lutheranus factus, ita scitè Enthusiastam egit, tàmque egregiè sanctitatis speciem mentitus, Sectam Anabaptistarum dilatavit, ut ejus Author haberetur. Secundò, Anabaptistæ dicebantur *Huttitæ* à *Joanne Hut*, & hi spontaneam paupertatem profitebantur, visiones jactabant. Tertiò, Anabaptistæ vocabantur *Augustiniani*, ab *Augustino* Bohemo; *Bukoldiani*, à *Joanne Bukold*; *Melchioritæ*, à *Melchiore*; *Hofmannianni*, ab *Hofmanno*: *Mennonitæ*, à *Mennone Simonis*, oriundo ex quodam pago Frisiæ; *Gabrielitæ*, à *Gabriele*; *Hutteriani*, ab *Huttero*; *Servetiani*, à *Serveto* Hispano, qui combustus est Genevæ anno MDXLIV. *Davidiani*, seu *Georgiani*, à *Davide Georgio* Amersfordiensi, qui sese tertium esse *Davidem*, verumque Messiam, effutiebat. Dicti sunt etiam Anabaptistæ, *Francistæ*, à *Sebastiano Frank*; *Scuvenkfeldiani*, à *Gaspare Scuvenkfeldio*. Præter hæc nomina, quæ Anabaptistæ traxerunt ab Auctoribus, qui eorum

Sectam vel propagarunt, vel in varia schismata distraxerunt, alia insuper nomina vel à doctrina, vel à diverso Vitæ Instituto sortiti sunt, ac denominati primò *Adamitæ*, quòd nudi incederent, ut sic innocentiam Adami simularent. Secundò, *Apostolici*, quòd absque calceis, perâ, & pecuniâ hàc illàc vagarentur. Tertiò, *Cathari*, quòd se puros, spirituales ac perfectos dictitarent. Quartò, *Clancularii*, seu *Silentiarii*, quòd latêre studerent, suamque fidem manifestare nollent. Quintò, *Dæmoniaci*, quòd putarent, Dœmones post finem mundi salvandos esse. Sextò, *Communia habentes*, quia uxores, liberos, & alia omnia communia esse volebant. Septimò, *Condormientes*, quòd inter illos promiscuè Viri & fœminæ simul habitarent & dormirent. Octavò, *Lachrymantes*, sive *Ejulantes*, quia sibi persuadebant, nihil Deo tàm gratum & acceptum à se offerri posse, quàm si subindè lacrymas copiosè funderent. Nonò, *Polygamistæ*, quòd plures simul uxores habere licitum esse affirmarent. Decimò, *Euchitæ*, *Enthusiastæ*, & *Extatici* appellabantur, eò quòd inter Anabaptistas alii essent, qui non secùs ac Hæretici *Euchitæ*, contendebant, soli Orationi vacandum esse, nec media conquirenda ad vitam temporalem necessaria, sed à Deo omnia expectanda; alii verò, qui, perindè ac *Enthusiastæ* seu *Extatici*, inspirationes divinas, extases, & secreta cum Deo colloquia jactarent. Undecimò, nonnulli inter Anabaptistas dicebantur *Libertini*, qui à Divinis & Politicis Legibus, Decimis, tributis &c. se per Christum immunes esse gloriabantur. Denique, Anabaptistæ à locis, undè prodierunt, vel in quibus

suam

suam sedem fixerunt, alia traxere nomina, quæ hìc recensere supervacaneum omninò foret.

D. Diversa illa nomina, quæ variis Anabaptistarum Sectis indita sunt, nihil planè moror: sed scire velim nomen Authoris Hæresis *Sacramentariorum*, qui, ut mox dicebas, *Berengarii* dudùm damnatam & sopitam renovantes Hæresim, negant realem Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento præsentiam.

M. Primus hujus Sacramentariorum Hæresis Author fuit *Andreas Carlostadius*, natione Germanus; & Archidiaconus Witembergensis, qui etiam primus Reformatorum sacrilegas nuptias contraxit, quas non puduit Lutheranos Witembergenses publicè laudare & approbare hac speciali Oratione, quam in proprio Missæ Officio recitarunt: *Oramus*: *Deus*, *qui*, *post tam longam & impiam Sacerdotum tuorum cæcitatem*, *Beatum Andream Carlostadium ea gratia donare dignatus es*, *ut primus*, *nulla habita Papistici juris ratione*, *uxorem ducere ausus fuerit*; *da quæsumus*, *ut omnes Sacerdotes*; *recepta sana mente*, *ejus vestigia sequentes*, *ejectis concubinis*, *aut eisdem ductis*, *ad legitimum consortium thori convertantur*. Quæ certè Oratio debet jure merito appellari totius impietatis monumentum, & lasciviæ impudentissimæ trophæum. Hæresiarchæ *Lutheri* coætaneus & familiaris fuit Andreas *Carlostadius*, sed orto inter ipsum & *Lutherum* de Cœna Domini dissidio, cœpit *Carlostadius* apertè negare, Corpus & Sanguinem Christi reipsâ & secundùm substantiam contineri in Eucharistiæ Sacramento, cui librum *contra Cœlestes Pro-*

Prophetas, seu fanaticos statim opposuit *Lutherus*, & Sacramentariorum errorem semper detestatus est. Hunc Sacramentariorum errorem latissimè in Helvetia propagavit *Huldricus Zuinglius*, in pago Doggiorum in Helvetia natus, eique multos alios addidit, quos inter præcipuos hìc subjiciemus. Primò asserebat, *Missam non esse Sacrificium, sed Sacrificii in Cruce semel oblati commemorationem, & quasi sigillum redemptionis per Christum exhibitæ*. Secundò, affirmabat, *Nobis extrà hanc vitam intercessore, præter Christum, nullo opus esse*. Tertiò, dicebat, *Christum esse nostram justitiam*, ex quo inferebat, *opera nostra eatenùs esse bona, quatenùs sunt Christi, quatenùs verò nostra, non esse verè bona*. Quartò, docebat, *Christianorum nullum ad ea opera, quæ Christus non præcepit, adstringi, & quolibet tempore licitum esse, quolibet cibo vesci*. Quintò, contendebat, *justè fieri quidquid Deus non vetat & permittit, ac subindè Matrimonium ex æquo omnibus convenire*. Sextò, asseverabat, *eos, qui Ecclesiastici vulgò, seu spirituales vocantur, peccare, dùm pesteaquàm senserint castitatem sibi à Deo negatam, non uxores ducunt, aut nubunt*. Septimò, *Castitatis votum damnabat*. Octavò, *Potestatem, quam Papa, & Episcopi sibi vindicant, nullum in sacris litteris, & Christi doctrina firmamentum habere effutiebat*. Nonò, *opera satisfationis à Sacerdote imposita, tanquàm humanæ traditionis figmentum explodebat*. Decimò, *censebat, Confessionem, quæ fit Sacerdoti, non remittere peccata*. Undecimò, *Nullum post hanc vitam Purgatorium admittebat*. Duodecimò, *Characterem Sacramentalem, tanquàm à Theologis scholasticis recens excogitatum, repudiabat*. Decimo

tertiò,

tertiò, *Eos dumtaxat Presbyteros aut Sacerdotes agnoſcebat, qui Verbum Dei prædicabant*. Hos & alios hujuſmodi errores expreſſit *Zuinglius* in Summa ſuæ doctrinæ, quam Articulis LXVIII. comprehenſam obtulit Senatui Populoque Tigurino in Pſeudo-Synodo anno MDXIX. congregatis. Examinatâ ac diſcuſsâ *Zuinglii* doctrinâ, Magiſtratus Tigurinus apertè ei favit, ad librum pro defenſione Catholicæ Religionis ab Epiſcopo Conſtantienſi porrectum aures obturavit, oculos animi clauſit, & promulgato Edicto, ſolemnem Euchariſtiæ circumgeſtationem prohibuit, Sanctorum Reliquias ſuſtulit, Miſſam abrogavit, novumque Sacramentariæ Cœnæ Ritum inſtitui juſſit. Tigurinis à Catholica Religione ad *Zuinglii* Sectam deficientibus ſeſe quidam Helvetiorum Pagi (Cantones vulgò vocant) anno MDXXVIII. adjunxerunt, videlicet Bernates, & Conſtantienſes, quos deindè ſecuti ſunt Baſileenſes, Schafhuſiani, Santgallenſes, Mulhuſani, & Bielenſes. At in Catholica fide quinque aliæ Helvetiorum Tribus (*Cantones* vocant,) conſtantèr perſtiterunt, ſeu Lucernates, Urienſes, Suitienſes, Undervallenſes, & Zugenſes, qui ob Religionem Catholicam, quam profitebantur, cùm malè à Tigurinis, & Bernatibus, Sacramentariis hæreticis, acciperentur, bellum eis anno MDXXXI. denunciarunt, illoſque licèt numero plures, & Baſileenſium, ac Schafhuſianorum auxilio fultos, quatuor conſertis præliis vicerunt, proſtrarunt ac profligarunt, quos inter *Zuinglius*, eorum Ductor, & Sectæ Coriphæus, accepto lethali vulnere, captus, & oblatus judicibus tanquam proditor & Hæreticus, flammis exuſtus eſt, annum

agens

agens ætatis suæ quadragesimum octavum. His victoriis, quas Catholici de Hæreticis Sacramentariis tum temporis felicitèr reportarunt, *non obscuro signo Deus tum declaravit, quinam essent illi, qui suum defenderent Evangelium; cùm paucis admodùm, et eis inopia rerum omnium pressis: victoriam concessit de suis et Evangelii hostibus, quos et numero militum et viribus, et armis, et rebus omnibus ad bellum gerendum necessariis, multò fuisse constat instructiores: ut non homines, verùm ipse Deus pro suis Fidelibus in aliquot illis præliis pugnasse videretur*, verba sunt Cardinalis *Stanislai Hosii* in judicio & Censurâ de adoranda Trinitate. Paulò post *Zuinglii* obitum, *Joannes Oecolampadius*, Ordinis S. *Brigittæ* Apostata, & *Zuinglii* fidus Achates, qui eamdem Sacramentariorum Hæresim Basileæ prædicabat, è vivis sublatus est, & in lecto suo, sivè à fœmina, quam incestis polluerat nuptiis, & ex qua tres procreatos liberos reliquit, sivè à Dœmone, ut alii dicunt, suffocatus, aut alio quocumque modo exanimis repertus est an. MDXXXI. ætatis suæ anno quadragesimo nono.

D. Expone, quæso, uberiùs quid sibi velint isti *Confessionistæ*, ex quibus, ut mox ajebas, conflata est tertia Hęresiarchę *Martini Lutheri* Discipulorum Secta?

M. Confessionistæ apud Lutheranos dicuntur hi, qui Confessionem Augustanam profitentur & tenent. Hæc autem Augustana Confessio nihil aliud est, quàm Lutheranorum Fidei Professio, quæ ann. MDXXX. in Comitiis Augustanis *Carolo V.* Imperatori fuit oblata à *Philippo Melancthone*, præcipuo illius Auctore, qui, ut Sectæ suæ Lutheranæ

invidiam faciliùs detrahere poſſet, conſultò in prædictâ Fidei Profeſſione prætermiſit, vel emollivit, quantùm fieri potuit, odioſas *Lutheri* opiniones. Duas partes complectebatur ea Confeſſio. Prior pars continebat unum ſupra viginti articulos de Lutheranorum Fide, in quibus ſe cum Catholicis conſentire palàm profitebantur. At poſterior pars conſtabat ſeptem Articulis, doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ oppoſitis. Primus, Communionem ſub utrâque ſpecie præcipiebat, & Sanctiſſimæ Euchariſtiæ proceſſionem, ſeu circumgeſtationem inhibebat. Alter, Sacerdotum Cœlibatum damnabat. Tertius, privatas abolebat Miſſas. Quartus, neceſſitatem confitendi peccatorum numerum negabat. Quintus, Traditiones rejiciebat. Sextus, Monaſtica Vota improbabat. Septimus, poteſtatem Eccleſiaſticam limitabat ad ſolam Evangelii prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem. Hi igitur Hæretici Lutherani, qui hanc Confeſſionem Auguſtanam, à *Philippo Melanchthone* adornatâ, profitebantur, *Confeſſioniſtæ*, *Adiaphoriſtæ*, ſeu *Indifferentes*, & *Lutherani Molles* appellabantur, ad diſcrimen horumce Lutheranorum, qui *Rigidi* nuncupantur, & quorum Anteſignanus fuit *Matthias Flaccus Illyricus*, Magdeburgenſis Pſeudo-Miniſter, qui plurimis Scriptis, & calamo tartareo veneno infecto propugnare auſus eſt, peccatum originale eſſe ipſam hominis ſubſtantiam. Mitto alias Sectas, in quas diviſi ſunt Lutherani, tùm à *Joanne Brentio*, origine Suevo, qui *Lutheri* Placitis nova, ſed perindè infeſta dogmata addidit, tum ab *Andrea Oſiandro*, qui Schiſma in Secta Lutherana fecit, aſſerendo hominem juſti-

justificari non fide, sed eâdem essentiali justitiâ, quâ Deus justus est, quæ est ipse Deus, infunditurque hominibus, adeò ut Christianus non gratiâ, sed naturâ justus sit; tum denique à *Martino Bucero*, natione Germano, Ordinis Dominicani Apostatâ, qui unà cum *Paulo Fagio*, & *Petro Vermilio*, vulgò *Martyre* nuncupato, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti *Augustini* Apostatâ, in Angliam venit, novam Apostaticæ Reformationis disciplinam condidit, ac præ cæteris, quos propinavit, erroribus, asseruit, Corpus & Sanguinem Christi substantialiter præsentia in Eucharistia non esse extra usum Sacramenti, nec in ipso usu ore corporis manducari, sed *contemplatione Fidei percipi*, undè inferebat, impios, idest, qui fidem non habent, *solum panem & vinum*, non *Christi Corpus et Sanguinem* sumere. Has, & alias hujusmodi varias Sectas, in quas distracti sunt Lutherani, ne longior sim, in præsentia missas faciam, de quibus si plura scire desideres, legesis *Lindanum* Ruremundensem in *Dubitantii* sui Dialogo II.

D. Cùm solemne sit Hæreticis Lutheranis suæ Sectæ Duces tanquàm egregios Ecclesiæ Reformatores, intrepidos Evangelii Præcones, ac purioris Moralis Christianæ sectatores magnificis celebrare encomiis, optarem, antequàm ad alias Sæculi decimi sexti Hæreses progrediamur, ut graphicè describeres mores illius Sectæ Principum qui se Evangelicos falsò jactabant, artesque itidèm indicares, quibus usi sunt ad suam propagandam Sectam, fidemque conciliandam suis erroribus, quos jam in antiquis Hæreticis ab Ecclesia pro-

ſtratos ac extinctos, denuò ſuſcitarunt, latiſſimèque diffuderunt.

M. Sicut fructus naturam arborum ſequuntur, ita liberi Parentum, & Diſcipuli Magiſtrorum mores imitari, ſimillimamque indolem referre ſolent. Hinc quales fuerint mores illorum, qui naſcentem Lutheranam Hæreſim diſſeminarunt, foverunt, promoverunt, facilè admodùm dignoſcere poteris ex moribus, quos paulò antè perſtrinxi, impii Hæreſiarchæ *Lutheri*, eorum Parentis ac Magiſtri, qui ventri, gulæ, & libidini totus deditus, neceſſitatem bonorum operum, Sacramenti pœnitentiæ rigorem ſuſtulit, omnem rigoris Eccleſiaſtici diſciplinam ad nihilum redegit, ſolemnia Religionis vota Deo nuncupata diſſoluit, Monachis & Sacerdotibus connubia indulſit, & excuſſo debitæ Romano Pontifici, & Epiſcopis obedientiæ jugo, necnon contemptâ ſanctorum Patrum, ac ſacrorum Conciliorum venerandâ authoritate, Sectarios ſuos Religionis, doctrinæ ac fidei ſuæ judices & Arbitros conſtituit, ſicque, ut eos faceret liberos, reddidit & ſacrilegos. Sed, ut magis compertos habeas mores eorum, qui primi Sectæ Lutheranæ initium aut incrementum dederunt, proferam locupletiſſimum teſtimonium Scriptoris coævi, ſeu *Deſiderii Eraſmi*, quem ipſimet Lutherani magnis laudibus efferunt, eumque, renitentem licèt, in ſuas partes trahere moliuntur. His autem nativis coloribus illos, ſi ſuperis placet, Eccleſiæ Reformatores depingit *Eraſmus* in ſua Epiſtola *in Pſeudo-Evangelicos*, quæ extat pag. 1574. Tomi x. poſtremæ Editionis Lugduni Batavorum ann. MDCCVI. adornatæ, ubi

ubi Pseudo-Evangelicos sui temporis atro carbone notans hæc habet: *Nunquam illorum*, seu Lutheranorum, quos Pseudo-Evangelicos appellat, *Ecclesias sum ingressus, sed aliquandò vidi redeuntes à Concione veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam præ se ferentibus. Quis unquam vidit in illorum Concionibus, quemquam pro peccatis suis fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiscentem? Abrogata est Confessio, sed interim, ne Deo quidem confitentur plurimi. Abjectus est cum jejuniis ciborum delectus, sed interim gravitèr indulgetur crapulæ, & ita quidam effugerunt judaismum, ut cœperint esse Epicurei...... Sic excutiunt jugum hominum, qui vestro Evangelio submittunt cervicem. Magis vereor, ne plerique pro gravi jugo hominum portent gravius jugum Diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum, sed ita, ut ne prophanis quidem Magistratibus pareatur. Olim Christiani sub Ethnicis Principibus quietè vivebant, studiosè caventes, ne quam seditionis occasionem darent, at iste populus tàm Evangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? quotiès quàm levibus de causis procurrit ad arma? ne suis quidem Ecclesiasticis obtemperans, nisi dicant blanda auribus; profligandi etiam, si liberiùs in vitam illorum invehantur, aut ab opinione dissentiant. Novam verò libertatem Evangelicam, impunè facere, sentireque, quod cuique libitum est. Paulus jubet tradi Satanæ eum, qui contra naturæ pudorem, novercam duxerat uxorem, hortaturque discipulos, ut subtrahant sese à consuetudine fratris inordinatè ambulantis. Cum his verò, qui manifestis vitiis infames*

sunt, ne mensam quidèm vult haberi communem. Nunc circumspice mihi sodalitatem istam Evangelicam, quòt habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames. Et hos quidem habent etiam in delitiis, tantùm abest ut vitent. Apostoli, quò magis vacarent Evangelio, aut abstinebant ab uxoribus, quas ducere tum licebat, aut legitimè ductas vertebant in Sorores. Nunc floret Evangelium, quòd Sacerdotes & Monachi contra professionem suam ducunt uxores. Sed circumspice nùm castiora sint eorum conjugia, quàm aliorum, quos ducunt pro Ethnicis. Agnoscis, opinor, quas hìc fabulas tibi possim referre si libeat. Neque enim necesse est ut notissima referam, quæ vel Magistratus, vel plebes, reclamante aut connivente Magistratu, publicitus designavit. Atque interim dum neminem amant præter sese, dum nec Deo, nec Episcopis, nec Principibus ac Magistratibus obtemperant, dum mammonæ, gulæ, ventri & inguini serviunt, postulant haberi pro Evangelicis. Jam vereor ne sub isto nomine multi nobis oriantur Pagani quò magis etiam sint liberi, si nec Cœlum credant esse, nec Inferos, nec animos à morte corporis superesse. Atqui interim isti jactant liberatas conscientias. Perfecta pietas habet quietam conscientiam, sed habet & summa impietas. Legesis hanc integram *Desiderii Erasmi* Epistolam, & confestim intelliges, quàm pessimis moribus imbuti fuerint, isti Pseudo-Evangelici, qui Sectam Lutheranam conflarunt, Dei cultum, libertatem Evangelicam, & Ecclesiæ Reformationem ubique falsò obtendentes, sicut ipsemet eorum antesignanus hæresiarcha *Lutherus* in Lipsica Disputatione à *Joanne Eckio*, fortissimo

Fidei

Fidei Catholicæ Athletâ, victus, fassus est his verbis: *Hæc causa non propter Deum cœpta, nec propter Deum finietur*. Jam verò, me pudet pigetque referre nefarias artes, quibus egregii isti Ecclesiæ Reformatores per summum nefas usi sunt ad suam Sectam propagandam. In primis, Romanos Pontifices, & Episcopos innumeris calumniis prosciderunt, ut eis apud imperitum & suspiciosum vulgus odium & invidiam conflare possent. Secundò, ex quibusdam abusibus, qui in Ecclesiam irrepserant, occasionem arripuerunt Fidei Dogmata oppugnandi, & palàm asserendi, Ecclesiam annis mille quadringentis caruisse Christo, eamque pro Deo coluisse laruas & Idola, in sacris Litteris enarrandis fuisse prorsùs cæcam, miracula Sanctorum nihil aliud fuisse, quàm præstigias Dœmonum, doctrinam antiquorum Patrum adeò obscuram, totque refertam esse erroribus, ut eos nihil de doctrina & Religione scisse videretur, seque solos, quasi cornicum confixissent oculos, & sanctis Patribus multò oculatiores essent, audiendos esse. Tertiò, Temporales Principes sibi devinxerunt Lutherani, eos locupletando bonis, quibus Ecclesias spoliaverunt, eisque potestatem faciendo plures simul uxores habendi. Quartò, Monachis, Monialibus, & Sacerdotibus, qui impositam Cœlibatus legem ægerrimè ferebant, Sectam suam impleverunt, Vota Monastica dissolvendo, & omnibus indiscriminatim facultatem permittentes matrimonia contrahendi. Quintò, homines libidini, aliisque vitiis deditos suæ Sectæ addixerunt, eis persuadendo, bona opera non esse necessaria ad salutem, totumque illum, qui est

in Ecclesia Romana, pœnitentiæ rigorem, & apparatum, esse purum putumque hominum figmentum, ad excarnificandas conscientias excogitatum. Sextò, tumultuantes populos, & jugi ferendi impatientes, in suam Sectam pertraxerunt Lutherani, eos eximendo ab obedientia debitâ Romano Pontifici, & Episcopis, eos constituendo judices Conciliorum, sanctorum Patrum, totius Antiquitatis, doctrinæ, & Religionis, eisque amplissimam licentiam indulgendo legendi & interpretandi pro nutu & arbitrio suo Scripturam Sacram. Denique Lutherani, quò latiùs suam diffunderent Sectam, excitarunt scelestos quosdam homines, ad bella & seditiones proclives, qui statim ac novæ illius Sectæ Religionisque quasi musto quodam incaluissent, classicum in Catholicos Principes canere cœperunt, furore atque amentiâ præcipites, conscripserunt ex omnibus ordinibus innumerabiles copias, summis, mediis, infimis, ad arma, tanquam ad sacra convolantibus; omnesque ab Antesignanis novæ suæ Religionis ferro armati, innumeras clades, calamitates, & inaudita crudelissimorum facinorum exempla intulerunt in Germaniam, quâ gente antehàc nulla erat in orbe terrarum beatior, nulla aut statu pacatior, aut abundantior opibus, aut imperio potentior, & ex eâ beatam illam pacis & otii tranquillitatem expulerunt, exhauserunt illam opum amplitudinem, illos potentiæ nervos eliderunt, & avîtam Religionem multis in locis extinxerunt. His, & aliis id genus, malis artibus, pestiferæ Lutheranæ Sectæ adeò succrevit impietas, eòque sensim ad Catholicæ Religionis exitium provecta est,

eſt, ut Regna ac Provincias, proh dolor! abſorbuerit, & in his etiamnùm impunè dominetur.

D. Præclaros ſanè mihi narras Viros Evangelicos, & Eccleſiæ Reformatores! quorum vita ac doctrina longè latèque diſcrepat à vita & doctrinâ Apoſtolorum, qui Evangelium Chriſti per totum Orbem propagarunt. At enim, ut obitèr dicam, Apoſtoli mores habebant caſtos, puros, & undiquaque inculpatos. Eorum doctrinam commendabant non ſolùm præſentanea miraculorum vis, perpetuus dogmatum conſenſus, & ſpiritus ille igneus, qui ſeſe illorum moribus, vultu, & oculis promebat, ſed etiam imperturbata in afflictionibus alacritas, in perferendis injuriis lenitas, animus ſimplex, manſuetus, nulli malum cogitans, & de omnibus benè mereri ſtudens, omnibus humanis rebus ſuperior, & vitæ contemptor. At novi iſti Pſeudo-Evangelici Lutherani, fungorum inſtar, unâ nocte procreati, dùm ſtrenuè clamant in mores Romanorum Pontificum, Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorum, & Theologorum; dùm in preces, jejunia & Miſſas debacchantur, & ubique crepant Eccleſiæ reformationem, interim tamen luxui, libidini, ventri & pecuniæ indulgent, totam fiduciam ſuam in improborum conſpiratione, in ſeditioſis tumultibus, in maledicis libellis, in armis, in fucis & technis reponunt; nullo unquam miraculo ſuam Pſeudo-Evangelicam doctrinam probarunt, nec minùs vitæ ſanctitate quemquam in ſua Secta ex comeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci leberalem, ex ſuperbo modeſtum, ex impudico verecundum reddiderunt, ſed potiùs flagitioſæ vi-

tæ exemplis omnes deteriores efficiunt. Quin, nec eadem loquuntur, sed inter se dissentientes, variant linguis ac sententiis, subindèque novant, figunt & refigunt ritus pariter & dogmata, mutantes quadrata rotundis, & rotunda quadratis. Sed mittamus perditissimos illos ac vanissimos nebulones, qui se falsò venditantes Evangelii titulo innumera damna Ecclesiæ Catholicæ intulerunt, Canonicos depellendo à Collegiis, Monachos è Monasteriis, Abbates & Episcopos ditione spoliando, Cives Magistatu amovendo, & virulentis ac dentatissimis libellis in Summorum Pontificum, Regum, ac Principum capita sæviendo, quosque Catholica Ecclesia, postquàm, ut pia mater, quod sui muneris erat, gravitèr adhibuisset, monens, obsecrans, arguens, revincens, jugulans gladio spiritus: insanabiles demùm, & in hæresi pertinaces à Christi Corpore segregavit. Missis itaque Hæreticis Lutheranis, eorumque variis Sectis in quas abjerunt, prosequere, quæso, Historiam aliarum Hæresum, quibus Sæculo XVI. agitata fuit, & tanquam fluctibus ac procellis diu multùmque jactata est Ecclesia.

M. Dùm suos errores spargeret *Lutherus* in Germania, *Zuinglius* in Helvetia, Rex *Henricus VIII.* in Anglia & in Scotia, eorumque sequaces Lituaniam, Sueciam, Daniam, Prussiam pestiferâ doctrinâ inficerent, novam incendii facem accendit in Gallia Hæresiarcha *Joannes Calvinus*, Novioduni Veromanduorum sexto Idus Junii anni MDIX. patre *Gerardo Chauvino* Procuratore, & matre *Joanna Franka*, Catholicis parentibus natus. Lutetiam Parisiorum à Patre missus *Joannes Calvinus*, studiorum suorum cursum tum in

Col-

Collegio Marchiano, tum Montis Acuti Gymnasio peregit, indèque Aureliam veniens, ad jurisprudentiæ studium sub *Petro Stella*, insigni Jurisconsulto, animum applicuit. At *Calvinus* novâ & falsâ à suis Præceptoribus afflatus doctrinâ, nuncium remisit Vitæ Clericali, quam amplexus fuerat jubente patre suo, qui ei ab Episcopo Noviodunensi, cujus Actuarius erat, duo obtinuerat Beneficia, primùm Capellam Beatæ Mariæ Virginis de Partu in Ecclesia Cathedrali, deindè Parochiæ loci, dicti *Pontis-Episcopalis*, propè Noviodunum, Curationem. Nec vitæ dumtaxàt genus mutavit, sed & ipsum nomen, relictoque *Chauvini*, seu *Calvini* nomine, ineptâ metathesi sese *Alcuinum* dixit. Profectus deindè Avaricum Biturigum *Calvinus*, à *Melchiore Vuolmaro*, Germano, publico Græcarum litterarum Professore Lutherano, qui tamen Catholici speciem præ se ferebat, novæ hæreseos principia hausit, quam posteà in patria sua, ubi sacrilegâ nundinatione duo illa Beneficia, quæ Pater ipsi ab Episcopo Noviodunensi procuraverat, vendidit, & Parisiis disseminare tentans, ultimum discrimen subiit, & igne exustus esset, ni maturâ fugâ periclitanti vitæ suæ consuluisset. *Hieronymus Bolsecus*, Catholicæ Religionis Apostata, & *Calvini* individuus comes, qui tamen, divinâ adspirante gratiâ, ad gremium Ecclesiæ reversus, scripsit vitam *Calvini*, testatur, hunc hæresiarcham ob turpe, quo se fœdaverat, Sodomiæ crimen, lilii candentis ad humerum inustione, & exilio multatum fuisse, additque *Damnationis illius instrumentum adhuc Novioduni asservari, ibique à Genevensis Reipublicæ Secretario Berthelerio, illùc misso, ut in*

ut in rei veritatem inquireret, visum esse. Id tamen non omninò certum esse *Spondanus* ad an .MDXXXIV. Numero XI. innuit his verbis: *Quod verò traditur vulgò*, *eum*, seu Calvinum, *in turpe crimen sodomiæ incidisse, ac propterea in vitæ discrimen, nisi pœnæ moderationem Episcopus impetrasset, lilii candentis ad humerum inustionem & exilium à patria: hoc Papirius Massonus*, vitæ Calvini Scriptor, *tacet*; *solamque abeundi in exilium causam, hæresim fuisse ait &c.* Sed, utut sit de hoc accusationis capite, certum est, *Calvinum* Parisiis degentem, pannorum lineorum ope è Collegio *Forteti* per fenestram evasisse, & Engolismam secessisse, ubi per triennium venditatione Linguæ Græcæ, cujus aliquâ notitiâ à laudato jam *Melchiore Vuolmaro* imbutus fuerat, & sumptibus *Ludovici Tilii*, Canonici Engolismensis, & Curionis Claixensis, adjutus, suos Institutionum libros ex locis communibus *Philippi Melancthonis*, ex Operibus *Oecolampadii*, & ex aliis id genus Sectariorum hujus temporis quisquiliis delineavit, eosque, ut omnes ad illorum lectionem alliceret, purioris latinitatis elegantiâ adornavit. Cum *Tilio* amico suo in Germaniam se contulit *Calvinus*, ubi postquàm plerosque Sectæ Lutheranæ antesignanos visitasset, à *Martino Bucero* adductus est ad *Desiderium Erasmum*, qui, statim ac eum de aliquot Religionis capitibus differentem audisset, ex ungue Leonem agnoscens, *Bucero* dixit, *videre se magnam pestem oriri in Ecclesia contra Ecclesiam*, ut videre est apud *Spondanum* loco mox à me citato. In Galliam reversus *Calvinus*, Pictavium perrexit, ibique virus suæ hæreseos effundere cœpit in hortis Pi-

cta-

ſaavienſibus, colloquia de Religionis Dogmatibus, & præcipuè de Euchariſtiâ, miſcens cum nunnullis litteratis, ex quibus tres potiſſimùm, quaſi novæ ſuæ Sectæ Apoſtolos, ſelegit, *Vermonium* videlicet, qui pravam doctrinam diſſeminavit Pictavii & in vicino agro; *Ramaſſorum*, qui eodem veneno Santones; & Engoliſmenſes infecit; & *Bonum Hominem*, qui in reliquam Aquitaniam, & Toloſam hanc peſtilentem induxit Hæreſim. Ex his tenuibus initiis exorta lues, tot bellorum, incendiorum, cladium per Europam, & maximè per Galliam Seminarium fuit. Interim, *Calvinus*, jam novæ ſuæ Sectæ erumpente famâ, coactus eſt, ne deprehenderetur, ſæpiùs mutare loca, tandem Genevam pervenit, quæ Civitas, & à Sabaudiæ Ducis obedientiâ, & à Religione Catholica nuper ad Sacramentariorum Hæreſim defecerat. In hac civitate *Calvinus* unà cum *Guillelmo Farello*, & *Petro Vireto* ſuos errores diſſeminavit, Senatum, populumque Genevenſem ſuæ Sectæ addixit, indèque feralis illa hydra per plures Galliarum Regni civitates graſſans, Sacerdotum exuviis, populorum ſanguine, Provinciarum cladibus & exitio ſatiata, irrupit in Forum, in ſcholas, in aulam, caſtra, arces, templa. Munera, Dignitates, Synodos & Cætus habuit, parùmque abfuit, quin ex toto Regno verum Dei cultum, quo uno æternæ vitæ ſpes continetur, exterminaret, invectis innumeris impietatibus, malis, ac ſacrilegiis, quæ hic memorare horret refugitque animus.

D. Noli, quæſo, renovare ſopitum dolorem noſtrum, & obductam vulneri cicatricem refricare recordatione funeſtiſſimorum temporum, quorum adhùc

adhùc nos ipſi partim incendia, partim fumantes cernimus reliquias, ex quibus heu nimium! intelligimus, Galliam tum temporis eo faſcino deluſam, his peſtibus ab humani generis hoſte immiſſis infectam, in ſe ipſam conjuratam pugnaſſe, ſuis opibus conſumptam, ſuis fractam viribus, quæ alienis ſemper invicta fuerat, nec tantùm à ſuis, ſed ab aliorum quoque finibus hæreticos, aliosque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſæpè depulerat, tam multis ornamentis Sedem Apoſtolicam affecerat, totque Bellis pro Chriſti fide præclarè geſtis Europam, Africam, Aſiam nobilitaverat. Galliæ itaque parcamus, & inquiramus in mores *Joannis Calvini*, omnium horumce malorum Auctoris, quem Hæreſiarchæ *Martino Luthero* turpitudine vitæ, vitiorumque ſentinâ ſimilem fuiſſe, facilè adducor ut credam.

M. *Martinus Lutherus*, & *Joannes Calvinus* malitiâ, impietate, ſuperbiâ, faſtu, & audacia pares quidèm fuerunt, ſed naturâ, ingenio, & indole omninò diſſimiles. At enim, *Calvinus* naturâ melancholicus fuit, & taciturnus; cibi & potus abſtinens ob ventriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus laborabat, ideòque tenui & macilento corpore; ſummam in geſtibus affectans gravitatem, diſſimulandi artifex eximius, & non minus conſilio, quàm audaciâ promptus. At *Lutherus*, Vir erat abdomini natus, craſſo corpore, genio indulgens, luxurioſus, ebrius, ganeo, qui per ſummam hilaritatem tempus tranſigebat, eòque ſemper trahebatur, quò libido rapiebat, quò intemperantia, quò vinolentia. *Calvinus* multa animo volvebat, quæ cautè diſſimulabat, nec ore pro-

promebat; *Lutherus* autem linguæ suæ moderari nesciebat, nihil celabat, sed quæcumque animus suggerebat, aut quidquid in buccam veniebat, evomebat, ac temerè effutiebat. *Calvinus* nullâ actionis elegantiâ inter loquendum instructus, tædium auditoribus sæpè afferebat, sed culto, puro, ac terso stylo scribebat. *Lutherus* verò patriâ suâ linguâ Orator quidem fuit disertus & vehemens, sed in scribendo, rudi, incompto, ac impolito sermone usus est. *Calvinus* etiam cum amicis adeò superciliosus ac morosus erat, ut *Bucerus* ejus amicus, eum, *canem rabidum*, vocaverit, *Melancthon* præfractam ejus *Morositatem* vituperaverit, ac ipsimet Genevenses, apud quos degebat *Calvinus*, vulgò dicere solerent, malle se apud Inferos cum *Theodoro Beza*, Discipulo *Calvini*, esse, qui festivis jocis eos in mediis flammis exhilarasset, quàm apud Superos cum *Calvino*, sicut refert *Papirius Massonus* in Vita *Calvini*. Contrà verò *Lutherus* solebat cum amicis indulgere facetiis, frontem exporrigere, eratque, instar *Luciani*, Deûm, hominumque irrisor. Hinc *Lutherus*, sicut superiùs observavimus, postquàm serò cum amicis lautè cœnasset, & animum suum facetis, festivisque sermonibus pro more exhilarasset, nocte sequenti repentinâ morte extinctus est. E diversò *Calvinus*, naturâ, ut diximus, melancholicus ac morosus, postquàm vixisset annos quinquaginta quatuor, menses decem, dies septemdecim, obiit in desperationem actus, Dœmones invocando, dejerando, execrando, vitæ suæ diras imprecando, & suis studiis & Scriptis maledicendo, & ex suis ulceribus intolerabilem fœtorem emit-

emittendo, ſicut *Hieronymus Bolſecus* in Vita *Calvini*, & multi alii ſcribunt, fruſtrà licèt reclamante *Theodoro Beza*, qui *Calvinum*, cujus erat diſcipulus, quique ei in Caliphatu Genevenſi ſucceſſit, placidiſſimè ex hac vita migraſſe affirmat, impotenti excœcatus ſtudio aſſentandi palpandique Magiſtro ſuo. Ex ea, quam hìc brevitèr indicavimus, *Lutheri*, & *Calvini* morum diſſimilitudine enata eſt inter utrumque Hæreſiarcham animorum itidem diſſenſio, quam apertè declarat *Calvinus* tùm in Epiſtola LVII. ad *Bullingerum*, in qua aſſerit, *Lutherum* magnis laborare vitiis, plurimùm ei obfuiſſe adulatores, illumque naturâ ad indulgendum ſibi nimis propenſum fuiſſe; tùm etiàm in Epiſtola LXIII. ad *Melancthonem*, in qua *Lutherum* appellat *Periclem*, ad fulminandum nimiâ intemperie raptum, ibidèmque invehitur in vehemens *Lutheri* ingenium, & impetus violentos, quibus omnem libertatem auferre, & tyrannidem inferre geſtiebat. Undè facilè intelligere potes (ut verbis utar *Henrici Spondani* ad ann. MDXLIV. Num. XVII.) *quæ fuerit Reformatorum hujuſmodi concordia, & quàm quique Primatum ſibi aſſerere ambierint, quem, poſt Lutherum, Calvinus inſignitèr artificiis ſuis, ac ſubdolis fraudibus, & quæſivit, & obtinuit*.

D. Cedo nunc, ſi placet, errores, quos docuit Hæreſiarcha *Calvinus*, & quibus multas florentiſſimi Galliarum Regni Provincias infecit.

M. Complures errores profudit Calvinus, qui tamen ad hæc viginti præcipua capita revocari poſſunt. Primò negat realem præſentiam Corporis,

poris, & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento. *Transubstantiationem*, velut figmentũ, rejicit; Eucharistiam adorandam, asservandam, circumferendam, & extra usum ac manducationem, Sacramentum esse inficiatur. Secundò, docet, hominem solâ fide sine operibus justificari, eamque fidem, nullo quantùmvis gravi delicto, excepto infidelitatis peccato, amitti unquam posse. Ex quo pestilentissimo dogmate palàm sequitur, Fornicarios, Adulteros, Homicidas, & alios scelestos homines ex justitia semel acceptâ in utero matris fidelis nunquàm excidere, modò habeant Fidem in Christum Mediatorem. Tertiò, asserit *Calvinus*, hominem justificari per solam Christi justitiam imputatam. Quartò, pertendit, omne peccatum esse mortale, sed Fidelium peccata esse venialia, non quòd mortem non mereantur, sed quia Dei misericordiâ nulla est condemnatio in his qui sunt in Christo Jesu, seù quia justis non imputantur, sed veniâ delentur. Quintò, dicit, mandata Dei esse hominibus impossibilia, sicque crudelem facit Deũ, qui hominibus impossibilia præcipiat. Sextò, affirmat, extinctum omninò esse post primigenium protoparentis peccatum liberum hominis arbitrium, ex quo sequitur Deũ esse Authorem peccati, ad quod Deum efficaci voluntate motuque concurrere disertis verbis docet *Calvinus*. Septimò, negat, ullum esse opus hominis vitæ æternæ meritorium. Octavò, Missam nec à Christo institutam, nec Sacrificium, nec bonum opus esse dictitat. Nonò, Baptismum Joannis Baptistæ ejusdem esse virtutis cum Baptismo Christi. Decimò, Baptismum Christi absolutè

ad salutem non requiri, fideliumque pueros posse sine eo salvari. Undecimò, peccata post Baptismum commissa Baptismi suscepti recordatione deleri. Duodecimò, nec Confirmationem, nec Extremam Unctionem Sacramenta esse. Decimo tertiò, Clericos nec ad Cœlibatum, nec ad continentiam teneri. Decimo quartò, Vota omnia inutilia esse, & nihil prodesse, omnesque generali præcepto adstringi ad nuptias contrahendas. Decimo quintò, exsufflat tanquam nugatoriam Fidei formatæ, & informis distinctionem; Quadragesimale jejunium inter superstitiosas observationes enumerat, & ait, Monasteria esse Lupanaria, potiùs quam castitatis sacraria, & non alitèr porcos in haris saginari, quàm Monachos in Cœnobiis. Decimo sextò, asserit, Romanæ Sedis Primatum neque ex Christi instituto, neque ex Ecclesiæ veteris usu sumpsisse originem. Romanum Pontificem appellat *Antichristum*. Concilia Generalia in tradendis Fidei dogmatibus, & Scripturæ Sacræ interpretatione, errare posse oggannit, & auctoritatem judicandi de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum omnibus promiscuè, etiàm mulierculis, adjudicat. Decimo septimò, in Traditiones, & Constitutiones Ecclesiasticas, ceu in Tyrannidem, quę sub Ecclesiæ titulo superciliosè ingeritur, debacchatur. Decimo octavò, dicit, preces fundi non debere pro mortuis, & Purgatorium exitiale Satanæ esse commentum, quod Christi Crucem evacuat, contumeliam Dei misericordię non ferendam irrogat, & fidem nostram labefacit ac evertit. Decimo nonò, Indulgentias damnat tanquàm pias fraudes, quæ-

quæstuosas nundinationes, Sanguinis Christi profanationem, Satanæque ludibrium, quo Christianus populus à Dei gratia, à Vita, quæ est in Christo, abducatur, & à vera salutis via avertatur. Denique, Imaginum usum, & cultum à Satana manasse, & merã idololatriam esse impiè asseverat, cultum Religiosum, etiam Duliæ, Angelis, & Sanctis hominibus absque damnandâ superstitione exhiberi non posse, & Sanctos cum Christo in in Cœlis viventes pro nobis non intercedere, nec absque Sacrilegio, & superstitione invocari posse affirmat. Mitto alios *Calvini* errores, necnon blasphemiam, quam evomuit in Christum Dominum, asserendo, lib.2. *Institutionum* cap.16. & in suâ *Harmonia Evangelica* ad Caput XXVI. *Matthæi*, eum damnatorum pęnas in suo ad Inferos descensu passum, & cum Inferorum copiis, æternæque mortis horrore, quasi consertis manibus, luctatum esse. Si plura de erroribus Hæresiarchæ *Joannis Calvini* scire desideres, legesis *Franciscum Fevardentium*, Ordinis Minorum, Sacræ facultatis Parisiensis Doctorem Theologum, qui mille, & quadringentos Sectę *Calvini* errores in sua *Theomachia Calvinistica* excussit, ac confutavit. *Calvini* etiàm deliria prolixiùs prosecutus est *Florimundus Ræmondus*, Senator Burdegalensis, in libro septimo Historiæ suæ de Ortu, progressu, & inclinatione Hæresum ex probatis Auctoribus collectæ, & de forma Calvinianæ Synagogæ, deque institutione, & œconomiâ sacrorum, ac disciplinæ ab ipso Calvino fabricatæ diligentissimè disserit in libro octavo ejusdem Historiæ. Consulere etiam poteris doctissimos Cardinales *Bellarminum*, *Per-*

ronium, *Richelium*, necnon illustres Antistites *Nicolaum Coëffetæum*, Ordinis Prædicatorum, Massiliensem Episcopum designatum, & *Benignum Bossuet*, Meldensium Episcopum, qui eruditis suis lucubrationibus impiam *Calvini* doctrinam impugnarunt.

D. Audiebam nuperrimè eruditum quemdam Theologum salsè ridentem hæreticos Calvinistas, qui ex doctrina sui Pseudo-Magistri *Calvini* sex sibi vindicant Immunitates, quæ eos à peccato, ab errore, ab omni salutis periculo, & à servandis divinis, & humanis legibus penitùs eximunt. Cùm enim *Calvinus*, ut mox observasti, doceat, solam fidem in Christum mediatorem sine bonis operibus justificare, eamque esse inamissibilem; deindè, peccata non imputari Fidelibus, ac denique, Baptismum nec ad salutem, nec ad delendum peccatum Originale necessarium esse pueris, qui ex patre, & matre Fidem, seu Christianismum profitentibus, nati sunt; ex his tribus capitalibus *Calvini* erroribus, tanquàm ex virulento fonte sex immunitates hauriunt, sibique arrogant hæretici Calvinistæ, quas sequenti ordine mihi referebat Vir ille eruditus. Primò, ajunt hæretici Calvinistæ, se solâ à parentibus Christianis, seu qui fidem habent in Christum mediatorem, origine, prímo conceptionis momento, ita sanctos & puros, & à Deo edoctos esse, ut nunquàm in posterum vel à gratia excidere, vel aliquo errore à fide deficere possint, & maternus uterus, etiam incestus, etiam adulter, modò Christianismum mater, aut pater profiteatur, sit illis instar primi Baptisterii, quo jure communi se habere

bere ajunt Calvinistæ omnes, ut à peccato originali sint immunes. Secundò, idem uterus maternus est illis hæreticis Calvinistis Cœnaculum Hierosolymitanum, quò delabitur Spiritus Sanctus, & eos, sicut in die Pentecostes Apostolos, ita in gratia firmat, ut ab ea nunquam inposterum excidere queant. Tertiò, idem uterus maternus est illis Sacrarium, ubi omnes unguntur in Sacerdotes, quò spirituales hostias Deo offerant. Quartò, Calvinistis uterus maternus est Tribunal Confessionis, ubi in antecessum ita ab omnibus peccatis futuris absolvuntur, ut nullum illis imputetur unquàm ad damnationem. Quintò, est illis Academia, ubi à Deo ità imbuuntur notitiâ Fidei Doctrinæ, quæ ad salutem necessaria est, ut nec ab Ecclesia, nec à Conciliis, nec à Sanctis Patribus, nec ab Episcopis edoceri opus habeant. Postremò, Calvinistis maternus uterus est velut amplissima Cancellaria, undè litteras habent, quibus immunes fiunt à jejunio Quadragesimali, à pœnitentia, à votis, à bonis operibus, à legibus Principum, & etiàm à lege Divinâ, hoc saltèm sensu, ut licèt in illam peccent, nullum ex eo peccato salutis periculum, aut damnum creetur, quia Calvinistis peccata, quantumvis gravissima, non imputantur, suntque dumtaxat venialia. Has sex Calvinistarum Immunitates, quæ infinitam, & horribilem in hominum mores invehunt corruptelam, dùm mihi narraret eruditus ille Theologus, dubius paululùm hæsi, quærens cum *Tertulliano* libro 2. ad *Nationes* cap. 12. *Rideam vanitatem, an exprobrem cæcitatem?* Tandèm seriò intellexi, prætensam illam Ecclesiæ Reformationem, quam, ut faciliùs fucum faceret,

obtendebat *Calvinus*, tendere dumtaxàt ad effrę-nem morum licentiam, ad divinarum, & humanarum legum contemptum, ad ambitionem intolerabilem, quâ abreptus ille ſceleſtus Hæreſiarcha ſe unum dumtaxàt ſapere, ac tanto reformandæ Eccleſiæ muneri pàrem inſulsè putaret, cæteroſque tot ſæculorum, tot gentium, tot Academiarum, eruditione juxtà & Sanctitate præſtantes viros deſipere judicaret. Perturbanda fuit publica quies, perrumpendæ leges, ſacra violanda, corrumpendi mores, innumeræ excitandæ tragædiæ, miſcenda cuncta procellis, ut peſtilentiſſimi illius Novatoris Secta, nomenque vigeret. Sed, quod magis dolendum eſt, necdùm peſtifera illa *Calvini* Secta extincta eſt, ſed adhùc ad perniciem animarum latè graſſatur, & inſtàr Hydræ plura capita habet, ſeu ex variis Sectis conflata eſt, quę quo pacto prodierint, & qui earum Autores extiterint, rogo te ut nunc breviter exponas.

M. Præcipuæ inter Calviniſtas Sectæ ſunt quatuor. Prima eſt eorum, qui ſe *Reformatos* dicunt, quique impiam *Calvini* doctrinam ad amuſſim ſequuntur. Altera illorum eſt, qui nuncupantur *Anglo-Calviniani*: Tertia eſt *Piſcatorianorum*, & quarta *Arminianorum*, de quibus ſingillatim pauca dicemus. In primis, Secta illorum, qui *Calvini* doctrinam ſtudiosè ſequuntur, olim vigebat in Gallia, & nunc viget in Palatinatu, & in Helvetia, ubi illi Sectarii vocantur *Reformati*. Eadem Secta in Anglia, & in Scotia ſerpit, ubi hi Sectarii nominantur *Puritani*. Ab illis *Reformatis*, ſeu *Puritanis*, differunt *Anglo-Calviniani*, qui alteram Sectam in Anglia conſtituunt. Ordinem quippè

pè Episcopalem non solùm admittunt, sed eum jure divino Presbyteratus ordine superiorem esse profitentur; quod Calvinistæ, dicti *Reformati*, aut *Puritani*, præfractè negant. Præterea, *Anglo-Calviniani* suas habent Cathedrales Ecclesias, in quibus sunt Canonici, seu Præbendarii, qui Matutinas ac Vespertinas preces celebrant, Liturgiam suo ritu diebus sacris peragunt, & in functionibus suis obeundis superpelliceo utuntur; quæ omnia Calvinistæ *Reformati*, seu *Puritani*, rejiciunt. Tertiò, *Anglo-Calviniani* Cruci, quæ Christum Dominum Crucifixum repræsentat, honorem deferunt, & in Sacramentorum, præcipuè Baptismi administratione, signum Crucis adhibent. At Calviniani *Reformati*, seu *Puritani*, signum Crucis execrantur, & Cruces ubique evertunt, frangunt, ac demoliuntur. Demùm *Anglo-Calviniani*, juxta leges Reginæ *Elizabethæ*, Summum Ecclesiæ Anglicanæ Caput ac Gubernatorem Regem Angliæ agnoscunt, quod negant alii Calvinistæ, qui in Regno Angliæ vocantur *Puritani*, ad quos proximè accedunt alii Sectarii, qui in eodem Regno dicuntur *Presbyteriani*, & *Independentes*, quique in Calviniana Superstitione à *Puritanorum* Fidei confessione non dissentiunt. Hìc autem obitèr observare debes, Regnum Angliæ, postquàm sub Rege *Henrico VIII.* ab Ecclesiæ Romanæ communione funesto schismate fuit separatum, non solùm istis Calvinianæ superstitionis Sectis aditum præbuisse, sed etiam varias alias Sectas in eo impunè grassandi licentiam habuisse, quas inter censentur primò Secta *Anabaptistarum*, cujus superiùs meminimus. Secundò, Secta *Antinomorum*, qui

Legem & totum Vetus Testamentum rejiciunt; Tertiò, Secta *Antiscripturianorum*, qui se, non secùs ac Prophetas & Apostolos, Spiritum Sanctum habere gloriantes, totam Scripturam Sacram contemptui habent; Quartò, Secta *Quakerorum*, qui inter orandum toto corpore contremiscunt, seque sæpiùs in ecstases rapi, & in hac vita plenè perfectos, & à peccato mundos esse jactitant; Quintò, Secta *Ranterorum*, qui ex hara Epicuri prodeuntes, nihil turpe putant, ad quod naturæ quamvis corruptæ, & carnis illecebris titillatæ, sentiunt incitamentum; Sextò, Secta *Levelliorum*, qui Politici regiminis sunt jurati hostes, dùmque naturalem hominum æqualitatem, quâ nec opibus, nec honore, nec potestate alter alteri antecellat, inducere gestiunt, ad excitandas adversùs Magistratus seditiones pronos promptosque se se exhibent. Quod quidèm ne putes, aut à me gratis, aut ad infamiam Anglis inurendam dictum esse, referam hìc quæ nuperrimè legi in libris ipsorummet hæreticorum, qui de hodierno Statu Religionis in Angliæ Regno scripserunt. *Honorius Reggius* Kemnatensis hæreticus in libro *De hodierno Ecclesiarum Anglicanarum Statu*, quem Danzici anno MDCXLVII. edidit, hæc habet: Anglia facta est Colluvies, & Lerna omnium errorum ac Sectarum. Nulla à condito Orbe Provincia tam parvo spatio tot monstrosas Hæreses protulit, atque hæc. Episcoporum tempora intra LX. annos nonnisi quatuor Sectas protulerunt, *Puritanos*, *Bronswistas*, *Familistas*, & *Anabaptistas*. Posteà, abolitâ Hierarchiâ Episcopali, prodierunt *Presbyterianorum*, & *Independentium* Sectæ. *Independentium*

pendentes vix in suas Classes dividi possunt, tanta est varietas, & pugna. Præcipua genera sunt: *Anabaptistæ*, *Libertini*, *Antiscripturarii*, *Chiliastæ*, seu Millenarii, *Antinomi*, *Manifestarii*, sive *Arminiani*, *Familistæ*, *Enthusiastæ*, *Quærentes*, seu *Expectantes*, *Perfectistæ*, *Sociniani*, *Antitrinitarii*, *Sceptici*, à quibus innumeræ aliæ pullularunt Sectæ, quæ quotidiè latiùs diffunduntur, quarumve errores producit laudatus ille Scriptor hæreticus, ostenditque, omnium, quæ in Anglia serpunt, Sectarum pessimam esse *Independentium*. Alter Scriptor hæreticus, qui itidem deplorat hodiernum Ecclesiarum Anglicanarum Statum, est *Thomas Eduardus*, Anglus, & Londinensium Pastor, qui in libro, cui titulum *Gangrænæ* fecit, percenset centum, & octoginta hæreses, seu errores, qui in præsentia vigent in Anglia, & posteà subdit: *Nulla Hæresis, blasphemia, confusio est, quæ non inveniatur in Anglia, vel oriatur. Reformatio ab uno extremo ad aliud collapsa est. A Scylla in Charibdim ventum. Damnandæ Hæreses, horribiles blasphemiæ, Libertinismus, & tremenda Anarchia est. Non ablata mala, sed aucta. Diabolo pejor Spiritus successit. Jam & ipsam abnegant Scripturam, & tam enormis omnium Religionum libertas propugnatur, ut etiam blasphemiæ, & Atheismus includantur. Et hoc publicis scriptis fit in conspectu Parlamenti, quod tolerat horrendos Sectarios in ipsa Urbe, & permittit ut libros publicent. Ingens numerus Opificum concionatorum, & rudissimorum nebulonum. Etiam fœminæ, & pueri concionantur. A condito Orbe non fuerunt tot monstrosæ opiniones, quot nunc in Anglia.* Postremò, Authores *Annotationum in Bi-*

Biblia Anglicana ad Caput x. Geneseos, de misero Religionis in Anglia Statu lamentantur in hunc modum: *Quot causas habemus liberos, qui nascuntur, Pelegos*, seu divisos, *vocandi? Quàm divisi sumus non in linguas tantùm, ut Babylone factum; sed capita, corda, manus? Quantæ divisiones, non tantùm Rubenis, ut judicum cap.5. V. 15. sed omnium tribuum Israelis nostri? Et O' si tantùm divisi essemus! jam verò subdivisi sumus in complures factiones Reipublicæ, in varia schismata Ecclesiæ*. Sic proh dolor! Deus inscrutabili judicio Anglos, ab Ecclesia Romana extorres, tradidit in reprobum sensum, ut omnium gentium serviant erroribus, & magnam sibi videantur assumpsisse Religionem, quia nullam respuunt falsitatem. Sed, missis Anglis, quibus meliorem mentem precamur, redeamus ad alias Calvinianæ Superstitionis Sectas, quarum tertia est *Piscatorianorum*, cui nomen dedit *Joannes Piscator*, Argentinensis, in Gymnasio Herbornensi Calvinianæ Theologiæ Professor, homo arrogans, superciliosus, & rerum novandarum cupidissimus. Hic quippè, præter multos errores, quos circà Cœnam Dominicam, Prædestinationem, pœnitentiam, & satisfactionem Christi sparsit: docuit, Fideles justificari quidem per justitiam Christi, quæ ipsis imputatur, non tamen per eam justitiam, quam Christus, dùm viveret, ex legis obedientia, vitæque sanctimoniâ habebat; sed per eam justitiam solam, quam Christus passione, & morte suâ acquisivit. Hanc Joannis Piscatoris doctrinam (ut videre est apùd Illustrissimum *Benignum Bossuet* Meldensem Episcopum libro XII. *Historiæ Variatio-*

num

num Ecclesiarum Protestantium) alii inter Calvinistas tanquàm hæreticam, spiritui ac doctrinæ *Calvini* omninò contrariam damnarunt, ipsumque *Joannem Piscatorem* Anathemate perculerunt; alii verò doctrinam *Joannis Piscatoris* approbarunt, indèque factum est, ut gliscente illo dissidio, nova inter Calvinistas eruperit Secta *Piscatorianorum*. Postrema Calvinistarum Secta est *Arminianorum*, sic dicta à *Jacobo Arminio*, ejus Authore, Amstelodamensi quondàm Ministro, posteà Lugduni Batavorum Theologiæ Professore, qui in materia de gratia Dei, & libero arbitrio, de justificatione, de Prædestinatione, & reprobatione, de perseverantia &c. cùm multas excitasset Controversias, nactus est suæ doctrinæ adversarium *Franciscum Gomarum* doctrinæ *Calvini* addictissimum, à quo profecta est Secta *Gomaristarum*, qui etiam dicti sunt *Rigidi Calviniani*, & *Contraremonstrantes*, ad discrimen *Arminianorum*, qui dicebantur *Calviniani molles*, & *Remonstrantes*. Cane pejus, & angue Calvinistę *Gomaristæ* oderant Arminianos, quos ubique Pelagianismi insimulabant. Versâ vice Calvinistæ Arminiani diris devovebant Gomaristas, ipsisque exprobrabant, quòd gratiam irresistibilem seu necessitantem admitterent, & negarent cooperationem liberi arbitrii. Vicerunt tamen Gomaristæ, & in Synodo Dordrectanâ habitâ anno MDCXVIII. damnarunt Arminianos, qui Decretis prædictæ Synodi cùm parêre detrectarent, Magistratuum auctoritate oppressi sunt. Hìc tamen diligenter observare debes, recentiores Calvinistas, Catholicorum Theologorum Polemistarum disputationibus convictos, emollitis, ne

ne dicam penitùs explosis, Magistrorum suorum pristinis aberrationibus, ad Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de Prædestinatione, gratiâ & libero arbitrio, propiùs accessisse, eosque ultrò fateri, gratiam, quantùmvis se ipsâ efficacem, non tollere consensum & liberi arbitrii cooperationem. Ad hanc sanam Ecclesię Catholicę doctrinam tandem aliquandò recentiores Calvinistas, semotis pristinis *Calvini*, suorumque Magistrorum præjudiciis, convolasse, disertè testantur doctissimi Thęologi Catholici Polemistæ, quorum verba hic lubenti animo subjungam, ut indè intelligas, recentiores Calvinistas, antiquo posthabito Magistrorum suorum errore, Catholicis eo saltem in Capite penè cõsentire. In primis Cardinalis *de Richelieu* in Tractatus, quem gallicè pro hæreticorum conversione edidit, libro 3. *de libero arbitrio* sic habet: *Recentiores hæretici majorum suorum doctrinam de prædestinatione, gratia & libero arbitrio ita emollierunt ac temperarunt, ut vix ullum iis in capitibus (si accuratè loqui velimus) eos inter & nos dissidium extet*. Illustrissimus *Jacobus Benignus Bossuetus*, Meldensium Episcopus, & egregius Calvinianæ Sectæ Triumphator, libro octavo *Historiæ variationum Ecclesiarum Protestantium* datâ operâ ostendit, recentiores Calvinianos, repudiatâ Magistrorum suorum sententiâ, ultrò nunc profiteri liberi arbitrii cooperationem, & capite quinquagesimo primo totam præcedentium narrationem ita concludit: *Modò bona fide & concordi consilio res agatur, ne levem quidem inter nos dissidii umbram experior, quoad illam de liberi arbitrii cooperatione controversiam*. Idem asserit Illustrissimus ille Antistes, eximius

mius antiquæ Ecclesiæ interpres, & novæ acerrimus vindex, in *Expositione Fidei Catholicæ* Cap. 7. ubi agit de Gratia & libero arbitrio in negotio justificationis. Hanc recentiorum Calvinistarum de Prædestinatione, de Gratia & libero arbitrio doctrinam prolixiùs adhùc ac distinctiùs explicant Illustrissimi Episcopi ac fratres germani *Adrianus, & Petrus de Walenburch* Tomo 2. Controversiarum Tractatu I. Capite quinquagesimo septimo, cui hunc titulum præfixerunt: *Appropinquatio Protestantium ad doctrinam Catholicam.* Ibi quippè doctissimi illi Polemistæ, post adducta præcipuorum Sectę Calvinianę super hac re testimonia, sic scribunt: *Atque hæc sententia nunc est inter Reformatos communissima. Neque hoc tempore dicunt, Gratiam ita esse à se ipsa efficacem, ut excludant motionem moralem, quæ est per consilia & suasiones. Similiter hoc tempore non docent, Deum ita efficaciter movere voluntatem, ut postea non sit nostræ electionis, motioni ejus aut obtemperare, aut refragari; tenent enim facultatem dissentiendi consistere cum gratia efficaci, & id ipsum tradunt quod Thomistæ: libenter etiam fatentur, Deum per gratiam, vel motionem ita operari in nobis velle, & nos ad se ipsum convertere, ut gratiæ prævenienti nostrum arbitrium pedissequa voluntate obsequatur liberè. Non igitur est necesse indagare, quid Calvinus, quid alii antehàc senserint: Sufficit eos nunc cum Catholicis Doctoribus sentire, & loqui.* Idem confirmant hi duo illustrissimi Præsules capite sexagesimo, cui titulus: *Hominem liberè consentire gratiæ Dei.* His doctissimis Polemicis Scriptoribus Catholicis quatuor alios perindè eruditos adjungam, qui itidèm testantur, recentio-

tiores Calviniſtas ad ſaniora tandem conſilia veniſſe, & ad Catholicorum doctrinam de gratia & libero arbitrio propiùs acceſſiſſe. *Vincentius Baronius* in libro, cui titulus eſt: *Hæreſis devicta*, aſſerit, *ad Catholicos tandem Theologos in doctrina de gratia, & libero arbitrio accedere quotquot inter Calviniſtas altiori eruditionis famâ valent.* Eruditus P. *Veronius* 3. part. Controverſiarum cap. 2. de libero arbitrio, expoſitis variis hæreticorum Proteſtantium Confeſſionibus, Galliæ ſcilicet, Bataviæ, Scotiæ, Angliæ, Helvetiæ, Auguſtanæ, & Saxoniæ, quibus liberi arbitrii cooperationem profitentur & explicant, ait: *Magiſtrorum ſuorum doctrinam abnegant* (recentiores hæretici Proteſtantes)*ſuoſque articulos tot interpretationibus emolliunt, ut nihil jam adversùs Eccleſiæ Romanæ doctrinam doceant. Satis nobis illorum profeſſio ſit. Atque utinam in aliis errorum capitibus, ita ſe gererent.* Auctor libri cui titulus eſt: *Juſta adversùs Calvinianos Præjudicia*, cap. XI. variis Calvinianæ Sectæ Miniſtrorum teſtimoniis probat, *fateri tandem aliquandò cōactos fuiſſe Calvinianos, diſſidium in doctrina de Gratia & libero arbitrio Eccleſiam inter & Calvinianos excitatum, verbis potiùs ſtetiſſe, quàm rebus ipſis: ſeu primos ipſimet ſenſus exuerint, ut ad Catholicorum ſententiam accederent, ſeu Eccleſiæ doctrinam, ſibi licèt ignotam, audaci cæcitate damnaſſent.* Denique, doctiſſimus *le Feure* Theologus Pariſienſis in libro, cui titulum præfixit: *Momenta invicta ad convincendos falſi nominis Eccleſiæ reformatæ ſectatores*, ſole clariùs evincit, primos Hæreſiarchæ *Calvini* ſenſus circà doctrinam *de gratia, & libero arbitrio* vel plurimùm emollitos ac temperatos

ratos, vel planè dimissos ac explosos fuisse à celebrioribus Sectæ Calvinianæ Scriptoribus, quos inter enumerat *Amesium*, *PerKinsium*, *Antonium de Dominis*, *Guillielmum Forbesium*, *Petrum du Moulin*, *Buxtorfium*, *Tuisium*, aliosque benè multos. Hæc te præmonere operæ pretium duxi, ut inde intelligas, recentiores Calvinistas, habitis cum Catholicis Theologis disputationibus, expensisque sinceris Catholicæ Ecclesiæ Dogmatum expositionibus, sua in controversiis de gratia & libero arbitrio falsa reliquisse præjudicia, à Calvino, primisque suæ Sectæ Principibus defecisse,& ad doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de gratia, & libero arbitrio propiùs accessisse.

D. Hanc recentiũ Calvinistarum in quibusdam Fidei Controversiis à *Calvino*, cæterisque suæ Sectæ Principibus defectionem, ac veterum Dogmatum ejurationem jam probè noveram ex ea Disputatione, quam *Martinus Becanus*, Societatis Jesu Theologus, qui cum Heterodoxis collato veluti pede sæpiùs certavit, se cum *Davide Paræo*, Calvinianæ factionis in Germania pseudo-Ministro habuisse narrat Tomo I. Summæ Theologiæ capite decimo sexto his verbis: *Noster Serrarius & ego eramus autumno superiore apud Accidulas Schualbucenses, ibi commodè incidimus in Davidem Paræum Calvinistam, Professorem Heidelbergensem. Salutavimus hominem perhumaniter, & ille vicissim nos. In progressu amicè & modestè mihi objecit, quod in quadam disputatione, quæ typis edita est, scripsissem, Deum Calvinistarum esse autorem peccati. Respondi, me solidè id probasse ex verbis, & sententiis Calvini. Tum ille, Esto sanè, inquit, sit ista Calvini sententia, & non*

& non Calvinistarum. *Hìc subridens Serrarius, ita subjecit: Domine Paræe, hæc lis facilè inter vos, ut video, componetur: Sola particula*, Starum, *expungatur, & res erit salva. Placuit hoc Paræo, & Colloquium solutum est. Vix Moguntiam reversi eramus, cùm eccè Paræus ad me Epistolam dat, in qua monet nos officii nostri hoc Carmine:*

Vos quoque promissi memores delete liturâ
ingenuâ, Starum, *impegistis quod malè nostris.*

Hoc autem Disticho apertè *David Paræus* innuere voluit, *Calvinum* in multis doctrinæ suæ Capitibus à recentioribus Calvinistis desertum ac damnatum fuisse. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Calviniani ab omnibus præjudiciis liberi veritatem tandem agnoscant, eamque ad gremium Ecclesiæ Catholicæ reversi diligant, & amplectantur. Id maximè in votis habeo, eosque, ut omnia *Calvini*, aliorumque suæ Sectæ Principum impia dogmata sinceris animis ejurent ac detestentur, his verbis Scripturæ Sacræ lib. 2. Paralipomenon capite trigesimo vehementer adhortor; *Filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israel... Nolite fieri sicut patres vestri, & fratres, qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri: tradite manus vestras Domino, & venite ad Sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum &c.* Sed hactenùs de *Calvini* Hæresi, ejusque variis Sectis sat superque dictum sit, & de aliarum Hæresum, quæ sæculo XVI. prodierunt, exordio, progressu, ac interitu paululùm differamus.

M. Sæ-

M. Sæculò xvi. erupit Hæresis adeò execrabilis, ut ipsimet *Lutherus*, & *Calvinus*, Scelestissimi licèt Hæresiarchæ, tam tetram, tam horribilem, tam infestam Religioni pestem exhorruerint. Hujus detestabilis Hæresis Author fuit *Michaël Servetus*, Hispanus, Tarraconensis, qui *Pauli Samosateni*, *Arii*, *Macedonii*, divinitatem Filii, & Spiritus Sancti negantium, impietates ac blasphemias recoxit in septem libris, quos scripturivit *De Trinitatis Erroribus*. Effutiebat impudentissimus ille Hæreticus, uti videre est apud *Hosium* libro I. *de Hæresibus*, & apud *Prateolum* in Michaele Serveto, *Patrem solum, non Filium, non Spiritum Sanctum, verum Deum esse, ac Trinitatem esse figmentum triceps monstrum, aut Cerberum quoddam tripartitum. Filium Dei non esse secundam personam Divinitatis, sed Christum hominem esse personam tunc factam, cùm homo fieret. Spiritum Sanctum non esse simpliciter Deum, sed aliquid ex essentia Dei, levem solummodò, & tenuem aliquam auram, quæ in creatione Mundi primùm prodierit: nunquàm fuisse in lege Deum adoratum, sed Angelos Deum adumbrantes, hosque fuisse ab initio realiter, & restauration: aliqua indiguisse, postquàm illorum Caput factus est Christus: Spiritum & animam hominis esse Dei substantiam: regeneratos verò aliam, quàm ante habuerint, animam, quæ insitam Deitatem contineat, accipere: ob peccatum originis neminem damnari, cùm corpore tantùm à serpente occupato, anima libera sit, quæ ante vigesimum annum peccare nequeat: homines sine agnitione Christi salvari posse sub Evangelio & justificari. Turcas per orationes suas, quæ bonæ sint, promissiones Christi consequi.* Hos, & alios ejusmodi errores nefandos sparsit, sed potissimùm

simum in sanctissimam Trinitatem invectus est *Michaël Servetus*, vir, ut ait *Joannes Cochlæus* in Actis Lutheri, *acris ac vehementis ingenii, qui Græca quoque ac Hebraicæ linguæ peritus videbatur; sed hic est communis omnium verè novorum Theologorum morbus, ut linguarum peritia tumidi, ac litterali Scripturæ sensui, quem non ex probatis Doctoribus, sed ex capite suo sibi effingunt, innitentes, contemptis Sanctorum Patrum expositionibus, & solidis Scholasticorum Theologorum informationibus, suæ confidant prudentiæ, & pro mobilitate ingenii instabiles, facili momento per novam adinventionem priorem sententiam suam, quam primo inventionis calore laudaverunt, mutent, varient, aut augeant, aut minuant, juxta illud Jacobi Apostoli: Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.* Tot Blasphemias, quas in Sanctissimam Trinitatem evomuit, non impunè tulit *Michaël Servetus*, repertus quippè Genevæ, ab Hæresiarcha *Calvino* in carcerē compingi jussus ex Senatus Genevensis Sententiâ vivus exustus est die XXVII. Octobris anni MDLIII. Hìc autem rem singulari sanè observatione dignam diligenter advertas velim, videlicet *Calvinum* in Refutatione errorum *Michaelis Serveti*, fusè, omnique argumentorum genere probare, Hæreticos jure gladii coercendos & extremo supplicio esse afficiendos, ne mortale venenum longiùs serpat, & impii eorum errores impunè grassentur. Ita sentit *Calvinus* in Causa *Michaelis Serveti*. At veritus ille Hęresiarcha ne hæc doctrina sibi, suæque Sectæ professoribus ultimum afferret exitium, contendit in eadem Refutatione errorum *Michaelis Serveti*, gladium à Principibus, & Magistratibus in Calvinianæ doctri-

ctrinæ professores distringi non posse, quemadmodum in *Michaelem Servetum*, & Antitrinitarios distringi potuit, quia, inquit, *Michaël Servetus* & alii Antitrinitarii hæretici erant, eorumque doctrina jam ab Ecclesia in *Ario*, & in *Macedonio* fuerat profligata; Cõtrà verò Calvinistarum doctrina verbo Dei consentanea est. Ex quo infert scelestus ille Hæresiarcha, jure optimo *Michaelem Servetum* ex Senatus Genevensis Sententiâ è medio sublatum, ac vivum fuisse combustum; sed versâ vice, Catholicos Magistratus & Judices, qui capitali supplicio Calvinistas damnant, esse *Papæ carnifices, & incendiarios*. Qua in re *Calvinum* sibi minimè constare video, &, ut habetur in paræmia, *lupum utraque aure teneo.* Nam primò, quis non videt, esse ineptissimum asserere, quòd *Calvinus* potuerit damnare *Michaelem Servetum*, eumque hæreseos convictum sæculari tradere Magistratui ut vivus exureretur, *Calvinum* verò, ejusque Sectæ professores damnare, eosque insanabiles Principum ac piorum Magistratuum potestati, ut desperati capite plectantur, permittere non possit Ecclesia Catholica, cujus fidem violarunt, impugnarunt, & à cujus communione sacrilego schismate recesserunt. At, inquit *Calvinus*, extremo supplicio dignus erat *Michael Servetus*, quia hæreticus erat, ejusque doctrina Verbo Dei, erat contraria; Calvinistæ verò non sunt hæretici, eorumque doctrina Verbo Dei consentanea est. At, numquid itidèm *Michael Servetus* palàm inficiabatur, se esse hæreticum, & Scripturam sacram à se stare conclamabat? Quis ergò istarum Controversiarum Judex & arbiter sedebit? Numquid privatus eo-

rum, qui hæreſeos accuſantur, Spiritus? Aut Eccleſia? à qua hæretici receſſerunt, vel recedunt. Si privatus Spiritus eorum, qui hæreſeos inſimulantur, harumce controverſiarum Judex ſit, iniquè ſanè *Calvinus* egit cum *Michaele Serveto*, quippè qui ex ſuo privato ſpiritu judicabat & aſſerebat, ſe non eſſe hæreticum, ſuamque doctrinam eſſe Verbo Dei conſentaneam. Si verò Eccleſia, â qua receſſerunt, vel recedunt hæretici, ſit Judex harum, quæ in fide emergere poſſunt, Controverſiarum, ſicut reverâ eſt; res planè confecta eſt, & omninò actum atque conclamatum *de Michaele Serveto*, de *Luthero*, de *Calvino*, & de aliis nefariis hæreticis, quia ſicut *Michael Servetus* fuit jure merito damnatus & vivus exuſtus tanquam hęreticus, eò quòd contrà Sanctiſſimam Trinitatem antiquos ſuſcitaret *Arii*, & *Macedonii* errores jam ab Eccleſia universâ in Conciliis Generalibus Nicæno I. & Conſtantinopolitano I. damnatos; ita pari quoque jure tanquàm hæretici haberi & puniri debent *Lutherus*, *Calvinus*, eorumque ſectarii, ut potè qui revocant, ac pertinaciter tutantur obſoletos antiquorum Hæreſiarcharum Manichæorum, Iconoclaſtarum, Berengarianorum, Wicleffiſtarum, & aliorum errores jam pridem ab univerſa Eccleſia in Conciliis Æcumenicis confixos, quoſque etiam hoc ſæculo XVI. proſcripſit Catholica Eccleſia in Concilio Generali Tridentino congregata. Quapropter, Hæreſiarcha *Calvinus* dùm, in Cauſa *Michaelis Serveti*, quem ad rogum damnari procuravit, acritèr propugnavit, hæreticos extremo ſupplicio afficiendos eſſe, volens nolens, ſe, ſuęque Sectę profeſſores proprio mucrone confodit. Nec ſolùm

Calvi-

Calvinus, sed *Lutherus*, *Brentius*, *Bucerus*, aliique Sectarũ Sęculi decimi sexti Coriphęi ęãdem Sententiam in se, suosque sectarios, ita permittente Deo, protulerunt. *Theodorus* siquidem *Beza*, discipulus *Calvini*, post *Michaelis Serveti* vivicomburium, scripsit librum *De Hæreticis à Civili Magistratu puniendis*, quo non solùm propugnat, Hæreticos à Civili Magistratu capitali supplicio mulctari posse, sed etiam hujus sententiæ suffragatores citat *Lutherum* in postillis minoribus, Dominicâ post Epiphaniam quintâ, *Melancthonẽ* libro de Officio Principis, *Urbanum Reginum*; saxonicas (ut vocat) Ecclesias in Confessione, quam Tridentino Concilio obtulerunt, *Brentium* in libello De Republica benè administrandâ; *Bucerum* Enarratione in caput XII. Matthæi; *Capitonem* in libro de jure Magistratus in Religionem; *Bullingerum* Decadis 2. sermonibus VII. & VIII. *Musculum* Commentario in Psalmum secundum, & *Calvinum*, in libro, quem in Causa *Michaelis Serveti* hæretici eo de argumento lucubravit. Hæc Hæreticorum confessio, quam ab ipsis vis veritatis extorsit, apertè prodit ipsorum inconstantiam, quâ posteà Protheo mutabiliores, & suæ causæ inservire volentes, suæ Sectæ professores, ob hæresim Edictis piorum Principum & Catholicorum Magistratuum justè punitos, immensis laudibus celebrarunt, & honorifico Martyrum titulo ornare ausi sunt. Sic apud Hæreticos mentitur sibi iniquitas, & perspecta veritas, dominante spiritu vertiginis, profligatur.

D. Flammis consumpto *Michaële Serveto*, fuitne simùl cum eo extincta pestifera illa, quam invexit Antitrinitariorum hæresis?

 M. Adhùc

M. Adhùc calebant *Michaelis Serveti* cineres, cùm *Valentinus Gentilis*, *Georgius Blandrata*, *Alciatus*, *Bernardinus Ochinus*, *Gribaldus*, & *Franciscus David*, tanto supplicio non deterriti, eamdem Antitrinitariorum Hæresim in Poloniam, Transylvaniam & Hungariam intulerunt, quique omnes, ut constabit ex his, quæ mox dicturus sum, miserrimè perierunt. In primis, *Valentinus Gentilis*, patriâ Neapolitanus, hanc Antitrinitariorum Hæresim, cui etiam multos addidit errores, dùm palàm Genevæ doceret, captus & in carcerem conjectus est, ubi extremum sibi imminere supplicium seriò cogitans, pænitentiam simulavit, palinodiã cecinit, omnesque errores suos revocavit. E carcere dimissus, Genevâ contra fidem datam se se clàm proripuit, variisque in locis petulantiùs, quàm antehàc in Sacram Triadem debacchari cæpit. Tandèm, Bernæ in Helvetia comprehensus, capitali supplicio affectus est anno MDLXVI. *Georgius Blandrata*, Medicus Italus, ejusdem Hæresis in Polonia & in Transylvania propagator, miserrimè trucidatus est in Transylvania ab uno cognatorum suorum, qui ejus bonis inhiabat. *Gribaldus* peste sublatus est, & *Franciscus David* ruente repentè domo oppressus. *Alciatus* Mediolanensis ad Mahometanos defecit. De sorte *Bernardini Ochini* non convenit inter Scriptores. *Zacharias* siquidem *Boverius* in Annalibus Capucinorum ad annum MDXLIII. num. 43. licèt fateatur, *Bernardinum Ochinum* fuisse tertium Generalem Ministrum Ordinis Capucinorum, eumque à fide Catholica ad Hæresim Antitrinitariorum defecisse, & errorem etiam de licitâ promiscuè omnibus polygamia docuisse,

con-

contendit attamen, eum non fuisse Authorem, ut quibusdam per errorem obrepsit, Ordinis Capucinorum, sed dumtaxàt tertium illius Generalem. Probat etiam ad eumdem annum num. 46. & sequentibus, idem Annalista, ac pluribus Scriptorum testimoniis confirmat, *Bernardinum Ochinum* in extremo vitæ suæ discrimine resipuisse, Hæreses omnes Genevæ recantasse, atque pugionibus interfectum pro Catholica fide occubuisse. At *Antonius Maria Gratianus* cap.8. libri primi Vitæ, quam descripsit, *Joannis Francisci Commendonis* Cardinalis, plura refert de *Bernardino Ochino*, quæ hìc compendiosè perstringam, ut faciliùs qualis fuerit *Ochinus*, & quem vitæ exitum nactus sit, intelligere possis. In *Ochino*, inquit ille Scriptor, præter eloquentiæ famam, Italicæ linguæ elegantiam & cultum, ætas, genus vitæ, horridus ille pænitentiæ habitus, promissa & fluens infra pectus barba, argentea canities, pallor ac macies oris, & magno studio arteque simulata corporis imbecillitas & sanctitatis opinio, propè excesserant humanæ admirationis modum. Omnes ad ejus Conciones certatim confluebant, intentique ora tenebant. His hominum in se studiis inflatus, elatusque *Ochinus*, adeò sibi placere, sese amare, ac tanti suam æstimare fortunam cæpit, ut altiora se quærens, nec tamen à Romano Pontifice, qui illum intùs & in cute noverat, altiorem honoris gradum impetrare valens, excusâ cucullâ, ad hæreticos confugerit, & cum puellâ incestas nuptias inierit homo sexagenarius. Præter errores *Lutheri* & *Calvini*, quibus adhæsit *Ochinus*, Hæresim *Arii*, contra Consubstantialitatem Verbi Divini revocavit, &

polygamiam omnibus licitam esse docuit. Apud Helvetios primùm consedit, dein, omnem pervagatus Germaniam atque Brittaniam, seu Angliam, atque undique explosus, postremò se in Poloniam contulit, ubi cùm *Joannes Franciscus Commendonus*, Cardinalis & Sedis Apostolicæ Legatus, Edictum à Poloniæ Rege obtinuisset, quo exteri omnes hæretici à Regno abire jubebantur, *Ochinus* mutare Sedem & è Polonia excedere coactus est. Sed omnibus jam terris extorris ac profugus, cùm in vili Moraviæ pago à veteri amico fuisset hospitio exceptus, ibi senio fessus, cùm uxore, ac duabus filiabus, filioque uno, peste interiit. Hic fuit juxtà *Antonium Mariam Gratianum*, loco mox à me laudato, infelix Vitæ *Bernardini Ochini* exitus. At, cùm *Zacharias Boverius* in Annalibus Capucinorum probet, *Bernardinum Ochinum*, suos ejurasse errores, & peccatorum confessionem Catholico ritu ante mortem edidisse, cõsultius esse duco cum *Spondano* ad annum MDXLVII. num. XXII. meum hìc non interponere judicium, remque totam, in qua inter Scriptores non convenit, in medio relinquere. Hoc unum dumtaxat in præsentia certissimè affirmabo, Apostasiã *Bernardini Ochini*, qui Senis in Etruria natus est, nihil omninò derogasse splendori ac sanctitati inclyti Capucinorum Ordinis, qui semper Ecclesiæ utilissimus fuit, & cujus eximiã pietatem, arctissimæ disciplinæ regularis studium, atque præclara in Ecclesiam promerita, fusè in colloquio sexto, agendo de Monastica Disciplinâ, commodiùs referemus.

D. Miror sanè, quòd inter illos Sectæ Antitrinitariorum Antesignanos non reposueris *Lælium*

lium Socinum, & *Faustum Socinum*, Italos, patriâ Senenses, qui contra Sacram Triadem itidem blasphemarunt, suumque nomen indiderunt novę Sectæ *Socinianorum*, quæ etiamnùm viget, quæque nihil aliud est, ut audivi à Viris eruditis, quàm quædam Sabellianæ, Arianæ, Macedonianæ, Photinianæ, Pelagianæ, Lutheranæ, & Calvinianæ doctrinæ colluvies. De his itaque duobus Sectæ Socinianorum Primipilis, & de præcipuis eorum erroribus, pauca hìc subjungere debes, ut plenam illius Sectæ Authorum, & errorum notitiam habere possim.

M. Adeò celebre fuit apud Antitrinitarios *Lælii*, & *Fausti Socinorum* nomen, ut ab illis eorum Secta non alitèr nunc vocetur, quam Secta *Socinianorum*. *Lælius Socinus*, Senis oriundus, annum agens circiter vigesimum secundum, relictâ patriâ, ubi suos errores absque vitæ suæ discrimine disseminare haud poterat, Galliam, Britanniam, Germaniam universam, Belgium, Helvetiam, Transylvaniam & Poloniam peragravit, cùmque dissimulandi peritus esset artifex, Hæresim, quàm contra SanctissimamTrinitatem ex *Michaele Serveto*, Genevæ, ut diximus, exusto, hauserat, propalare ausus non est, amicitiam tamen iniit cum *Calvino*, *Melancthone*, *Beza*, *Musculo*, *Bullingero*, *Munstero*, *Petro Martyre*, aliisque doctrinæ Evangelicæ corruptoribus, ut videre est in eorum ad ipsum Epistolis, quæ liquidò probant, *Lælio Socino* magnam cum illis pestibus necessitudinem intercessisse. Obiit *Lælius Socinus* Tigurii apud Helvetios anno MDLXII. ætatis suæ XXXVII. Multos reliquit manuscriptos Codices, impiis erroribus refe-

refertos, quos post ejus obitum *Faustus Socinus*, ejus nepos, sibi vindicavit, in lucem edidit, impiamque hæresim, quâ à patruo suo fuerat jam afflatus, in Transylvania potissimùm, & in Polonia pro viribus propalare studuit, quà privatis colloquiis, quà multis virulentis Operibus, quæ ipse proprio marte procudit ac publicavit, adeò ut verè dici possit, *Lælium Socinum* posuisse ova, quæ posteà ejus nepos *Faustus Socinus*, patriâ itidèm Senensis, in perniciem Catholicæ Ecclesiæ exclusit. Huius Socinianorum Sectæ latè à *Fausto Socino* propagatę pertinacissimi defensores fuerũt *Joannes Crellius*, *Jonas Slinchtingius à Buccouvietz*, & *Joannes Ludovicus Wolzogenius*, quorum pestilentissima Opera, unà cum *Lælii, & Fausti Socinorum* libris, in unum corpus redacta sunt, sub hoc titulo: *Bibliotheca Fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant*, & septem Tomis in Folio comprehensa, magno Christianæ Religionis damno apud Batavos typis excusa prodierunt. Hìc autem velim obitèr observes, Calvinisinum duxisse hujusmodi hæreticos ad Arianisinum, seu ad illam Sectam Antitrinitariorum, sicut probat *Henricus Spondanus* in Annalibus Ecclesiæ ad annum MDLXXIV. ex Relatione *Gerlachii*, Viri licèt Lutherani, qui, dùm Constantinopoli esset, & in *Adamum Neuserum*, Ministrum olim Heidelbergensem, qui ex Calvinismo in Arianismum, hincque in Turcismum prolapsus erat, incidisset, atque eum interrogasset, quomodò eò errorum devenisset: respondit ille, id sibi, quòd Calvinista factus esset, accidisse: neminem enim eo Sæculo Arianum factum, qui non fuisset priùs Calvinista: quales exti-

titiſſent *Servetus*, *Blandrata*, *Alciatus*, *Franciſcus Davidis*, *Valentinus Gentilis*, *Gribaldus*, *Silvanus*, & alii. Sicut autem hi omnes tandem infelici fine perierunt, ita hic *Adamus Neuſerus* ibidem Conſtantinopoli paulò poſt mortuus eſt ex deſperatione in diſenteria, eodem propemodùm mortis genere, quo *Arius* extinctus eſt. Id narrat *Gerlachius* in *Hiſtoria*, quam edidit, *Sacramentariorum*, undè facilè intelligere potes, quàm peſtifera ſit hæc Calviniana Secta, quæ viam ſternit ad Arianiſmum, ipſoſque Socinianos, Sacræ Triadis oſores, in ſua Societate aliquandò admiſit. Sociniani ſiquidem cum Calvinianis in Polonia & Tranſylvania Templis & communione erant olim conjuncti, tum poſteà Conventus ſuos ſeorsùm agere cœperunt Cracoviæ, donec tandem Sociniani anno MDCLVIII. in Comitiis Regni habitis Varſoviæ, tanquàm Ariani è Polonia fuêre ejecti.

D. Quinam ſunt præcipui Socinianorum errores?

M. Præcipui Socinianorum errores ad iſtos ſequentes revocari poſſunt. Primò docent, in eſſentia Divina unicam eſſe Perſonam Patris, & contradictionem implicare, Deum unum eſſe in eſſentia, & trinum in perſonis. Secundò, negant, Filium Dei, ſeu Chriſtum, eſſe perſonam divinam, vel Deum; illum tamen appellant Deum metaphoricè, & impropriè, ob ſublimem poteſtatem à Patre æterno participatam, nimirùm ut eſſet Deum inter & homines mediator. Tertiò, dicunt, Chriſtum ante Mariam Virginem non extitiſſe, eumque ratione perſonæ eſſe hominem verum, non tamen purum, quia divinâ filiatione ab ortu

fuit

fuit insignitus, quatenùs divini Spiritus virtute, absque ullâ Viri ope, in Virginis utero conceptus est, in quo sensu appellatur Filius Dei proprius, & unigenitus, quia nullus alius sic virtute divini Spiritus absque ullo Viri concursu in utero matris conceptus unquàm fuit, & ab ortu Filius Dei vocatus. Quartò, ajunt, Jesum Christum ideò esse Servatorem nostrum, quia nobis æternæ salutis viam ostendit, vitæque suæ exemplis confirmavit; Divinæ autem justitiæ, per quam peccatores damnari mererentur, neque illum satisfecisse, neque ut satisfieret, opus fuisse. Quintò, pertendunt, Christum non fuisse Sacerdotem antequàm in Cęlos ascenderet, & nequidem Sacerdotis munus obiisse, cùm penderet in Cruce. Christi mortem non fuisse Sacrificium, sed viam quamdam, & præparationem ad illud peragendum in Cœlis. Sextò, asserunt, Christum propriâ virtute à mortuis non surrexisse. Septimò, dictitant, Baptismum aquæ à Christo præceptum non fuisse, eoque hominem Christianum absque ullo salutis æternæ dispendio carêre, & ab eo abstinere posse. Octavò, sentiunt cum *Pelagio*, nullum esse peccatum originale, nullamque Dei gratiam interiorem ad opera supernaturalia necessariam esse. Nonò, affirmant, in sumptione panis, & vini, quæ fit in Cœna Domini, nihil præter panem, & vinum sive à credentibus, sive à non credentibus accipi, meramque esse cœremoniam in memoriam mortis Domini. Decimò, effutiunt, animas à morte non superesse; homines impios penitùs annihilari, & Resurrectionem impiorum nullam futuram. Undecimò, Primatum Romani Pontificis negant,

cum

eum Antichristum appellant, & Ecclesiam Romanam acerrimo odio prosequuntur. Duodecimò, *Zuinglium*, *Lutherum*, & *Oecolampadium*, velut Ecclesię reformationis Auctores, summis laudibus extollunt, Conciliis Oecumenicis, præsertim Concilio Nicæno contra *Arium* habito, fidem omninò abrogant; S. *Athanasii*, strenui Consubstantialitatis Verbi divini Assertoris, aliorumque Patrum authoritatem explodunt. Hos, & alios ejusmodi errores, tuentur Sociniani, quos *Faustus Socinus*, eorum Antesignanus, disseminavit, & expressit in suis libris, potissimùm in suis Commentariis in Scripturam Sacram, in Tractatu de Ecclesia; in suis Epistolis; in Prælectionibus Theologicis, in libro de Iustificatione Fide & Operibus; in Elenchis Sophisticis; in Institutione Religionis Christianæ; in libris De Baptismo, De Cœna Domini, De Deo Christo, & Spiritu Sancto; De Christo Servatore contra *Covetum*, & in diversis aliis Tractatibus de variis materiis ad Christianam Religionem pertinentibus.

D. Infelices profectò Hæresiarchæ, qui semel à solida veritate deflectentes, in variis erroribus per omnes Sectarum flexus & anfractus vagantur, & suis somniis delusi, nunc hùc feruntur, nunc illùc, ac Deum non ex ipsius naturā, nec ex arcanarum testimonio litterarum, & ex Ecclesiæ Catholicæ, ut par est, sensu, sed ex arbitrio suo metiuntur; quos si urgeas disputatione, mussant, dissimulant, tergiversantur, tentant elabendi aditum, & Prothei in morem, semet in omnia vertunt. Inter se sunt divisi, & ad Romanam, seu Catholicam persequendam Ecclesiam con-

concordes, juxta illud Psalmi LXXXI. *Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversùs Sanctos tuos. Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur Israel ultra; quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt: Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ, & Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum.* Hæc omnia Hæreticorum Tabernacula, has Synagogas Satanæ detestatur Romana Ecclesia, cujus antiquitas omnem transcendit memoriam, duratio finem nescit, amplitudo metas omnes prætergreditur, filiorum multitudo arenam superat maris & stellas Cœli; in qua regnat cœlestis veritas, exuberat pax exsuperans omnem sensum, fervet charitas fuci nescia, triumphat fides invicta, nulla est Dogmatum dissensio; quæ denique ab omni portarum Inferi concussione secura redditur per Christum, Sponsum suum, ad quem ipsa adversitatibus exagitata, & Hæreticorum irruptionibus lacessita confugit, eumque ad prosternendos fidei hostes exorat his verbis ejusdem psalmi: *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Sicut ignis, qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes; ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant, & cognoscant quia nomen tibi Dominus: Tu solus altissimus in omni terra.* Eo potentissimo Sponsi sui adjuta præsidio Ecclesia Romana semper vincit, semper triumphat, tot ornata palmis, quot fuit Hæ-

Hæreticorum armis, & invasionibus impetita. Sed percense, quæso, alios triumphos, quos Sæculo XVI. de erroribus, vel Hæresibus reportavit Ecclesia.

M. Præter præcipuos illos Sectarum Antesignanos, quos hactenùs memoravi, quique novis, falsis ac peregrinis suis doctrinis totum Orbem commoverunt, alii fuerunt hæretici, qui eodem Sæculo decimo sexto errores disseminarunt, quos breviter hic referam, ut intelligas, quòd quemadmodùm Christus Salvator noster cuncta, quæ perfidi Judæi Reges ac Principes terræ adversùs ipsum moliti sunt, vertit in ornamentum ac fidem suæ victoriæ, cœlesti consilio deludens humanam astutiam, invictâ mansuetudine superans impiorum ferociam, & moriendo mortis tyrannidem abolens; sic omnes Hæreticos, qui in perniciem Ecclesiæ Catholicæ conjurati fuerunt, machinationes disrupit, impia consilia dissipavit, & omnes tumultus convertit in bonum Ecclesiæ Sponsæ suæ, & in cumulum felicitatis æternæ. Hinc Ecclesiæ suæ perpetuam promittit assistentiam: *Et ego vobiscum sum usque ad consummationem sęculi*; hostibus verò Fidei æternum comminatur exitium his verbis, quæ leguntur in Psalmis: *Qui in Cælis est, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et comminuam eos ut pulverem antè faciem venti, & ut lutum platearum delebo eos.* Inter illos Hæreticos, quorum, necdùm indicavi errores, primò recensendus venit *Joannes Brentius*, patriâ Suevus, qui ex Canonico Witembergensi

&

& Sacerdote, factus est apostata & uxoratus. Hic docuit, Corpus Christi ex vi unionis hypostaticæ, seu personæ Verbi Divini, esse ubique, adeòque & in Pane Eucharistico ante consecrationem; indèque ortum habuit Secta *Vbiquistarum*, qui asserunt, Christi humanitatem ab initio Incarnationis fuisse semper ubique. *David Georgius*, Delphis in Batavia natus, ausus est asserere, se esse eximium Prophetam, & Christo *Jesu* majorem, & anno tertio post mortem resurrecturum, & Regnum Israël restituturum, at necdùm surrexit, quia cum aliis impostoribus in inferno æternis gehennæ ignibus cruciatur. *Gaspar Scuvenfeldius*, nobilis Silesius, contendit humanam Christi naturam, post Ascensionem, in Divinam esse mutatam, & novam condidit Sectam, quam speciosо nomine *Confessorum Christi* adornavit. *Joannes Agricola* Legem Mosaicam tanquàm prorsùs inutilem damnavit, & est parens *Antinomorum* Sectæ, quæ est stirps Lutheranæ, vt videre est apud *Hosium* in libro *De Hæresibus nostri temporis*, & apud *Lindanum* in Dialogo 11. *Dubitantii*. Ex eadem Secta Lutheranâ prodiit *Matthias Flaccus Illyricus*, Magdeburgensis Minister, qui, ut superiùs diximus, plurimis Scriptis pertinacitèr propugnavit, Peccatum Originale esse ipsam hominis substantiam, & in hanc Hæresim, quæ Manichæorum est, multos pertraxit Lutheranos, qui ab eo Dogmate *Substantialistæ*, & ab Authore *Flacciani* sunt apellati. Hìc obitèr observare debes, hunc *Mathiam Flaccum Illyricum* edidisse Historiam Ecclesiasticam, *Centuriarum* nomine insignitam & Tomis tredecim comprehensam, ad quam concinnan-

nandam multos sibi adjunxit laboris Socios. Ast istud malè consarcinatum Opus, erroribus, calumniis & mendaciis in Ecclesiam Romanam à capite ad calcem refertum, quàmplurimi Catholici Scriptores variis lucubrationibus confutarunt; palmam tamen omnibus præripuit Eminentissimus, & omni laude superior Cardinalis *Cæsar Baronius*, qui istud natalitiis tenebris damnandum Opus solidissimè ac dilucidissimè dispunxit, cribravit, & in pulverem redegit, insigni illo, nec unquàm satis laudato Opere *Annalium Ecclesiasticorum*, quod perduxit usque ad annum MCXCVIII. illudque post ejus obitum continuarunt tres doctissimi Viri, *Henricus Spondanus*, Appamiarum in Gallia Narbonnensi Episcopus, *Abrahamus Bzovius*, Ordinis Prædicatorum, & *Odoricus Raynaldus*, Congregationis Oratorii *Jesu* Presbyter. Novum errorem Sæculo XVI. sparsit *Franciscus Stancarus*, Mantuanus, affirmans Christum non divinæ, sed humanæ tantummodò naturæ ratione esse justitiam nostram, undè colligebat, Christum, non quà Deus, sed quà homo est, esse Mediatorem Dei & hominum. Hunc errorem plerique Catholici, Controversiarum, & Theologicorum Dogmatum Tractatores, strenuè oppugnarunt, præsertim Cardinalis *Bellarminus* libro V. *De Christo Mediatore*, & doctissimus *Petavius*, Societatis *Jesu* Theologus, libro XII. *De Incarnatione* capite IV. & sequentibus Tomi V. *Theologicorum Dogmatum*, ubi invictis momentis probant, Christum, quà Deus, & homo est, esse Salvatorem, totius humani generis Redemptorem, & mediatorem Dei, & hominum. Postremò, Sectam Libertino-

rum Sæculo XVI. in Galliis suscitarunt *Quintinus*, & *Antonius Pocquius*, qui docebant, *unicum tantùm spiritum immortalem esse, scilicèt Spiritum Dei, qui sit ac vivat in omnibus creaturis: Angelos esse inspirationes essentiâ vacuas; Diabolum, & peccatum imaginationes inanes & frivolas asserebant. Unicum spiritum immortalem omnia efficere, adeò ut ipsa peccata Deo imputanda sint, nec ullius ampliùs rei conscientiâ moveri quisquam debeat, nec fas sit quidquam improbare. Christum ex Spiritu Dei & opinatione esse compositum. In eo positam redemptionem nostram, quòd Christus solùm velut typus fuit, in quo contemplemur ea, quæ ad salutem nostram Scriptura requirit. Regenerationem esse restitutionem innocentiæ, in qua Adam, antequàm peccasset, constitutus erat. Hunc autem innocentiæ statum sic accipiebant, ut semel regenerati, quasi mali cogitatione sublata, nihil discernere debeant, sed puerorum more naturalem sensum atque inclinationem sequi. Libertatem Christianam in eo sitam esse, ut omnia homini sine exceptione licita sint. Propriam cujuscumque ad malum propensionem esse vocationem, in qua, secundùm Apostoli mandatum, permanere debeat. Matrimonium etiam solemni ritu initum coram hominibus, carnale esse, nisi Spiritus benè conveniant, adeòque Christianum hominem ad illud adstrictum non esse, sed solùm inter Christianos hoc matrimonium firmum esse debere, in quo utrique simul cum altero benè est. Communionem Sanctorum esse, si nemo quidquam possideat tanquàm suum, sed unusquisque, undecùmque nancisci poterit, ad se rapiat. Resurrectionem jam esse factam. Fas esse dissimulare Religionem. Litteræ Scripturæ Sacræ minimè nos obnoxios esse, sed spiritum, qui vivificat,*

vificat, sequi oportere. Sed mittamus illos *Libertinos*, qui, jam victâ prorsùs, & obrutâ conscientiâ, ex turpibus factis laudem sibi quærentes, vitiis callum obduxerant, in summis malis, perindè ut summis bonis acquiescebant, & contaminatâ undique vitâ, pestilentibus exemplis, pestilenti doctrinâ proximum quemque, velut contagio morbi, inficiebant, atque gloriantes in malitia, potentes in iniquitate, piorum hominum simplicitatem ludibriis incessentes, in omnia turpissima facinora præcipites ferebantur.

D. Ex ea insanâ tot hæreticorum in Ecclesiam Sæculo decimo sexto insurgentium conspiratione facilè intelligo, voluisse Christum Dominum, ut Ecclesia, sponsa sua, eamdem ac ipse sortem experiretur, & persecutionibus impeteretur, ut indè gloriosior evaderet. At enim, sicut Pontifices, Scribæ, Pharisæi, Reges, Principes, populique armati, in Christi Domini, Salvatoris tam benefici, tam amabilis, perniciem conjurarunt omnes, qui tamen in mundum venerat, ut salutiferâ doctrinâ blandè ac placidè monstraret omnibus æternæ felicitatis viam; ita Christus Dominus permisit, ut Ethnici, Judæi, & Hæretici, Religione licèt & Sectis inter se discordes, adversùs Ecclesiam congregarentur, & omnia sua consilia, totas opes & vires, & quidquid auctoritate, quidquid potentiâ, quidquid ingenio, fraudeve possent, in unum conferrent, eamque persecutionibus exagitarent. Verùm, sicut ille Christus, quem tot ignominiis onerarunt Judæi, nunc est in gloria Dei Patris, quem mortuum existimabant, revixit, victurus in æternum; quem infra omnes homines dejece-

rant, in toto Orbe Deus & homo colitur & adoratur: ejus Crux priùs ignominiosa, nunc gloria est Principum ac fidelium omnium; ad nomen *Jesu*, quod illi moliebantur abolere, flectitur omne genu, seque submittit omnis celsitudo cœli ac terræ, videntque modò perfidi Judæi templum suum funditùs dirutum, Religionem penè extinctam, Sacerdotium, Legem, Principatum, Urbes, Gentem, locum, breviter, nihil superesse, præter paucos vagos & exules, veteris insaniæ calamitatisque testes: sicut, inquam, Judæi cæco furore abrepti Christum persequendo nihil aliud effecerunt, nisi quod & suam amentiam & livorem prodiderunt, & Christi gloriam illustrarunt, atque auctoritatem confirmarunt, ita etiam Judæorum perversitas, Principum crudelitas, Philosophorum supercilium, Rhetorum eloquentia, Hæreticorum pertinacia, omnes in Ecclesiæ Catholicæ exitium conjurantes, quid tandem vinculis, carceribus, lapidibus, flagris, eculeis, ungulis, ignibus, quid tot horrendis tormentorum generibus, & cædibus, quid tot flagitiosis doctrinis, & atrocibus persecutionibus profecerunt? innumeros Martyres Ecclesiæ dederunt, sibi Gehennæ cruciatus conduplicarunt, ac, inviti licèt, confirmarunt veritatem Catholicæ Ecclesiæ, quæ æternùm stabit, & adversùs quam, ut promisit Christus, qui nec falli, nec fallere potest, *Portæ Inferi non prævalebunt*. Sed quorsùm, amabo, inter Novatores Sæculi decimi sexti non percensuisti *Michaelem Bajum*, Lovaniensis Academiæ Doctorem, quem in multos errores prorupisse monuit me nuperrimè vir apprimè eruditus, qui tamen candidè fateba-

tebatur, se planè ignorare, cur Bullæ Pontificiæ, quâ Sanctus *Pius V.* LXXIX. *Michaelis Baii* Propositiones damnavit, nullam omninò mentionem fecerint *Hieronymus Catena*, & *Joannes Antonius Gabutius*, qui vitam & res à Sancto *Pio V.* Pontifice Maximo præclarè gestas memoriæ prodiderunt; cur verò etiam hæc eadem Bulla Pontificia Bullario Romano inter alia Diplomata ejusdem S.Pontificis *Pii V.* necdùm fuerit inserta? Ostende itaque, si placet, primò, quis & qualis fuerit iste *Michael Bajus*? Secundò, quo anno à S. *Pio V.* proscriptæ fuerint septuaginta novem illæ propositiones *Michaelis Baii*. Denique, cur hæc Bulla sanctissimi illius Pontificis, vulgò dicta *Piana*, à *Catena*, & *Gabutio*, Vitæ *Pii V.* Scriptoribus, fuerit silentio prætermissa, & Bullario Romano nondùm sit inserta?

M. Quamvis negari haùd possit, *Michaelem Bajum* fuisse virum doctissimum, ut potè Academiæ Lovaniensis Doctorem ac Professorem, & unum ex Theologis à *Philippo II.* Hispaniarum Rege, ad Concilium Tridentinum missis, certum tamen est, eum nonnullos de gratia & libero arbitrio, de justificatione & operibus, de concupiscentia & aliis Articulis docuisse errores, qui in Belgio dissidia excitantes occasionem dederunt *Pio V.* Pontifici Maximo Causam ad se Romam evocandi,& septuaginta novem *Michaelis Baii* propositiones configendi Diplomate, quod incipit *Ex omnibus*, quodque Romæ datum est Kalendis mensis Octobris anni MDLXVII. Hoc Diploma, quod, vivente *Pio V.* non fuerat publicatum, sed dumtatàt, majoris lenitatis gratiâ, privatìm Lovaniensi

Academiæ ab Archiepiscopo Mechliniensi denuntiatum, & eâ de causâ à *Catena*, & *Gabutio* in Vita *Pii V.* prætermissum, tandèm *Gregorius XIII.* successor *Pii V.* Romæ solemniter promulgavit quarto Kalendas Februarii anni MDLXXIX. illudque ad Lovaniensem Academiam, & ad *Michaelem Bajum* per *Franciscum Toletum*, Societatis Jesu doctissimum Theologum, tunc Pontificium Concionatorem, posteà S. R. E. Cardinalem, deferendum curavit. *Ut* autem *Sedis Apostolicæ judicio acquiesceret* Michael Bajus, *perpaucis Colloquiis*, teste Cardinali *Palavicino* lib. 15. Concilii Tridentini cap. 7. Num. 17. *obtinuit Toletus*, qui tam eximiam hujus Doctoris modestiam suspiciens, ait: *Michaele Bajo, nihil doctius, nihil humilius*. Retractationem errorum suorum edidit *Michael Bajus* his verbis conceptam: *Ego Michael de Baii Cancellarius Universitatis Lovaniensis agnosco, & profiteor, me ex variis Colloquiis & communicationibus habitis cum Reverendiss. Patre Domino Francisco Toleto Concionatore Suæ Sanctitatis, & ad hanc rem specialiter misso, super diversis sententiis, & propositionibus jam olim à Sanctissimo Domino Nostro Pio V. fel. record. sub data Kal. Octob. anno 1567. & nuper à Gregorio XIII. moderno Pontifice Max. sub data Kal. Febr. ann. 1579. iteratò damnatis, & prohibitis, ita motum & eò perductum esse, ut planè mihi habeam persuasum, earum omnium sententiarum damnationem, atque prohibitionem jure meritoquè, ac non nisi maturo judicio, & diligentissima excussione præmissis factam atque decretam esse. Fateor insuper, plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libellis à me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis Censuram conscriptis, & in*

& in lucem editis, contineri, & defendi, etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique, declaro, me impræsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi à S. Sede factæ acquiescere, neque posthàc illas docere, asserere, ac defendere velle. Datum Lovanii die 24. *Martii anni* 1580. Multi Scriptores, præcipuè *Aubertus Miræus*, *Possevinus* Societatis *Jesu*, & Cardinalis *Palavicinus*, modestiam, aliasque virtutes *Michaelis Baii* post retractationem à se factám plurimùm laudant. Primus, seu *Aubertus Miræus* in suâ *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* ait, *in Michaele Bajo duas res enituisse, quæ in unum eumdemque hominem raro admodùm convenire solent, præstans videlicèt ingenium, & summam animi modestiam, & ità enituisse, ut de illo ornando certasse inter sese videantur: Eum quotidiè sacris tam piè operatum fuisse, ut inter sacrificandum & lacrymas effunderet frequenter, & easdem aliis excuteret; morientem suas facultates pauperibus testamento legavisse, Collegio Lovanii sub patrocinio Beati Augustini, quem religiosè semper coluit, excitato*. Denique, Cardinalis *Palavicinus* lib.15. *Historiæ* Conc. Trid. cap.7. num.17. postquàm retulit promptam obedientiam, quam *Michael Bajus* Sedi Apostolicæ exhibuit, hæc subdit: *Atque hoc pacto Bajus non solùm illæsus perstitit, sed ipsius etiam nomini verba Diplomatis pepercerunt. Quin per illud ejus errores manum tam mitem experti sunt, ut vix viderentur errores: cùm aliquæ ex proscriptis positionibus, nullis certis in hac exceptione adnotatis, dicerentur posse sustineri in aliqua minus propria significatione*. Circa hæc ultima Cardinalis *Palavicini* verba observare debes, Sanctum *Pium V.* eo in Diplomate,

quo septuaginta novem propositiones damnavit, non solùm pepercisse nomini *Michaelis Baji*, sed etiam declarasse, quasdam ex confixis propositionibus, nullis tamen certis in hac exceptione adnotatis, sustineri posse: *Quas quidem sententias*, inquit mansuetissimus ille Pontifex, *quanquàm nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respectivè præsentium auctoritate condemnamus &c.* Hinc quidam primi subsellii Catholici Theologi, præcipuè Cardinalis *Norisius* in *Vindiciis Augustinianis* Cap. 3. Parag. 2. *Gabriel Vasques* Societatis Jesu, primæ secundæ Disput. 190. Cap. 18. & *Contensonus*, Ordinis Prædicatorum, in Tractatu De Gratia, asserunt, aliquas ex his septuaginta novem propositionibus à Sancto *Pio V.* proscriptis, fuisse damnatas, non ob illarum falsitatem, seu ob errorem, quem contineant, sed solùm ob nimiùm acres & asperas oppositarum censuras, idque ab ipsomet *Toleto*, qui à Summo Pontifice *Gregorio XIII.* missus fuerat, ut Pontificium Diploma ab Academia Lovaniensi recipi curaret, se accepisse testatur ibidèm *Vasques*, asserens apud se adhuc esse exemplar, cui ad faciendam hujus rei fidem propriâ manu subscripsit *Franciscus Toletus.* Sed, ut ut sit de hac Theologorum, quos citavi, sententiâ, quam certè hìc discutiendam non suscipio, omnes proscriptas propositiones damno & optarem vehementissimè, ut Scriptores, quorum libri justâ Censurâ à Sede Apostolica fuerunt semel confixi, imitarentur *Michaelis Baji* modestiam, quam ipse

ipsemet *Theophilus Raynaudus* Societatis Jesu, vir licèt rugosæ frontis, & obducti supercilii Censor, impensè laudat in Clausula Operis *de libris configendis* Num. 571. ubi de humilitate post justam librorum confixionem tenendâ sermonem habens, inquit: *Quo in genere Michael Bajus æternum quibusvis Scriptoribus exemplum sapientiæ ac virtutis statuit. Cùm confixis à Francisco Toleto per Pontificem ad id delegato nonnullis ejus libris, oblataque Censura, an aquiesceret rogatus, malle se dixit, porcos pascere, quàm cujuscumque per Ecclesiam delecti judicio de Scriptionibus suis pervicacitèr obluctari.* Pratèr hoc exemplum *Michaelis Baji*, qui Sæc. XVI. suos summâ cum modestia abdicavit errores, aliud ejusdem Sæculi Novatoris, seu *Guillelmi Postelli*, qui ante mortem suorum errorum palinodiam cecinit, & in pace Ecclesiæ decessit, exemplum suppeditat *Henricus Spondanus* in Annalibus Ecclesiæ ad annum MDLXXXI. Num. XVI. Barentoni vico Normanniæ in Galliis natus iste *Guillelmus Postellus*, Philosophiæ & Mathematicarum artium studia primùm professus est, deinde, longinquis peregrinationibus perfectam linguarum exoticarum ac maximè orientalium cognitionem adeptus, Venetias se contulit, ubi cùm non exigua pietatis documenta præberet, ad tyrocinium Societ. *Jesu* admissus est à Sancto *Ignatio*, ejus Fundatore, sicut scribit *Orlandinus* libro quinto Annalium Societatis Jesu Num. 3. Verùm, ex eâdem Societate non multò post ob ingenii petulantiam dimissus, à Quæsitore Fidei perpetuo carcere damnatus est, ex quo elapsus in Gallias rediit, & in maximo honore habitus est à Christianissimo Rege *Francisco I.* qui

qui viros litteratos colebat, à maximis Dynastis, qui eum tanquam Mundi miraculum suspiciebant, & ab omni doctorum hominum natione ita laudatus, ut de ipso dici soleret, tot apophtegmata & oracula, quot verba ex ipsius ore prodire. At eruditus ille vir præ nimiâ Rabbinorum Lectione, & Astrorum contemplatione in absurdos errores prorupit, multaque scripsit deliriis & erroribus passim inspersa, nimirùm *De Trinitate Mundi, Corporis & Animarum*: *De Christo intoxicato*: *De Matrice Mundi*: *De salvandis universis omnis generis hominum Sectis*: *De Clave absconditorum à Sæculo, quæ nec Apostoli, nec ipsa Ecclesia portare potuissent*: *De Mysteriis sibi per Angelum* Raziel *revelatis &c.* Sunt etiam nonnulli Scriptores, qui dicunt, *Guillelmum Postellum* in hunc errorem adeò delirum incidisse, ut ausus sit asserere, Jesum Christum in Mundum denuò venturum,& in hoc secundo Christi adventu Virginem quamdam Venetam, sibi cognitam,fœminarum Redemptricem fore,quemadmodum Jesus Christus Virorum Redemptor fuerat. Librum de hoc argumento à *Guillelmo Postello* editum fuisse, & ab ipso inscriptum: *De Virgine Veneta*,affirmant quidam Scriptores, quos tamen hac in re fuisse deceptos observat *Florimundus Ræmundus* libro 2. *De Origine Hæresum* Cap.15.ubi ait, hunc librum à *Guillelmo Postello* non alio consilio fuisse scriptum, quàm ut Venetæ cujusdam Virginis Benefactricis suæ, à quâ subsidia ad suas longinquas peregrinationes peragendas acceperat, laudes celebraret. Sæpiùs *Guillelmus Postellus*, dùm Parisiis esset, à Theologis Parisiensibus, & Magistratu increpitus, quòd inaudita ex Rabbinorum

norum & Talmudistarum, & ex propriis sui cerebri somniis proferret commenta, nec tamen resipiscere vellet, in Monasterium Sancti *Martini à Campis* secedere jussus est, ubi immensâ Dei misericordiâ errores suos abdicavit, omnia, quæ vel docuerat, vel scripserat, Ecclesiæ judicio & correctioni subdidit, atque, post multa exhibita per aliquot annos veræ pœnitentiæ signa, in fide & pace Ecclesiæ Catholicæ ex hac vita migravit die VII. Septembris anni MDLXXXI. natus annorum circiter centum, & prosperâ semper valetudine usus. Extât adhùc haud parùm utilis liber à *Guillelmo Postello* editus, & inscriptus: *De Orbis Concordia*, in quo Ethnicos, Mahometanos, Judæos, Hæreticosque omnes refellit, & adversùs illos Religionis Christianæ, & Catholicæ veritatem omni argumentorum genere demonstrat ac vindicat. Sed hactenùs satis diximus de Hæreticis & Novatoribus Sæculi decimi sexti in quos verè quadrat id quod *Theodoretus* cap.4.libri I. *Historiæ Ecclesiasticæ* ait de nonnullis, qui *neminem volunt ex antiquis Patribus sibi comparari, neque illos, quibus nos ab ineunte ætate usi sumus, præceptoribus, sibi pares existimari sinunt, immò verò ne unum quidem Collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapientiam pervenisse censent: sed se solos ipsos sapientes, & sibi solis ea doctrinæ patefacta Mysteria, quæ in nullius unquam sub sole cognitionem ac mentem venerint, arbitrantur.*

D. Fueruntne aliquæ Sæculo decimo sexto agitatæ inter Catholicos Theologos Controversiæ, quæ turbas in Ecclesia excitarint?

M. Tres Controversiæ Seculo decimo sexto inter

inter Catholicos Theologos habitæ sunt, quarum prima originem habuit in Belgio; Altera in Hispania; Tertia in Germania. Primæ Controversiæ, quæ enata est in Belgio, locum & occasionem dederunt *Leonardus Lessius*, & *Joannes Hamelius*, Lovanii in Collegio Societatis Jesu Sacræ Theologiæ Professores, qui annis MDLXXXV. & MDLXXXVI. triginta quatuor Propositiones in publicis Lectionibus docuerunt, quas celeberrima Academia Lovaniensis censurâ confixit. Tres ex his propositionibus erant de Scriptura Sacra, & his verbis conceptæ: *Ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse à Spiritu Sancto.* II. *Non est necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ sint immediatè à Spiritu Sancto ipsi Scriptori inspiratæ.* III. *Liber aliquis (qualis fortè est secundus Machabæorum) humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus posteà testetur, ibi nihil esse falsum, dicitur Scriptura Sacra.* Reliquæ aliæ XXXI. Propositiones spectabant Providentiam divinam, Prædestinationem, Reprobationem, Gratiam, Justificationem, quas Doctores Lovanienses postquàm maturo examine in suis Comitiis Generalibus discussissent, & à doctrina Sancti *Augustini* alienas judicassent, eas, unà cum tribus aliis propositionibus *de Scriptura Sacra*, proscripserunt in Censura datâ anno MDLXXXVII. quam anno sequenti acriter defenderunt in libro Apologetico, cui titulus est: *Justificatio, seu Defensio Censuræ facultatis S. Theologiæ Academiæ Lovaniensis*. Eodem anno MDLXXXVIII. die XX. mensis Januarii Duacensis Academia easdem XXXIV. propositiones confixit in sua Censura, quam cæte-

cæterorum Doctorum nomine & auctoritate adornavit *Guillelmus Estius*, suâ Orbi Christiano famâ notissimus. Verùm, cùm indè suborirentur gravissimę contentiones, quæ exitiale damnum Ecclesiæ Catholicæ afferre poterant, *Sixtus V.* Pontifex Maximus per Breve Apostolicum datum die xv. Aprilis anni MDLXXXVIII. hanc Causam ad se evocavit, mandavitque *Octavio Frangipani*, Calatino Episcopo, in Germania simul ac Belgio Nuncio Apostolico, ut omni charitatis officio studiosissimè ageret, ut earum contentionum ac dissensionum finem omninò facerent universi ac singuli, qui de iis articulis tam graviter inter se dissidebant, & utrique parti imponeret silentium, præciperetque omnibus, ut ab hisce opinionum dissidiis & contentionibus penitùs abstinerent, propositâ excommunicationis latæ Sententiæ pœnâ, & aliis Censuris, & invocato etiam, si opus fuisset, brachii sæcularis auxilio, non obstantibus quibuscumque. Hoc pacto composita est illa Controversia, sed in suarum Censurarum defensione semper invictè perstiterunt duæ illustrissimæ Academiæ, quæ illas annis MDCXIII. MDCXLVIII. MDCXLIX. MDCLXXIX. MDCXC. renovarunt, novumque robur eis addiderunt. Quin, & Summi Pontifices, quod maximè observare debes, Doctores Universitatis Lovaniensis, adhortati sunt, ut Doctrinæ Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* de Gratia & Prædestinatione, quam à suis Majoribus acceperant, firmitèr hærerent, & ab ea ne latum quidem unguem descìscerent. Sic enim *Alexander VII.* Pontifex Maximus, in Brevi ad Lovanienses dato die VII. mensis Augusti anni MDCLX. Scripsit: *Non*

Non dubitamus quin vos pro singulari scientiæ pietatisque studio, sanam & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversùs Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis: necnon Præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini & Thomæ Aquinatis inconcussa tutissimamaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis. Quorum profectò Sanctissimorum Virorum, penès Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione non egent. Fuerunt quidem nonnulli, qui ausi sunt asserere, *Alexandrum VII.* Pontificem Maximum, nunquam laudatum illud Breve vidisse; quos falsi convincunt *Christianus Lupus* in Epistola Apologetica *de Attritione & Contritione* Cap. v. Cardinalis *Norisius* in *Vindiciis Augustin.* Cap.6. Cardinalis *Raymundus Capissuchus* in Appendice, ubi hæc habet: *Quod quidem Diploma ab eodem Alexandro,* Pontifice Maximo, *perlectum, observatum, commendatum & probatum fuit, cùm sibi annulo Piscatoris signandum exhiberetur à Francisco Nerlio, Brevium ad Principes tunc Secretario, postmodùm S. R. E. Cardinali, ut idem Cardinalis Nerlius mihi testatus est.* Aliud Breve Apostolicum præcedenti geminum, quod incipit: *Dilecti Filii salutem &c.* ad Doctores Lovanienses direxit *Innocentius XII.* Pontifex Maximus, in quo eos ad doctrinam Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* in materia Divinorum Auxiliorum propugnandam etiam atque etiam adhortatur his verbis: *Apostolicâ vos primùm auctoritate monemus, ut, sublatis contentionibus, sapientiæ, quæ desursùm atque pacifica est,*

est, vacetis; profitentes, sicut asseritis, doctrinam præclarissimorum Doctorum Augustini & Thomæ, quorum ille tantæ scientiæ fuit, ut inter Magistros optimos etiam à nostris Prædecessoribus haberetur, & cujus doctrinam, secundùm eorumdem Prædecessorum Statuta, Romana sequitur & servat Ecclesia: Alter verò mira eruditione eamdem Dei Ecclesiam clarificat, & sanctâ operatione fœcundat. Hos dum Universitas vestra doctrinæ duces secuta fuerit, securè pugnabit contra hostes orthodoxæ fidei, in Ecclesiæ gloriam & ædificationem, excitabitque in dies hanc Apostolicam Sedem ut cumulatiùs ei præstet paternæ charitatis officium. Vobisque interim Apostolicam Benedictionem peramantèr impertimur. Datum Romæ die 6. Februarii anni 1694. Hæc referre operæ pretium duxi, ut intelligeres, has celebres Universitates Lovaniensem & Duacensem in doctrina de Gratia & Prædestinatione non alios sibi adsciscere Duces ac patronos, quàm Sanctos Patres *Augustinum* & *Thomam*, easque etiamnùm cum Schola Thomistica, quæ utriusque Doctoris patrocinio itidèm gloriatur, arctissimo fœdere jungi.

D. In quo potissimùm sita erat illa Controversia, quam Sæculo decimo sexto in Hispania excitatam fuisse mox asserebas?

M. Nondùm erat omninò sedata, hæc, quam modò memoravi, suborta in Belgio Controversia, cùm nova in Hispania excitata est an. MDLXXXVIII. quo *Ludovicus Molina*, Eborensis Academiæ Professor, Societatis Jesu, meditatam ab annis circiter triginta novam liberi arbitrii cum Divina Gratia *Concordiam* vulgare cœpit. Hæc semel publicata *Ludovici Molinæ* Concordia non solùm FF. Prædicato-

catores, acerrimos doctrinæ Sanctorum *Augustini* & *Thomæ* defensores, nacta est adversarios, verùm etiam malè habita est à viris in Ecclesia maximi momenti, quos inter, unum instâr omnium, & omni exceptione majorem, hìc laudabo Eminentissimum Cardinalem *Baronium*, Annalium Ecclesiæ parentem, qui eâ de re Epistolam scripsit ad Illustrissimum virum *Petrum de Villars*, Archiepiscopum Viennensem in Galliis, quam refert noster *Joannes Baptista Gonetus* in sua *Apologia Thomistarum*, quamque *Petrus Matthæus* in *Historia septem annorum pacis*, quam gallico idiomate anno 1604. adornavit, Lib. 7. Narratione 4. ait se vidisse propriâ manu Cardinalis *Baronii* subscriptam. Hic autem est hujus Epistolæ Cardinalis *Baronii* tenor:

Illustrissime Domine, ignoscas si tardiùs quàm par est, ad literas Reverendissimæ Dominationis vestræ rescribo, quas ut puras & orthodoxas in omnibus exosculatus sum, à quibus absit ut vel in minimo apice vel puncto dissentiam. Tantummodò de libris Molinæ remanet controversia. Legi eos, sed non sine stomacho, cùm in his nihil potentius agere præ se ferat, quàm S. Augustino adversari (licèt sanctum nunquam nominet) eumque oscitantiæ redarguere, se que illo in iis disputationibus vigilantiorem acutioremque jactare. Quis potest eum talia loquentem absque nausea tolerare? Licèt ut anguis effugiat, & è manibus facilè elabatur; ut, etsi temerarium quis inveniat, haud facilè possit hæresis convincere & sugillare. Non hujusmodi commentatoribus indiget Ecclesia Dei, quæ puritate, candore, nitore delectari tantummodò consuevit, ipsa non habens maculam neque rugam. Legi, inquam, eum & ad

& ad quinquaginta & ampliùs notavi propositiones, verba, phrases, quas vel saltem affines esse erroribus Pelagianorum sive Semipelagianorum (licèt ipse cautiùs intra Catholicæ fidei limites, vel protestando saltem, se contineat) nemo puto, qui absque affectu illa perlegerit, negabit omninò. Quid Ecclesia indiget hujus Molinæ libris, ut discat quæ à tot Sanctis Patribus Conciliis, atque Decretis, jam ante tot secula didicit atque docuit? Quòd ad ipsum D.N. Clementem Papam attinet, hoc ipsi in proposito est, hoc in voto, hoc denique in decreto, ut nec latum quidem unguem à vestigiis Prædecessorum recedat, sed iisdem insistat quàm firmissimè. Scit planè, tot Sanctos Pontifices Innocentium, Sixtum, Cælestinum, Hormisdam, ac deniquè Felicem, cujus sunt Canones Concilii Arausicani, hoc professos suis scriptis esse, atque testatos, Romanam Ecclesiam, in iis, quæ spectant ad Gratiam, & Liberum Arbitrium, sequi semper consuevisse S. Augustinum. Testatur equidèm id tot verbis Hormisdas suis litteris; adeò ut alio judicio opus non sit, cùm jam præjudicatum sit. Laborat nunc in discutiendo Molinæ Volumine, de quo abjiciendo, vel purgando, vel retinendo, adhùc sub judice lis est. Meà siquidem sententià, eo non indiget Ecclesia Catholica, in quo vel saltem quædam auditui horridula essent corrigenda. Monui Reverendos Patres meos societatis Jesu, ne existimationem eorum in defensione librorum ejus periclitari sinant, & in discrimen adduci. Colo ipsos omnes, Deus scit, ut Patres, ut de illis illud usurpem. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Vale, Pater amantissime atque doctissime, Lucerna pedibus meis, cùm per obscura contigerit ambulare. Romæ Idibus Martii anni Domini 1603. Vestræ Illustrissimæ Dominationis Fra-

ter & servus. *Cæsar Cardinalis Baronius*. Ex eâ Epistolâ facilè intelligere potes, hanc novam *Ludovici Molinæ Concordiam* probatam non fuisse Eminentissimo & de universali Ecclesiâ optimè merito Cardinali *Baronio*, ac subindè mirari minimè debes, quòd, occasione istius novæ *Concordiæ* liberi Arbitrii cum Divina Gratiâ à *Ludovico Molinâ* editæ, multæ in Hispania fuerint excitatæ turbæ, & gravissimæ habitę doctissimos Patres Societatis Jesu Theologos inter & FF. Prædicatores Concertationes, quæ tamen cùm nimiùm fervêrent in Hispania, vetuit summus Pontifex *Clemens VIII*. transmisso die x. Januarii anni MDXCVI. ad supremam Castellæ Inquisitionem Brevi Apostolico, ne Sententiam diceret, aut quidquam eâ in re definiret, jussitque ut Academiarum, Episcoporum, ac Theologorum Censuræ, necnon Patrum Societatis Jesu, ac FF. Prædicatorum Lucubrationes Romam quantòcius mitterentur, ubi per sese Causam finire meditabatur. Addidit etiam Summus Pontifex novas in eos interminationes, qui de Divina gratia, affinibusque quæstionibus, in Scholis, Pulpitis, editisque libris agerent, donec alitèr foret ab Apostolica sede definitum. Audivit quidem sæpiùs Sanctissimus ille Pontifex in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis*, quas eam in rem Romæ instituit, doctissimos tum Societatis Jesu, tùm Ordinis FF. Prædicatorum Theologos, hinc indè magno animorum æstu disputantes, & in Lectione Operum S. *Augustini* assiduus, eruditorum consilium de controversis quæstionibus exploravit, atque nonnullorum Consultorum lucubrationes hoc de argumento adornatas sedulò perlegit, ut his di-

disputationibus propediè̀m finem imponere posset. Sed alia sunt hominum, alia Dei Consilia. Hanc quippè Controversiam Divina Providentia, cujus sunt inscrutabilia judicia, obitu *Clementis VIII.* qui inter hæc accidit, suspensam manere voluit, & Theologorum disceptationibus salvâ & inculpatâ fide permissam. *Paulus V.* successor *Clementis VIII.* resumpsit quidèm examen ejusdem Controversiæ, novasque Congregationes *De Auxiliis* Romæ instituit, sed tandèm occultis rationibus permotus, litem omnem in suspenso posuit, & ad se vocatis Præpositis Ordinum FF. Prædicatorum, & Societatis Jesu, nec non disputantibus ac Consultoribus *significavit, posse illos reverti ad propria, dixitque, se opportuno tempore promulgaturum declarationem ac determinationem suam. Atque interim quàm seriò injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione; nullus partem alteram notà aliquà, vel Censurà notare audeat. Jussit insuper tàm Prædicatoribus, quàm Jesuitis, ut si quis hoc in capite deliquerit, severè puniatur. Ita quippè suum istud Decretum servari vult. Suo ergò officio non deerit Paternitas vestra, ut ejus observantiæ invigilet. Singulariter verò datà occasione, significabit quid quid in hoc executioni demandaverit, ut de iis suæ sanctitati ratio reddi valeat.*

D. Expone, quæso, uberiùs, quænam sint præcipua illa Capita, in quibus *Ludovicus Molina* in suâ *Concordia Liberi Arbitrii cum Divina Gratia* à Schola Augustino-Thomisticâ dissidebat, & quid in Congregationibus de Auxiliis sub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* habitis super hac controversiâ statutum sit?

M. Hìc multa quidèm pararam in laudem Familiæ Dominicanæ, quæ in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis* coràm *Clemente VIII.* & *Paulo V.* Supremis Catholicæ Ecclesiæ Hierarchis, doctrinam de Divina Gratia, à Sanctis *Augustino*, & *Thoma* ad se transmissam, per suos alumnos *Didacum Alvaresium*, & *Thomam Lemosium*, Deus bone quos Viros! maximâ gloriâ propugnavit, quę tamen silentio prætermittere necessarium omninò duxi, ut obtemperarem Decretis Romanorum Pontificum *Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X.* & *Innocentii XII.* qui hanc de Divina gratia Controversiam, rerumque in Congregationibus *De Auxiliis* gestarum, aut ventilatarum Historiam nę quis in publicam lucem emittat, prudentissimè prohibuerunt. Cùm enim ex eâ Controversiâ multa sint orta scandala, gravissimæ dissensiones, amaræ disputationes, & periculosæ timerentur perturbationes, consultius in rem Ecclesiæ visum est Romanis Pontificibus, ut Theologi paci silentio hinc indè litarent, & hanc de Divina Gratia Controversiam intra Scholarum umbras liberę quidem agitare possent, sed nullis editis libris, aut scriptionibus, ob disputantium æstus, propalare auderent. Ea igitur, quæ altè animo meo insidet, ergà Sedem Apostolicam reverentia, & exoculata obedientia conceptum sermonem continere præcipit, quia melior est obedientia, quàm Victima, & Scholæ Thomisticæ, cui me totum addictum profiteor, proprius character est, amare non rixas, sed pacem, publicas vitare dissensiones, & ab amaris disputantium Controversiis penitùs abhorrere. Cæterùm, licèt Schola Thomi-

mistica, ob reverentiam Decretis Romanorum Pontificum debitam, uno silentii, patientiæ, & modestiæ clypeo nunc se se tutetur, non tamen Gratiæ Divinæ, quàm à Sanctis *Augustino* & *Thoma* accepit, tutelam ac defensionem abjecit, quæ tot ei defensores aluit, & etiamnùm instruit, eorum manus docens ad prælium. Nunquàm profectò hoc cœleste sibi commissum Depositum, in cujus defensionem omnis Dominicanus miles est, deseret Schola Thomistica, defendendæ Sanctorum *Augustini*, & *Thomæ* doctrinæ solemni juramento obstricta, sed paci ac modestiæ consulens, jussum ac judicium Romani Pontificis patientèr præstolabitur, eadem usurpans verba, quibus Sanctissimus ejus Doctor Angelicus *Thomas Aquinas* usus est in Epistola *Catenæ Aureæ* præfixâ, & ad *Urbanum IV.* Pontificem Maximum directâ: *Suscipiat vestra Sanctitas præsens Opus vestro discutiendum, corrigendumque judicio, vestræ sollicitudinis, obedientiæ meæ fructum, ut dum à vobis emanavit præceptum, & vobis reservetur finale judicium; ad locum enim undè exeunt flumina, revertuntur*. Huic itaque silentii legi, quam Schola Thomistica suis Discipulis in hac de Gratia Divina Controversia sapientissimè imposuit, morem ipse in præsentia geram, qui ejus doctrinæ lac, à Doctoribus Divinæ Gratiæ *Augustino* & *Thoma* propinatum, ferè ab uberibus suxi, & nunc gusto suaviter, medullitùs retineo, ardentèr prosequor, & intrepidè tutari semper gloriabor. Quod si verò, me hanc silentii legem ad summos juris apices observare volente, vehementèr tamen desideres perspectam habere Historiam Congregatio-

S 3 num

num De Auxiliis, digitum ad fontem intendam, ubi sitim tuam ad satietatem usque explere poteris. Extant quippè omnia Acta Congregationum De Auxiliis *Thomæ Lemosii* typis edita Lovanii sub hoc Titulo: *Omnia Acta Congregationum ac Disputationum, quæ coràm Clemente VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus sunt celebratæ in Causa, & Controversia illa magna De Auxiliis Divinæ Gratiæ, quas Disputationes ego F.Thomas de Lemos sustinui. Lovanii apud Ægidium Denique anno* MDCCII. Prodiit etiam Antuerpiæ anno MDCCIX. altera editio, sed auctior & locupletior, *Historiæ Congregationum De Auxiliis Divinæ Gratiæ sub Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.*, quam secundis curis adornavit Clarissimus noster *Jacobus Hyacinthus Serry*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & in Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologus Primarius. Plura de hac Controversia non dicam, sed instar *Harpocratis*, digito labiis impresso, penitùs silebo.

D. Indica, si placet, causam, & Authores istius Controversiæ, quam Sæculo decimo sexto in Germania enatam fuisse paulò antè observasti?

M. Huic Controversiæ sub initium Sæculi decimi sexti in Germania excitatæ initium dedit *Joannes Reuchlinus*, vulgò dictus *Capnio*, cujus jam mentionem fecimus in Colloquio V.in Historiam Sæculi XV. Plurium linguarum callentissimus fuit *Joannes Reuchlinus*, variis disciplinis expolitus, ornamentis pulcherrimis cumulatus, variis ad *Alexandrum VI.* Summum Pontificem, ad

Im-

Imperatorem *Maximilianum*, & ad Principes Germaniæ Legationibus summâ cum laude perfunctus, libris editis clarus, & toti Orbi notissimus: uno verbo, *Reuchlinus Vir Magnus, nisi linguę hebraicæ mysteria Cabalicis nugamentis maculasset*, ut ait *Genebrardus* in Appendice in *Innocentio VIII.* Pontifice Maximo, à *Spondano* relatus ad annum MCCCCXCVII. Num. XII. At enim, Hebraicæ Cabbalæ Mysteriis initiatus *Reuchlinus*, adeò se Judæorum nugis & insomniis devovit, ut librum anno MDXI. in lucem emiserit, contra *Jacobum Hocstratum*, seu ut alii vocant, *Hogostratum*, Ordinis Prędicatorum, & hæreticæ pravitatis per Coloniensem, Moguntinam, & Trevirensem Provincias Fidei Inquisitorem, qui eum redarguerat, quòd in perniciem Ecclesiæ Catholicæ judaismo plus æquô faveret. Eo itaque libro, quem vulgaverat *Reuchlinus*, & in quo Judæorum libros non esse cremandos pertendebat, haud parùm offensus *Jacobus Hogostratus*, eum multorum errorum apud Theologos Academiæ Coloniensis accusavit. Datus est liber *Reuchlini* examinandus Doctori *Arnoldo De Tungaris*, qui posteà ad Doctores retulit, quæ in libro notaverat Censurâ perstringenda. De his, quæ aliquid sinistri protendebant, certior factus *Reuchlinus*, litteras protinùs scripsit ad Doctorem *Arnoldum De Tungaris*, & *Conradum Kollin*, Ordinis Præd. Professorem Coloniensem, ut eos sibi divinciret. Has *Reuchlini* litteras inseruit *Egassius Bulæus* Tomo VI. *Historiæ Universitatis Parisiensis*. Nihil tamen his litteris promovere potuit *Joannes Reuchlinus*, sed anno sequenti, seu MDXII. Academia Coloniensis eum

per literas castigavit, quòd temerariè quædam in suo *Oculari Speculo* effudisset, admonuitque ut retractaret quasdam propositiones, quarum catalogum numero XLIII. misit, ut videre est in his Universitatis Coloniensis literis, quas in citato Tomo refert *Egassius Bulæus*. Ad has Universitatis Coloniensis litteras respondit quidem *Reuchlinus*, sed cùm errorum suorum palinodiam cantare nollet, tandem Academia Coloniensis in eum Sententiam tulit, ejusque librum inscriptum: *speculum oculare*, damnavit & exuri jussit anno MDXIV. Hanc Academiæ Coloniensis Sententiam approbarunt Facultates Parisiensis, Lovaniensis, Erphordiensis, & Moguntina, quarum tamen Censuras ut inanes redderet *Reuchlinus*, edidit *Epistolas obscurorum Virorum*, multo quidem facetiarum lepore condîtas, quibus ad excitandum risum, Theologorum Scholasticorum & Monachorum, barbarè latinâ linguâ scribentium, stylum expressit. Sed hunc satyricum Epistolarum librum confixit *Leo X.* Pontifex Maximus, jussitque omnibus fidelibus, ut à dicti libelli, ejusque exemplarium lectione perpetuò abstinerent, illaque igne comburerent. Eo Interdicto Pontificio nihil planè deterritus *Reuchlinus*, secundum ejusdem farinæ Epistolarum Volumen sub titulo *Clarorum virorum*, tanquàm ex titulo minimè prohibitum, sed priori multò aculeatius, ac magis salitum & piperatum publicavit, eùmque Imperatoris *Maximiliani*, ac multorum Germaniæ Procerum patrocinio frueretur, obtinuit à Romano Pontifice *Leone X.* Judices, qui Romæ Causam ejus cognoscerent, à quibus tamen post longas disceptationes, nec à Sententia damnatio-

tionis in se latâ absolvi, nec innocens unquàm declarari potuit. Non me fugit, *Desiderium Erasmum* passim in suis libris & Epistolis acritèr invehi in Monachos, ac præsertim Dominicanos, à quibus ait injustè vexatum fuisse *Joannem Reuchlinum*, ut videre est præcipuè in Epistola, quam anno MDXV. scripsit ad Cardinalem *Dominicum Grimaldi*, quæque in recenti ejus Operum Editione Lugduni Batavorum anno MDCCIII. adornatâ extat ordine centesima sexagesima septima, in qua hæc habet: *Id quod nuper in summo illo Viro Joanne Reuchlino, non sine summo animi dolore conspeximus. Jam parerat, jam tempus erat, ut homo venerandę senectutis, suis pulcherrimis studiis frueretur, ex honestissima juvenilium semente laborum, suavissimam carperet messem. Conveniebat, ut vir tot linguis, tot disciplinis instructus, hoc velut ætatis autumno divitem ingenii proventum in universum orbem effunderet. Ad hoc erat laudibus exstimulandus, præmiis invitandus, studio inflammandus. Et exortos audio, nescio quos, qui cùm ipsi nihil pręclarum efficere possint, perversissimà vià gratiam affectant. Deum immortalem, quàm frivolis ex nugis quantas Tragędias excitarunt!.... Quorsùm igitur attinebat virum, & litteris & ætate venerabilem, ob rem nihili in bujusmodi pertrahi turbas, in quibus jam septimum, opinor, perdit annum, & molestissimis involvitur litibus, non mediocri Doctorum omnium, immò totius Germaniæ dolore & stomacho.* Sic in gratiam *Joannis Reuchlini* perorat *Desiderius Erasmus*, cui tamen hac in re nulla fides habenda est. Primò, quia cum *Joanne Reuchlino* arctissimâ necessitudine devinctus erat, ut patet ex variis Epistolis, quas ultrò citròque scripserunt, & ex

& ex eâ Apotheosi, quâ demortuum *Reuchlinum* in Cælum extulit *Erasinus* in suis *Colloquiis Familiaribus*. Secundò, magis standum est Sententiæ, quam in *Joannem Reuchlinum* tulerunt Academiæ Parisiensis, Erphordiensis & Moguntina, quàm judicio *Desiderii Erasmi*, qui non erat Theologus, sed dumtaxàt Grammaticus, ut ipsemet sæpiùs candidè fatetur, præcipuè in Epistola ad *Albertum Pium*, Principem Carpensem, quæ est ordine trecentesima trigesima tertia, in qua hæc scribit: *Complures consentientibus vocibus narrant, Romæ quemdam esse Principem Carpensem, doctum, magnæque apud purpuratos Patres auctoritatis, qui passim ac palam deprædicet, Erasmum nec esse Philosophum, nec Theologum, nec ullius solidæ doctrinæ. Atque hactenus nihil commoveor, si quis ea de me prædicet, quæ ipse tum dictis, tum scriptis ingenuè profiteor, nullis magis indignans, quàm his, qui me falsis & invidiosis laudibus onerant. Si me venditarem pro magno Theologo, aut Philosopho, meritò mihi detrahet aliquis leonis exuvium.* Quis autem *Erasmi* aliorumque Grammaticorum, quibus abundabat Sæculum XVI. declamationes præferre velit doctrinali judicio tot Academiarum, & doctissimorum Theologorum, à quibus damnatus est *Joannes Reuchlinus*? Tertiò, *Erasmus* in omnibus ferè suis Epistolis, & libris, quos attento animo perlegi, impensiùs, quàm par esset, laudat Grammaticos, & ad nauseā usque debacchatur in Theologos Scholasticos & Monachos, maximè Dominicanos, eò quòd, cùm essent Fidei Quæsitores, atro carbone notarent & *Joannis Reuchlini*, & aliorum id ætatis Grammaticorum libros, in quibus Theologiæ planè ru-
des

des multa proferebant, quæ novitatem sapiebant, & à Decretis Theologorum longè latèque discrepabant. Eam ob rem, Erasmi animum in Dominicanos exulceratum fuisse, facilè colligitur tum ex ejus Epistola CCCCLII. quam scripsit ad *Jacobum Hochstratum* Dominicanum, & in Germania Fidei Inquisitorem, qui *Joannis Reuchlini* libros confixerat; tum etiam ex Epistola CCCCLXXVII. quam direxit ad *Albertum* Cardinalem, Archiepiscopum & Principem Moguntinum, ubi Dominicanos, Fidei Inquisitores, multis calumniis insectatur, eosque his verbis canino dente mordet: *Jam pridem malè habet istos efflorescere bonas litteras, efflorescere linguas, reviviscere veteres auctores, quos antehàc exedebant tineæ, pulvere opertos, mundum ad fontes ipsos revocari. Timent suis Lacunis, nolunt videri quidquam nescire, metuunt, ne quid ipsorum majestati decedat... Porrò rem non sincero animo geri, vel ex eo licet coniicere; cùm ipsi fateantur nullum esse, neque veterum, neque recentium auctorem, in quo non reperiantur errores, etiam hæreticum facturi, si quis pertinacitèr defendat: cur cæteris omissis, in unum tantùm aut alterum inquirunt tam odiosè? Non inficiantur in multis errasse Alvarum, in multis Cardinalem S. Sixti, in multis Sylvestrum Prieratem, de his nulla mentio, quia Dominicani sunt. In unum Capnionem*, seu Joannem Reuchlinum, *clamatur, quia linguas callet..... Multa scripsit Lutherus imprudentèr magis quàm impiè, quorum hoc istos*, seu Dominicanos, *habet pessimè, quòd Thomæ non multùm tribuit, quòd minuit quæstum veniarum, quòd Ordinibus Mendicantium parùm tribuit, quòd Scholasticis dogmatibus non tantum defert, quantum Evangeli*

gelicis, quòd negligit humanas disputatorum argutias. Hæ nimirùm sunt hæreses intolerabiles. Sed his dissimulatis, prætexunt invidiosa apud Pontificem, homines, tantùm ad nocendum, & concordes, & callidi .... Quidquid non placet; quidquid non intelligunt, hæresis est. Græcè scire, hæresis est, expolitè loqui, hæresis est, quidquid ipsi non faciunt, hæresis est. Mitto putidas alias calumnias, quibus ibidèm Dominicanos incessit *Erasmus*, eo solo nomine, quòd *Martini Lutheri, Joannis Reuchlini*, & infestos quorumdam aliorum Grammaticorum libros improbarint, damnarint, confutarint. Verùm, Dominicanos non ex odio & livore, sed ex solo tuendæ ac vindicandæ veritatis studio id egisse sat superque comprobavit eventus. Dum enim *Joannes Reuchlinus, Desiderius Erasmus*, aliique illius temporis Grammatici, qui magis verba curabant, quàm Religionis Mysteria, & quibus magis placebat verborum elegantia, quàm Theologia, passim in suis libris contra Theologos & Monachos blaterarent, eosque, tanquàm Musarum, & bonarum litterarum osores, traducerent, exortus est *Martinus Lutherus*, qui sese his Grammaticis socium adjunxit, oleum camino addidit, classicum contra Theologos & Monachos cecinit, multòque graviorem in Ecclesia excitavit tragædiam, ut ipsemet fatetur *Desiderius Erasmus* in laudata jam Epistola ad *Albertum Pium*, Principem Carpensem, his verbis: *Principiò erat bellum cum Linguis ac Latinis litteris, his ego hactenùs favi, ut admissę ornarent juvarentque recepta studia, non ut veteres professores de ponte, quod ajunt, dejicerent & servirent gloriæ Christi, non ut veterem Paganismum nobis revocarent. Hic cùm ancipiti marte de-*

te decertaretur, res per Monachos detracta est ad negotium fidei. Non dubito, quin audita tibi sit Reuchlinica tragædia. Hìc cœpit in illos incrudescere Doctorum odium: mox fervente adhuc bello inter mystas & osores Musarum, exortus est Lutherus. Ita gradibus quibusdam res alterius partis semper in pejus vergentis pervicacia, tum alterius quorumdam odiis, & intempestivis clamoribus hùcusque progressa est tragædia. Habes nunc exordium & infaustum exitum hujus Controversiæ *Reuchlinicæ*, quam paulò fusiùs hìc descripsi, tum ut intelligeres, linguarum peritiam, etsi per se utilem, absque tamen studio Theologiæ posse aliquandò perniciosam evadere; tum etiam ut vindicarem Dominicanos, non solùm contra *Desiderium Erasmum*, sed etiam contra duos recentiores Scriptores, *Joannem Henricum Majum*, & *Theophilum Raynaudum*, quorum primus in vita *Joannis Reuchlini* Phorcensis, typis editâ Durlaci anno MDCLXXXVII. Alter verò in suis Diatribis *De Immunitatibus Cyriacorum*, magno sed inani labore persuadere moliuntur, *Joannem Reuchlinum*, fuisse insontem, & Dominicanos illum solo livore insectatos esse, quod sanè, ut ostendi, oppidò falsum est, nec à viris Catholicis in dubium revocari potest, postquàm Concilium Generale Tridentinum libros Cabbalistarum, maximè *Joannis Reuchlini*, confixit.

COL-

COLLOQUIUM QUARTUM,

De Conciliis tàm Oecumenicis, quàm Nationalibus, quæ vel ad profligandas Hæreses, vel ad resarciendam Ecclesiæ Disciplinam fuerunt Sæculo decimo sexto celebrata.

DISCIPULUS. JAM scio, Concilium Oecumenicum Tridentinum ad extirpandas *Lutheri*, *Calvini*, aliorumque hujus furfuris Heterodoxorum Hæreses, fuisse Sæculo decimo sexto convocatum. At, cùm non dubitem, quin privati Conventus, & aliquæ Synodi indictæ fuerint antè Concilium Generale Tridentinum, tum in causa Lutheranæ, vel Calvinianæ Hæreseos, tùm etiam in causa Reformationis Disciplinæ Ecclesiasticæ; optarem, ut in isto Colloquio juxta Ordinem Chronologicum primo loco percenseres Conventus, Acta, Colloquia, & Concilia Nationalia, quæ in Causa Lutheranæ Hæreseos Sæculo decimo sexto ante Concilium Tridentinum habita sunt. Dein, subnecteres Colloquia & Concilia Provincialia, quæ Sæculo itidem decimo sexto in Causa Calvinianæ Hæreseos fuerunt celebrata. Tertio loco eas Synodos Nationales & Provinciales constitueres, quæ ante Concilium Tridentinum in Causa Fidei & Reformationis Ecclesiasticæ Disciplinæ coactæ sunt. Postremò,

ſtremò, de his omnibus, quæ in ſacra Œcumenica Synodo Tridentinâ ſtatuta ac definita ſunt, differeres, necnon de aliis Conciliis Nationalibus, quæ Epiſcopi poſt Generalem Synodum Tridentinam, ad ejus executionem & obſervantiam promovendam, variis in locis congregaverunt.

M. Hìc juxta Ordinem Chronòlogicum referam ea quæ geſſit Romanus Pontifex *Leo X.* per ſuum Legatum *Thomam de Vio Cajetanum* Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, in Germaniam miſſum, antequàm ſuam contra errores *Lutheri* Bullam publicaret, quibus adjiciam Diſputationes, quas Catholici Doctores habuerunt cum *Luthero*, Cenſuras Academiarum adversùs errores illius Hæreſiarchæ, ac tandem ſingula, quæ contra eumdem *Lutherum* in variis Conventibus ſeu Comitiis Germaniæ à *Carolo V.* Imperatore & aliis Principibus ante celebrationem Concilii Tridentini acta ſunt, prout referuntur à *Joanne Cochlæo* in *Actis Lutheri*, ex quibus facili negotio intelliges, quàm multiplici & tortuoſo ingenio præditus fuerit hæreſiarcha *Lutherus*, qui licèt ſæpiùs damnatus ac victus, nunquàm tamen reſipiſcere voluit, ſed ſuos impunè per Germaniam errores latè diffudit. In primis, *Lutherus* anno MDXVII. contra doctrinam Eccleſiæ Romanæ de Indulgentiis vexillum erigere cœpit, & nonaginta quinque Propoſitiones adversùs Indulgentias edidit, quas Foribus Templi omnium Sanctorum Witemburgi affixit die XXXI. menſis Octobris ejuſdem anni. His *Lutheri* nonaginta quinque contra Indulgentias Propoſitionibus *Tetzelius*, Ordinis Prædicatorum

torum Theologus doctissimus, centum & sex Propositiones opposuit. De his certior factus Summus Pontifex *Leo X.* jussit *Luthero* ut Romam veniret, eique judices dedit *Sylvestrum Prieratem* Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magistrum, & *Hieronymum de Genutiis* Episcopum Asculanum. At *Luthero*, sibi malè conscio, Romam venire detrectante, consensit tandèm Summus Pontifex (exoratus à *Friderico* Duce Saxoniæ, qui impensiùs *Luthero* favebat) ut causam *Lutheri* examinaret *Thomas de Vio Cajetanus* Cardinalis, Sedis Apostolicæ in Germania Legatus, eique Apostolico Diplomate præcepit, ut si *Lutherus* spontè se sisteret, erroresque suos damnaret, in Ecclesiæ Communionem eum reciperet, sin minùs, accito Principum auxilio, eum, abjectâ omni cunctatione, carceri manciparet. *Lutherus*, homo vafer & subdolus, fide à *Maximiliano* Imperatore acceptâ, *Augustæ* coram Cardinali *Cajetano*, Summi Pontificis Legato, comparuit, à quo humanissimè exceptus est, eique certam spem conversionis fecit. Posterâ die ad ipsum rediit, & stipatus publico scribâ, quatuor Senatoribus, & *Joanne Staupitio*, Vicario Generali sui Ordinis in Germania, porrexit Legato Pontificis Confessionem Fidei, seque submisit Decretis Universitatum, præsertim Parisiensis, quam appellavit *Studiorum Parentem, & ab antiquo semper Christianissimam, ac in Theologia florentissimam Universitatem*. Confessionem Fidei *Lutheri* his verbis conceptã fuisse asserit *Joannes Cochlæus* in Actis & Scriptis Lutheri: *Ego Fr. Martinus Luther Augustinianus, protestor me colere & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis,*

factis, præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo. Verùm, ficta ac simulata fuit hæc *Lutheri* Confessio, non secùs ac ipsius protestatio, quâ per Epistolam ad eumdem Legatum Apostolicum scriptam significavit, velle se auctoritati Ecclesiæ subjicere, his verbis: *Nunc Reverendissime in Christo Pater, fateor, sicut & aliàs fassus sum, me fuisse certè nimis indiscretum, acrem & irreverentem in nomen Summi Pontificis. Et licèt acerrimè fuerim in hanc irreverentiam provocatus, tamen meum fuisse nunc intelligo, modestiùs, humiliùs & reverentiùs hanc materiam tractare, & non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer. De quo sincerissimè doleo, & veniam peto; & per omnia pulpita in vulgus promulgabo, sicut & sæpiùs jam feci; daboque deinceps operam, ut alius sim & aliter loquar, Deo miserente. Immò promptissimus sum, atque facillimè promitto, me posthàc materiam de Indulgentiis non tractare, atque his finitis quiescere, modò illis quoque modus imponatur aut sermonis, aut silentii, qui me in hanc tragædiam suscitaverunt.* Sic, ut fucum Cardinali Legato faceret, morasque necteret, pœnitentiam mentiebatur Hæresiarcha ille, Causæ suæ malè conscius, qui tamen paulò post, impetrato à Cæsarianis Salvoconductu, unà cum *Joanne Staupitio*, Ordinis sui Vicario Generali, clàm aufugit, & à Cardinali Legato ad Papam, & posteà à Papa ad futurum Concilium Generale appellavit. Interim anno MDXIX. habita est Lipsiæ insignis illa & toto Orbe Christiano celeberrima Concertatio Joannem *Eckium* inter & *Andream Carlostadium*, & *Martinum Lutherum*. Erat *Eckius* Theologiæ Pro-

fessor Ingolstadii & Friburgi, magnumque Disputatoris nomen Tubingæ, Viennæ, atque etiam Bononiæ adeptus fuerat; quam laudem *Lutherus*, & *Carlostadius* ei præripere conabantur. Occasio hujus Lipsiacæ Disputationis hæc fuit: Nonaginta quinque adversùs Indulgentias Propositiones, ut jam diximus, propugnandas susceperat *Lutherus*, harum nonnullis Animadversiones, seu Notas reprehensorias apposuit *Eckius*, fidei Catholicæ Caussam agens. Id iniquo animo tulit *Carlostadius*, Archidiaconus Witembergensis, & hanc injuriam, ut putabat, ulturus, atque amico suo *Luthero*, qui Witembergæ Prælector ordinarius erat, patrocinaturus, *Eckium* ad disputationem provocavit. Certamen subire non detrectavit *Eckius* de victoria jam securus. Campum itaque disputationis mutuo consensu *Lipsiam* Urbem elegerunt, mercatu & Universitate insignem, annuente *Georgio* Duce Saxoniæ, & frustrà repugnantibus Episcopo Merseburgensi loci ordinario, & Theologis Lipsiensibus, qui Disputationem ejusmodi prohiberi maluissent, & omitti, quàm haberi. Magnis igitur animis concurrunt strenuissimi Concertatores, priùs tamen solemnitèr professi, se ne vel latum quidem unguem ab Ecclesia Catholica discessuros, nec Eruditorum judicio præituros, nec Universitatum auctoritati præjudicaturos. At, inter disputandum *Carlostadius*, cujus antea in oculis tanta erat gravitas, tanta frontis contractio, ut illo supercilio alter quasi *Rhadamantus* videretur, expertus est, curtam nimis esse doctrinæ suæ suppellectilem, seque imparem esse viribus adversarii sui *Joannis Eckii*, qui erat vir ingenio, & alacritate vivi-

vividus, summâ eruditione præditus, memoriæ tenacitate ac singulari dono felix. Quocircà, *Carlostadius*, post aliquot dies receptui canens, cessit, eique successit *Lutherus*, qui in ea Concertatione sæpiùs à *Joanne Eckio* ad incitas redactus, volens nolens, cöactus est multa de Indulgentiis, de Pœnitentia & Absolutione Sacerdotis fateri, quæ anteà infrunito ore negaverat. Fatigato tandèm *Luthero*, iterùm *Corlostadius*, ne omninò obmutuisse videretur, in arenam descendit disputaturus cum *Joanne Eckio* invicto adversario, & tandèm die xv. mensis Julii ejusdem an. MDXIX. omne certamen finitum est, Causaque permissâ judicibus, qui victoriam *Joanni Eckio*, fortissimo Fidei Catholicæ Athletæ adjudicarunt. A *Lutheri* verò & *Carlostadii* partibus steterunt dumtaxàt Poëtæ, Grammatici, Rhetores, aliique, qui Theologos Scholasticos & Monachos, tanquàm politiorum litterarum osores, acritèr insectabantur. Eâ *Joannis Eckii* victoriâ excitatæ anno sequenti, seu MDXX. Academiæ Lovaniensis & Coloniensis, plurimos Hæresiarchæ *Martini Lutheri* libros flammis dignos pronuntiarunt. Quod quidem animum *Lutheri* adeò exulceravit, ut protinùs edito famoso libello in eas petulanti stylo exarserit, totumque suæ acerbitatis virus effuderit, in hæc verba prorumpens: *Cùm semel malus semper præsumatur malus juxta juris Regulam, nusquàm, nunquam, in nulla re credendum erit Magistris nostris quibuslibet; quorum judicium constat jam à multis annis fuisse non modò inconstans ac præceps, sed & erroneum, hæreticum, temerarium & cæcum, cui nemo fidere debeat tutò, nisi quem Deus iratus operationibus erroris man-*

det illudi. Sic effrontem illum Hæresiarcham clarissimis Academiis insultare, & in eas gravissimis contumeliis ac conviciis invehi non puduit. Substitit aliquandiù omnium Princeps Academia Parisiensis, nec statim super Propositionibus *Martini Lutheri* quidquam statuit. Hinc *Desiderius Erasmus* in Epistola ad *Laurentium Campegium* Cardinalem sic scribebat: *Expectatur Sententia Parisiensis Academiæ, quæ semper in re Theologica Principem tenuit locum*. Ad Academiam Parisiensem *Fridericus*, Saxonum Dux, *Lutheri* fautor, scripsit, eamque consuluit, quid de *Lutheri* doctrina sentiendum putaret. Nihil tamen hoc anno MDXX. contra *Lutherum* publicavit Academia Parisiensis, quòd illius libros accurato examine ponderare, suamque Censuram maturare vellet. At *Leo X.* Pontifex Maximus Diploma eodem anno MDXX. Romæ promulgavit, quo XLI. *Lutheri* Propositiones damnavit, ipsumque diris devovit. Tunc irâ excandescens *Lutherus*, & Pontificiæ authoritati bellum aperto marte indicens, Jus Pontificium palàm Witembergæ combussit, Summum Pontificem sacrilego ore vocavit temerarium, væsanum, tyrannum, & ab eo ad Concilium provocavit. Laïcos Principes Epistolis hortatus est ad excutiendum Papale, ut ajebat, jugum, ediditque execrabilem librum, cui *Captivitatis Babylonicæ* titulum fecit, in quo furiis invectus Summum Pontificem, & Catholicam, Romanam Ecclesiam, instar rabidi canis, mordet, dilacerat, multisque injuriis & calumniis insectatur. Hinc magnum per Germaniam excitatum est incendium, ad quod restinguendum habita sunt eodem an. MDXX. Wormatiæ Impe-

Imperii Comitia, & ad ea *Lutherus*, datâ Cæsaris fide, accitus est, ubi coràm Imperatore *Carolo V.* de multis interrogatus à *Joanne Eckio*, tandèm perfrictâ fronte respondit, se neque Conciliorum Decretis posse suæ Causæ decisionem submittere, quia sæpè falluntur, sed soli Scripturæ Sacræ stare velle. Ad hanc *Lutheri* responsionem horrore perculsus est Imperator, & actutùm ad hunc Hæresiarcham in ordinem redigendum promulgavit Edictum, quo *Lutherum* tanquàm Hæreticum proscripsit, ejus libros flammis absumi jussit, & gravissimas pœnas denuntiavit his, qui eum aut hospitio excipere, defendere, sustentare, fovere dicto aut scripto præsumerent. Suum etiam anno sequenti, seu MDXXI. contra Assertiones ex variis *Lutheri* libris excerptas Doctrinale judicium dedit celeberrima Parisiensis Academia, quo *Lutheri* doctrinam erroribus contra fidem & mores scatentem damnavit, ipsumque *Lutherum* ad suos ejurandos errores modis omnibus compellendum esse censuit.

D. Sic igitùr *Lutherus* à Summo Pontifice, ab Academiis Parisiensi, Lovaniensi & Coloniensi damnatus, ab Imperatore *Carolo V.* in Conventu Wormatiensi proscriptus, in ordinem tandem redactus est, eique omninò adempta facultas suos latiùs spargendi errores?

M. De *Luthero* certè actum prorsùs ac conclamatum fuisset, nisi ejus fautor *Fridericus*, Saxonum Dux, illum in Arce Alstadiana abscondisset, ubi scelestus ille Hæresiarcha multos infestos scripsit libros, quibus summâ pervicaciâ pestiferam suam doctrinam defendit ac disseminavit.

In Judicium Doctrinale sacræ Facultatis Parisiensis, cui se adhæsurum promiserat *Lutherus*, confestim insurrexit, & per *Philippum Malanchtonem*, sibi addictissimum, Apologiam concinnavit, cui hunc præfixit titulum: *Adversùs furiosum Parisiensium Theologorum Decretum*, & in ea Theologos Parisienses vocat Sophistas & calumniatores, aitque, Lutetiæ natam esse prophanam illam Scholasticen, quâ admisſâ nihil reliquum sit, Evangelium obscuratum, Fides extincta; recepta operũdoctrina: *Academia Parisiensis*, inquit impius ille Hæresiarcha, *in parte suprema, quæ Facultas Theologiæ nuncupatur, est à vertice usque ad plantam, lepra veræ, novissimæ, Antichristianæque & Capitalis hæreseos, Mater omnium errorum in Christianitate, maxima meretrix spiritualis, quam Sol unquàm vidit, & vera postica Inferni. Prophetatum est, temporibus Antichristi omnes hæreses in unam Camerinam confluxuras, mundumque perdituras. Id ego ostendere intendo de Parisiis, Papæ veri Antichristi maximo fornicationis cubiculo, atque probare eos esse pejores Montanis, Ebionitis, & omnibus, quos commemoraverunt, hæreticis.* His conviciis Hæresiarcha *Lutherus*, ejusque sectarii celeberrimam Academiam Parisiensem proscindebant, à quibus tamen vituperari magna ejus gloria fuit.

D. Nunquid *Carolus V.* Imperator Diploma Summi Pontificis *Leonis X.* suumque Imperiale Edictum, quo in Comitiis Wormatiensibus *Lutherum* proscripserat, executioni mandari jussit, illosque omnes suâ authoritate compressit tumultus, quos in Germania *Lutherus* excitabat?

M. Cùm

M. Cùm nonnullos Germaniæ Principes *Lutherus* suis jam partibus addixisset, *Carolus V.* Imperator in executione cùm Pontificii Diplomatis *Leonis X.* tùm Imperialis sui Edicti contra *Lutherum* gravissimas difficultates nactus est, quas ullo pacto superare haud potuit. Mortuo siquidem *Leone X.* Pontifice Maximo, ad Conventum Imperialem Norimbergæ, qui absente Imperatore anno MDXXIII. habitus est, *Hadrianus VI.* successor *Leonis X.* Nuntium destinavit *Franciscum Cheregatum*, Episcopum Aprutinum, eique duo potissimùm negotia injunxit, nimirùm Hungariæ à Turcarum incursibus defensionem, & Germaniæ à Lutheranâ Lue liberationem. Huic Legato Pontificis responderunt Germaniæ Principes in hoc Conventu Norimbergensi congregati, necessarium esse ut intra annum à Summo Pontifice de consensu Cæsaris in aliqua Urbe Germaniæ convocaretur Concilium, & interim se daturos operam, ut Saxoniæ Dux, in cujus ditionem *Lutherus*, aliique ejus Asseclæ sese receperant, eis prohiberet, ne quidquam de excitatis Controversiis scriberent, aut publicâ luce donarent. Verùm, multos ex his Germaniæ Principibus, qui huic Conventui Norimbergensi interfuerunt, Lutheranæ hæreseos labe fuisse afflatos, proclive est conjicere ex lectione libelli, qui, post discessum Nuncii, ad *Hadrianum VI.* Pontificem Maximum missus est, quique est editus apud *Goldastū* Tom.I. *Constitutionum Imperialium* sub hoc titulo: *Centum Gravamina Sedis Apostolicæ, non ferenda Germanis*. Unus præsertim inter illos hujus Conventus Norimbergensis Principes, videlicet *Fridericus* Saxonum

Dux, omnes Nuncii Apoſtolici conatus eluſit, quem proindè, ut *Luthero* favere defineret, monuit *Hadrianus VI.* graviſſimis litteris, quæ extant apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MDXXIII. & Tomo II. Bullarii Romani. Alter Germaniæ Principum Conventus Norimbergæ anno MDXXIV. habitus eſt, ad quem *Clemens VII.* qui in locum *Hadriani VI.* Pontificis Maximi ſuffectus eſt, Legatum Apoſtolicum miſit *Laurentium Campegium* Cardinalem, qui veris Catholicæ Religionis incrementis intentus, cùm animadverteret, Principes Germaniæ, in varias partes diſtractos, nolle in hocce Conventu opportuna ad deprimendam Lutheranam audaciam adhibere remedia, Principes cùm Eccleſiaſticos, tùm Laïcos ſecum conſentientes Ratiſponæ collegit, à quibus in rem Eccleſiæ Catholicæ juſſum eſt, ut Wormatienſe Imperatoris *Caroli V.* Edictum executioni mandaretur, in Miſſæ celebratione nihil mutaretur, Monachi Apoſtatæ punirentur, & ut Legati Apoſtolici Conſtitutio de Cleri Germanici Reformatione triginta quinque capitibus comprehenſa ſedulò obſervaretur. Pro conſervandâ etiam apud Helvetios Catholica Religione habitus eſt anno MDXXV. in Oppido *Baden* percelebris Conventus, in quo Catholicos inter & Lutheranos inſtituta fuit Diſputatio. Quod quidem ut clariùs intelligas, obſervare debes, *Uldricum Zuinglium*, cujus in ſuperiori Colloquio mentionem fecimus, Pagum Tigurinum, qui unus eſt ex tredecim Pagis, ſeu, ut ajunt, Helvetiæ Cantonibus, peſtiferâ Hæreſi corrupiſſe, Sacras Imagines evertiſſe, Miſſam & Euchariſtiæ adorationem abrogaſſe, novumque Sacramentariæ

Cœnæ

Cœnæ, annuente Senatu Populoque Tigurino, ritum instituisse. Ea sacrilega novitas ubi aliis duodecim Pagis, seu Cantonibus, innotuisset, statim, ne in tota Helvetia periclitaretur Catholica Religio, Conventum indixerunt in Oppido *Baden* Helvetiorum, ut de præcipuis Religionis Controversiis Catholicos inter & Lutheranos haberetur Disputatio. Qui pro Lutheranorũ doctrina disputare debebant, erant *Vldricus Zuinglius*, & *Joannes Oecolampadius*. Catholicorum verò partes defensuri erant *Joannes Faber*, Constantiensis Episcopi Vicarius Generalis, & *Joannes Eckius*, qui, ut anteà diximus, Lipsiæ cum Hæresiarcha Luthero publicè disputavit; & *Thomas Murrenus*, vel *Murnerus*. Hæc Disputatio, communi duodecim Helvetiæ Pagorum, seu Cantonum, calculo instituta, & quatuor Episcoporum consensu fuit approbata. At *Vldricus Zuinglius*, rejectâ omni fide publicâ, & Salvoconductu, qui ei offerebatur, nunquàm accedere voluit, ei tamen ex parte Lutheranorum adfuerunt *Oecolampadius*, *Imel*, *Berchtoldus*, *Hallerus*, & *Vlricus Studerius*, cum quibus strenuè disputavit ex parte Catholicorum *Joannes Eckius*, ac Victor semper evasit. Quò factum est, ut publico Helvetiorum Decreto & Edicto sequentes istæ Catholicæ fidei propositiones in hoc Conventu *Baden* fuerint confirmatæ. I. *Verum Christi Corpus ejusque Sanguis præsentia sunt in Sacramento Altaris*. II. *Quæ & verè offeruntur in Officio Missæ pro Vivis & Defunctis*. III. *Virgo Maria, aliique Sancti Cælicolæ invocandi sunt ut intercessores*. IV. *Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum Imagines delendæ non sunt*. V. *Post hanc Vitam Purgatorius est*

est ignis. VI. *Pueri etiam Christianorum in peccato Originali nascuntur*. VII. *Baptismus Christi, non Joannis, tollit Originale peccatum*. His ergò facta est conformis publici Decreti Sententia, quâ, ut ait *Joannes Cochlæus*, doctrina *Lutheri*, velut perversa, multisque judiciis solemnitèr condemnata per *Leonem Decimum* Pontificem Maximum, per præclaras Universitates Parisiensem, Lovaniensem, Coloniensem &c. Helvetiæ plebi duodecim Pagorum, seu Cantonum interdicta est, & antiqua Catholicæ fidei observatio approbata, vetitumque, ne quid immutaretur temerè in Missa, in Sacramentorum administratione, in Sacris Cœremoniarum Ritibus, Jejuniorum, Orationum, Confessionum, Feriarum, Oblationum, Invocationum, Exequiarumque pro Defunctis. His semel statutis, duodecim illi Helvetiæ Catholici Pagi, seu Cantones, Oratores miserunt ad Tigurinos, ut dolorem suum de abjectâ ab eis fide Catholica, Hæresique susceptâ illis significarent. Sed tam justæ Catholicorum expostulationis nullam prorsùs rationem habuerunt Tigurini, & ad omnia eorum Monita aures obturarunt, & Hæreseos tenebris excæcati oculos clauserunt. Quin, quod magis deplorandum est, duo alii Helvetiæ Pagi, seu Cantones, Bernartes videlicèt & Constautienses, anno MDXXVIII. à Catholica Religione ad *Zuinglii* Sectam defecerunt, quos posteà secuti sunt Basileenses, Schafhusiani, Santgallenses, Mulhusani, & Bielenses, adeò ut ex tredecim Helvetiæ Pagis, seu Cantonibus, quinque dumtaxàt Pagi, seu Cantones, in Fide Catholica constantèr perseveraverint, qui tamen numero licèt & armis inferiores, divi-

divinâ eis opitulante protectione, septem alios Pagos, seu Cantones Helvetiæ, quos Hæretici occupabant, consertis præliis sæpiùs vicerunt ac debellarunt. Horum quinque Helvetiæ Cantonum in Fide constantiæ, in præliis fortitudinis, in exponendo se suaque omnia pro avita Religione Catholicâ asserendâ magnanimitatis memoriam, laudem & gloriam nullo ævo intermorituram, legesis apud *Odoricum Raynaldum*, & *Henricum Spondanum* ad annum MDXXXI. Testatur etiam Cardinalis *Palavicinus* lib. 3. Historiæ Concilii Tridentini cap. 8. num. 2. horum quinque Helvetiæ Cantonum, qui Fidei Catholicæ indivulsè adhæserunt, bellicæ virtuti tribuendum esse, quod nunc septem sint Helvetiæ Pagi, seu Cantones, qui Catholicam Religionem publicè profitentur, & in uno ex sex aliis Pagis seu Cantonibus, qui dominio hæreticorum subjiciuntur, longè plures numero sint Catholici, quàm hæretici. Hìc autem obitèr observare debes, *Zuinglium*, cujus Secta in sex Helvetiæ Cantonibus etiamnùm dominatur, gravissimam cum *Luthero* dissensionem habuisse occasione doctrinæ de reali Præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, quam *Lutherus* admittebat, *Zuinglius* verò negabat. Tentavit quidem *Philippus* Hassiæ Lantgravius concordiam Lutheranos inter & Zuinglianos procurare, & eam ob rem Conventum Marpurgensem anno MDXXIX. convocavit, ad quem convenêre *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Bucerus*, & *Hedio* ex una parte, ex altera verò *Lutherus*, *Melanchton*, *Justus Jonas*, *Osiander*, *Brentius*, & *Agricola*, qui tamen de Cœna Domini nunquàm consentire potuerunt, ut constat ex illius

Mar-

Marpurgensis Conventus Actis, quæ prolixè refert & exponit *Hospinianus* Part. II. *Historiæ Sacramentariæ* pag. 119. & sequentibus.

D. Quem tandem exitum habuerunt illi Conventus, quos *Carolus V.* Imperator, ac Germaniæ Principes in Causa Lutherana ante celebrationem Concilii Tridentini convocarunt?

M. Infaustum sanè exitum habuerunt illi Conventus, in quibus tandem Lutherani suæ Sectæ in Germania publicè profitendæ libertatem obtinuerunt. In Conventu siquidem Germaniæ Principum, jussu *Caroli V.* Imperatoris anno MDXXIX. Spiræ cöacto, cui adfuit nomine Pontificio *Joannes Thomas* Comes Mirandulanus, noluerunt Principes Lutherani, scilicèt *Joannes* Saxoniæ Semptemvir, *Georgius* Brandeburgensis Elector, *Ernestus* & *Franciscus* Luneburgi Duces, *Philippus* Hassiæ Lantgravius, & *Wolfangus*, Princeps Anhaltinus, parêre Decreto, quo à Catholicis Principibus hujusce Conventus Spirensis sancitum erat, ut Hæreticòrum Sacramentariorum & Anabaptistarum Sectę undique pellerentur, ut Missæ celebratio ubique libera esset, in iis etiam regionibus, ubi Lutherana labes grassabatur, & ut Evangelium exponeretur ex Patrum, quos Ecclesia approbaverat, interpretatione. Huic, inquam, Catholicorum Principum Decreto palàm contestati sunt citati Principes Lutherani, sibi integrum non esse obtemperare, dictitantes; illud esse Evangelicæ veritati contrarium, indèque, ut asserunt viri eruditi, Lutheranis inditum est *Protestantium* nomen. Eô laïcorum suæ Sectæ Principum auxilio fulti Lutherani, audaciores facti, suam Fidei professionem à *Philippo*

Me-

Melanchtone adornatam obtulerunt *Carolo V.* Imperatori in Comitiis Auguſtanis habitis anno MDXXX. Huic Fidei profeſſioni, quæ *Confeſſio Auguſtana* fuit nuncupata, ſubſcripſerunt mox memorati Principes Germaniæ Lutherani, ac paulò poſt, ſeu anno MDXXXI. ad ſuæ Sectæ libertatem armis tuendam Smalkadæ fœdus injerunt, quod *Smalkadicum* à loco fuit appellatum. Eô Lutheranorum Germaniæ Principum fœdere, & formidoloſo armorum *Solimani* Turcarum Imperatoris adversùs Germaniam apparatu territus *Carolus V.* Imperator, Comitia indixit anno MDXXXII. Ratiſponæ, in quibus, ne irritaret crabrones, conceſſit Lutheranis inducias, conſtituitque, ut nemini uſque ad Concilium Generale in Cauſa Religionis faceſſeretur negotium. Quin, idem Imperator, ut jam in primo Colloquio obſervavimus, exceſſit in Cauſa Lutheranâ ſuæ auctoritatis limites. Nam poſtquàm Concilium Generale Tridentinum, indictum à *Paulo III.* Pontifice Maximo, jam eſſet inchoatum anno MDXLV. ſed biennio poſt, ob contagioſum morbum, qui Tridenti graſſabatur, Bononiam (reclamantibus Hiſpaniæ Epiſcopis, & Cæſareis Oratoribus) eſſet translatum, adeòque occaſione illius diſſidii maneret ſuſpenſum, *Carolus V.* durante adhùc eâ Concilii Tridentini ſuſpenſione, inconſulto Romano Pontifice, promulgavit in Comitiis Auguſtanis anno MDXLVIII. Libellum, *Interim* nuncupatum, ſolâ imperiali authoritate procuſum, in quo formulam doctrinæ & cæremoniarum in Germania tenendarum interim præſcribebat, donec de univerſis Religionis Controverſiis in Concilio Oecumenico decretum eſſet.

esset. At hic intempestivè à *Carolo V.* Imperatore editus Libellus, *Interim* appellatus, statim ab Ecclesia Catholica fuit reprobatus, novasque inter Lutheranos Germaniæ turbas, ac Sectas excitavit, sicut jam observavimus in præcedentibus Colloquiis. En, proh dolor! infelicem exitum, quem habuerunt tot Conventus, seu Comitia Imperii, quæ in Germania ante Concilium Tridentinum celebrata sunt, de quibus verè dici potest: *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

D. Percense nunc Acta, Colloquia, Statuta & Concilia Nationalia, quæ Sæculo XVI. in Causa Calviniana in Galliarum Regno fuerunt convocata.

M. Laudabo in primis celeberrimæ Academiæ Parisiensis in tuenda Catholica Religione indefessum studium, insignemque illam, quam non modò Galliarum Regno, sed toti Ecclesię in Calvinianæ Hæreseos extirpatione præstitit operam, sine qua profectò grave impendisset periculum, ne idem malum Galliarum Regno accideret, quod Sæculo XVI. contigisse dolemus Regnis Germanico, Bohemico, & Anglicano, ubi Universitates Witembergensis, Pragensis, & Oxoniensis cùm fuerint in confutandis Hæreticis remissiores, Hæresis tandèm invaluit, & avitam fidem exulare cöegit. Vix in Galliis emerserat Calviniana Hæresis, cùm Facultas Parisiensis viginti quinque Articulos ei è diametro oppositos, quasi Formulam Catholicæ doctrinæ, die x. mensis Martii anni MDXLII. publicavit, omnesque sui Ordinis Doctores & Baccalaureos ad subscribendum iis obstrinxit, jussitque rex Christianissimus *Franciscus I.* ut omnes Paro-

Parochi Sacra illa Catholicæ doctrinæ Axiomata Fidelibus exponerent. Editi sunt isti viginti quinque Sacræ Facultatis Parisiensis Articuli apud *Fontanonem* Tomo IV. Collectionis Regiarum Constitutionum, eosque ad præmuniendos Fideles contra Calvinianam Hæresim Concilium Narbonense celebratum anno MDLI. promulgari præcepit his verbis: *In lucem edita sunt à Dominis Doctoribus Facultatis Sorbonæ Parisiensis Christianæ Legis Axiomata die X. Martii anni salutis nostræ* MDXLII. *facta: quibus quæcumque hactenùs dicta sunt, consentanea intelligi, speciatim exprimi, & promulgari volumus. Quæ quidem tanquam vera, Orthodoxa, & Christianæ Religioni consona recipimus, eaque prædicari, & palam exponi in Sacrificio Missæ faciendo, & Concionibus habendis exactè jubemus. Quod qui factum noluerit, veluti refractarium, ex Christianorum communitate exterminandum judicamus.* Quantùm suæ Sectæ in Galliis propagandæ officerent viginti quinque illi Articuli à Sacra Facultate Parisiensi super Capitibus Fidei nostræ controversis editi, probè intellexit Hæresiarcha *Calvinus*, qui subindè gravitèr stomachatus, *Antidotum*, contra prædictos illos Articulos scripsit petulantissimum, insipidis salibus, scurrilibus jocis, & injuriis à capite ad calcem scatens, in quo Parisienses Theologos, acerrimos illos ac fortissimos Fidei Catholicæ defensores, & errorum, quos disseminabat, insectatores, *Gregem porcorum* appellat virulentissimus ille Hæresiarcha. Cùm igitur Sacra Parisiensis Facultas impiæ *Calvini* doctrinæ sese tanquàm murum æneum opponeret, non potuit nefanda illius Hæresiarchæ Secta sub Regibus Christianissimis

mis *Francisco I. Henrico II.* & *Francisco II.* altas in Galliis agere radices. At, mortuo Rege *Francisco II.* die v. mensis Decembris anni MDLX. & in ejus locum suffecto ejus fratre *Carolo IX.* qui annos dumtaxàt decem natus, administrationi Regni impar erat, Princeps *Condæus*, Hæreticorum Calvinistarum in Galliis Dux, è carcere, in quem sub Rege *Francisco II.* conjectus fuerat, liberatus est, ejusque frater *Henricus* Rex Navarrus, Calvinianæ Hæreseos labe infectus, cum *Catharina Medicæa*, Regis *Caroli IX.* matre, suis, quàm Ecclesiæ commodis magis addictâ, & in Calvinistas propendente, totum Galliarum Imperium divisit. Hinc Catholica Fides in Galliis vacillare ac periclitari cœpit, admissis ad concionandum Calvinianis Ministris, & irrepentibus in Aulam Viris Nobilibus, qui Calvinianæ Sectæ favebant. Ingruente itaque periculo, ne juvenis adhùc rex *Carolus IX.* eorum rationibus persuasus, fineret aliquid in damnum Fidei decerni, Rector Universitatis Parisiensis, vehementèr dolens, Ecclesiasticam pacem in Galliis perturbari, avitam Religionem labefactari, ac violari Catholicam Fidem, his malis obviam eundum ratus, habito consilio, Regem adiit, Libellum supplicem ei porrecturus. Sed Aulicorum sibilis explosus, vixque ad Regis Colloquium admissus, tandèm ad selectorum quorumdam Cœtum, qui negotia Regni tractabant, remissus est. Interea, *Catharina Medicæa* Regina mater, futuri eventus spe pendula fluitans, ut sibi, suoque filio *Carolo IX.* Imperium firmaret, utrique parti æquam se præstabat, tempus magis opportunum expectans. Ferventibus tamen hinc indè Disputationibus, concessit

cessit Regina Colloquium Catholicos inter & Novatores apud *San-Germanum*, Regiam Villam propè Parisios, quod tamen parùm utile fuit, cùm in eo Novatorum pertinacia vinci haud potuerit. Eo San-Germano Colloquio aliud, nihilô Ecclesiæ utilius, Hæretici à *Catharina* Reginâ matre, quæ eis ob politicas rationes & privata commoda nimiùm favebat, obtinuerunt Colloquium anno MDLXI. habendum *Poissiaci*, quod est Oppidum ad Sequanam flumen, Lutetiâ distans septem circiter milliaribus Gallicis, ubi insigne ac Regium est Monasteriū Virginum Ordinis *S. Dominici*. Tentavit quidem Sacra Facultas Parisiensis impedire, ne hoc Colloquium Ministris Hæreticis errores suos defensuris concederetur, utque ad synodum Tridentinam Oecumenicam remitterentur. Verùm, in ea tam justa postulatione repulsam passa est celeberrima Facultas, & preces Ministrorum Calvinistarum à Regina matre *Catharina* admissæ sunt. Quapropter, die nonâ mensis. Septembris ejusdem anni MDLXI. in prędicto Monasterio Virginum Ordinis *S. Dominici* huic Colloquio Poissiacensi initium datum est, eique interfuerunt cum Adolescente Rege *Carolo IX.* & Reginâ *Catharina* ejus matre, Rege Navarræ, aliisque Principibus regii sanguinis, sex S.R.E. Cardinales, *Borbonius*, *Turnonius*, *Castillioneus*, *Lotharingius*, *Armeniacus*, & *Guisius*, ac quadraginta circiter Episcopi, cum delectis Theologis Parisiẽsibus *Claudio Espenceo*, *Claudio Sanctesio* Canonico Regulari, & aliis. Ex parte verò hæreticorum adfuerunt tredecim ejusdem abominationis homines Zuingliani & Calviniani Sacramentarii, quos inter eminebant *Theodorus Beza*, præcipuus *Calvini* discipulus, *Au-*

gustinus Marloratus, *Joannes Malo*, *Petrus Martyr*, & *Joannes Spina*, omnes ferè Regularium Ordinum Apostatæ. Sed omnium impudentissimum sese prodidit *Theodorus Beza*, quippè qui Comministrorum nomine perorans, & de Eucharistia verba faciens, in hanc execrandam prorupit blasphemiam: *Tantùm à Sacramento Eucharistiæ distare Corpus Christi, quantùm supremum cœlum à terra*. Ad quam *Bezæ* blasphemiam Prçsulum Corona, omnesque Catholici inhorruerunt, & non secùs ac Patres Concilii Nicæni ad Hæresiarchæ *Arii* contra consubstantialitatem Verbi Divini blasphemias, aures suas obturarunt. Cùm dicendi finem Beza fecisset, Cardinalis *Turnonius* ad Regem conversus, eum vehementèr adhortatus est, ut, spretis *Bezæ* Declamationibus, in avita Religione, quam Galliæ Reges à *Clodovæo* professi fuerant, & in qua erat ipse institutus, constantèr permaneret, addiditque, Catholicos Antistites hanc *Bezæ* Pseudo-Ministri Orationem tam luculenter confutaturos, ut sole clariùs Calvinianæ Religionis omnibus patesceret falsitas, & Catholicæ Fidei confirmaretur veritas. Id reapsè ita contigit. Die siquidem XVI. Septembris Cardinalis Lotharingius, totius Ecclesiastici Ordinis nomine Orationem habuit de Ecclesiæ Auctorirate, & de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in qua multa tam copiosè, tam eruditè, tam præclarè dixit, ut illos omnes, qui Sectæ Calvinianæ studio non erant obcœcati, in admirationem rapuerit, suumque adversarium *Bezam*, tùm Causæ, quam defendebat, meritis, tùm ingenii vi, eruditionis ubertate, argumentorum pon-

pondere, & eloquentiæ efficaciâ, longo intervallo ſuperavit. Noluit attamen obſtinatiſſimus *Theodorus Beza* confeſſas veritati præbere manus, & Victori porrigere herbam, ſed, conſentiente Regina matre *Catharina*, diebus XXIV. & XXVI. ejuſdem menſis Septembris, de natura, auctoritate & Notis Eccleſiæ & de aliis Capitibus diſputationem inſtituit, in qua *Claudius Eſpenceus*, & *Claudius Sanctesius*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Theologi, quidquid ille hæreticus contra Catholica Dogmata temerè effutierat, eruditiſſimè confutarunt. Tunc *Jacobus Laines*, Societatis Jeſu Præpoſitus Generalis, vir non minus doctrinâ, quàm pietate conſpicuus,& Cardinalis Ferrarienſis Legati Apoſtolici, qui præſens aderat, Theologus, hanc Hæreticorum audaciam ac pervicaciam diutiùs ferre non valens, italico Idiomate peroravit, & incredibili libertate Reginæ oſtendit, perniciosa eſſe iſta Hæreticorum cum Catholicis Colloquia, ad Concilium Tridentinum Oecumenicum hoſce Miniſtros hæreticos eſſe remittendos, ad quos erudiendos & ad veritatis Confeſſionem, Eccleſiæque unitatem revocandos, ſi Collationibus,Colloquiis & DiſputationibusCatholicorum opus eſſet,his tamen actionibus necReginam,necPrincipes Laicos, ſed ſolos Præſules & Doctores intereſſe debere. Hunc in modum finito eo Colloquio Poiſſiaco,Miniſtri hæretici, jubente Regina, ſuam condiderunt Formulam Fidei circà Euchariſtiæ Sacramentum, quæ è veſtigio Theologorum Pariſienſium judicio permiſſa, ab illis poſt accuratum examen repudiata eſt, tanquàm *inſufficiens*, *captioſa*, *hæretica*, *erroreſque plurimos contra Sanctiſſimi Sacramenti*

Altaris institutionem continens. Hanc Parisiensium Theologorum Censuram omnes ad unum Præsules Ecclesiæ Gallicanæ approbarunt, & die IX. mensis Octobris ejusdem anni MDLXI. ad Reginam scripserunt, se unanimi consensu decrevisse, *Theodorum Bezam*, ejusque Socios in suis erroribus & damnatis opinionibus pertinaciter perseverantes, non esse ampliùs audiendos, nisi antehàc subscriberent huic Catholicæ Fidei de Sacramento Altaris Formulæ his verbis conceptæ: *Credimus & confitemur in Sacramento Altaris verum Corpus & Sanguinem Jesu Christi existere realiter & transubstantialiter sub speciebus panis & vini, vi & potentià Divini Verbi prolati à Sacerdote, solo Ministro ad hunc effectum ordinato, secundùm institutionem & mandatum Domini nostri Jesu Christi*. Huic Catholicæ Fidei Formulę subscribere detrectarunt Ministri Calviniani, qui, ut mox dixi, omnes fermè perditissimi erant RegulariumOrdinum Apostatę, quos tamen malitià & nefandis turpitudinibus longè superabat *Theodorus Beza*, vir nequissimus, qui ob præposteram libidinem, seu Sodomiam, de quaapud Senatum Parisiensem accusatus, sibique timens, è Gallia, unà cum sua concubina aufugit Genevam, omnium scelerum sentinam, & sceleratorum perfugium, ubi Hæresiarcham *Joannem Calvinum* habuit Magistrum, dignum sanè patellâ operculum, & pessimi corvi malum ovum. Si plura de *Theodori Bezæ* vitæ turpitudine, lascivis versibus, erroribus, seditiosis consiliis, stragibus in Catholicos editis, bellicis agitationibus, aliisque ad eum spectantibus, scire desideres, legesis Scriptores probatissimæ fidei *Claudium Sanctesium* in Respon-

ſponſione ad Apologiam *Bezæ*,*Balduinum* in alia Reſponſione ad ejus calumnias,*Bolſecum* in ejus vita, *Florimundum Ræmundum* in Ortu Hæreſum, & alios, quos *Reſcius* recenſet in *Evangelicorum Sectarum Centuriis*.

D. Sic igitur abſque ullo fructu ſolutum eſt iſtud Poiſſiacenſe Colloquium?

M. Catholicam veritatem de Calviniana Hæreſi in Colloquio Poiſſiacenſi triumphaſſe facilè colligitur, ex dolis, maliſque artibus, quas ad diſſimulandam fidem ſuam adhibuerunt Miniſtri Calviniani. Obſervat quippè *Lucas Oſiander* (hæreticus licèt lutheranus) in ſua *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Epitome*, Calviniſtas, cùm antè aliquot annos pax publica data eſſet Lutheranis, qui in Germania Confeſſionem Auguſtanam profitebantur, dictitâſſe, eam pacem ad ſe etiam pertinere, quòd & ipſi Confeſſionem Auguſtanam itidèm amplecterentur; at cùm in Colloquio Poiſſiacenſi Miniſtri Calviniani à Cardinali Lotharingio,aliiſque Prælatis & Doctoribus urgerentur, ut Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcriberent, illos aſſentiri noluiſſe, eò quòd in ea Confeſſione Auguſtana admitteretur Dogma de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia, quod ipſi inficiabantur. Sic omnibus palàm innotuit, Sectæ Calvinianæ Pſeudo-Miniſtros calidum & frigidum ſimul ex eodem ore perflare, & circa Euchariſtiæ Sacramentum aliam in Germania,aliam in Gallia profiteri fidem.

D. Nunquid Miniſtri Calviniani ſuſceptæ in hoc Colloquio Poiſſiacenſi ignominiæ pudore ſuffuſi, hæreſim tandem abjurarunt, ſuoſque ſe-

ctarios ad Catholicæ Religionis veritatem revocarunt?

M. Solent Hæresiarchæ, ut sæpiùs te monui, nova suæ doctrinæ figmenta perditè amarè, pugnaciùsque defendere, se suaque mirari, & impensè jactare: quæcumque senserint aut cogitarint, tenacissimè credere, credique ab omnibus tanquam ex oraculo dicta velle; secùs quique sentiant, iis nihil esse vilius, imperitius, prophanius affirmare. Quò fit, ut, cùm omnes acre ingenium habeant, quod adusta quædam bilis inflammat, acuit superbia & amor excellentiæ, labor, vehemensque studium obfirmat, nunquam velint, licèt convicti, ab errore resilire & ad meliorem frugem sese recipere. Tales fuerunt Ministri Calviniani, qui, licèt in Colloquio Poissiacensi victi fuissent ac confusi, tantùm tamen abest, ut palinodiam decantare voluerint, ut potiùs sibi intùs canentes, victoriam sibi vindicaverint, ut constat ex thrasonicis illis Epistolis, quas *Theodorus Beza* ad Hæresiarcham *Joannem Calvinum* scripsit. Sed hanc inanem jactantiam *Theodori Bezæ*, hominis, præter ingentem audaciam, insigniter impudentis ac temerarii, repressit in suis de Colloquio Poissiacensi Commentariis *Claudius Spenceus*, Theologus Parisiensis, qui præsens aderat, & Catholicorum Victoriæ testis oculatus fuit. Huic Catholicorum victoriæ aliam hìc adjungere placet, quam doctissimus *Jacobus Davy Perronius* Ebroicensis Episcopus, & paulò post Cardinalis, de *Philippo Mornæo Plessio*, Nobili Normanno, Salmuri Præfecto, præcipui inter Calvinistas nominis, & Ecclesiæ Romanæ infensissimo

fiſſimo hoſte, retulit in altero Colloquio ſeu Collatione, quæ coram Chriſtianiſſimo Rege *Henrico IV.* & ſelectis ex utraque parte judicibus habita eſt ad Fontembellaqueum propè Pariſios. Huic Collationi, ſeu Diſputationi locum dedit liber, quem Gallico idiomate edidit *Mornæus Pleſſius* De Miſſæ abuſibus, eleganti quidem ſtylo, & polituli ſermonis comptus elegantiis, ſed innumeris Patrũ teſtimoniis aut falſis, aut interpolatis, aut in ſiniſtrum ſenſum detortis ſcatens, in quibus citandis *Mornæus Pleſſius* deceptus fuerat à ſuis Miniſtris, qui ejus calamo abutentes ſuggeſſerant ei loca Patrum falſata, corrupta, truncata, & contrario penitùs ſenſu relata, quæ ipſe, abſque ulla alia diſcuſſione, ſuo operi intexuerat. Hunc librum malè conſarcinatum cùm *Jacobus Perronius* perlegiſſet, ut erat in Sanctorum Petrum lectione, & in tractandis Controverſiis ſolertiſſimus, ac verſatiſſimus, quingenta ampliùs loca ex Patribus antiquis & Scholaſticis Doctoribus eo in libro adulterata ac falsò citata eſſe ſe demonſtraturum recepit. Id iniquo animo tulit *Mornæus Pleſſius*, & à Rege *Henrico IV.* poſtulavit, ut Collationem indiceret, Judices probitatis ac doctrinæ perſpectæ nominaret, qui citata ab ipſo Patrum teſtimonia accurato criterio examinarent. Annuit Rex, Collationem apud Fontembellaqueum indixit, integerrimos & doctiſſimos Judices hinc inde ſelegit, ſuâque præſentiâ hanc Collationem cohoneſtare ac dignari voluit. Productis itaque in medium Sanctorum Patrum Operibus, *Jacobus Perronius* Plurima eorum teſtimonia perperàm à *Mornæo Pleſſio* citata, de induſtriâ

 ſtriâ

ſtriâ vitiata, & corrupta oculis Judicum ſubjecit. Quò factum eſt, ut *Mornæus Pleſſius*, quaſi repentino fulmine ictus, & vehementiſſimo lapſuum ſuorum dedecore confuſus, in graviſſimum morbum cùm vomitu & membrorum tremore inciderit, & ad curandam valetudinem ſuam Salmurum ſeſe receperit. Sed, ne *Mornæus Pleſſius*, ſecutus exemplum *Theodori Bezæ*, ſibi triumphum accineret, & ea, quæ in hac celebri Collatione facta fuerant, inficias ire, aut eludere poſſet, *Jacobus Perronius*, immortale Eccleſiæ Gallicanæ decus, ad ora hæreticorum obſtruenda, luce publicâ donavit Acta celebris hujus Collationis regiâ auctoritate & approbatione munita, in quibus Calviniſtæ perpetuam ignominiæ ſuæ memoriam, Catholici verò tam inſignis victoriæ monumentum habebunt ære perennius. Cœterùm, quòd maximè dolendum eſt, Calviniana Hæreſis, etſi à Catholicis Doctoribus ſæpiùs in Colloquiis, Diſputationibus ac Collationibus victa ac profligata fuiſſet, inſtar tamen Hydræ ſuis rediviva cladibus latè per Gallias propagabatur. Conſcendebant fidentèr Calviniani Miniſtri in Templorum pulpita, Buccinatores exitioſæ doctrinæ, ludimagiſtros captabant, quorum operâ teneræ puerorum mentes occuparentur; propria Gymnaſia, tanquam emporia doctrinæ ſuæ, ſibi vindicabant, Doctores Catholicos vexabant calumniis, appetebant contumeliis, modis omnibus infamare ſtudebant, præſertim viros profeſſione vitæ ac nomine Religioſos, quos omni apud populum auctoritate ſpoliabant. Uno verbo, nullus erat locus tam clauſus, tàmque diligenti cuſto-

ftodiâ munitus, in quem aditum, qualicumque modo, non reperiret Calviniana Hæresis, divitum opibus & potentiis instructa; in Aulam Regis, in Palatia Principum, in Forum, in Scholas, in Muliercularum circulos, in Officinas opificum irrepserat, ac concitatis intestinis Bellis ultimum Galliarum Regno exitium propediem allatura erat, nisi Christianissimi Reges divino protecti auxilio, cùm in lenioribus remediis jam per Episcopos & Theologos tentatis nulla spes esset, ad acriora descendissent, Calvinianæ Hæresi omnia pestilenti afflatu suo contaminanti, & teterrimum virus suum longè latèque spargenti bellum indixissent, atque Hæreticorum ruinâ ignem extinxissent, ne tota Gallia eodem incendio conflagraret.

D. De Comitiis & Collationibus, necnon de Disputationibus & Colloquiis, quæ tàm in Germania Sæculo XVI. in Causa Lutheranâ, quàm in Gallia in Causa Calviniana habita sunt, satis hactenùs disseruimus; nunc recto Ordine ea Concilia percensere debes, quæ eodem Sæculo variis in locis, sive ad vindicandam contra Hæreticos Catholicam Fidem, sive ad restaurandam collapsam Ecclesiæ Disciplinam indicta sunt, antequàm celebraretur Oecumenicum Concilium Tridentinum, cujus fuerunt veluti præludia.

M. Incipiam à Synodo Generali Lateranensi V. cujus historiam quò magis perspectam habere possis, rem paulò altiùs repetere necesse est. Exorto inter *Julium II.* Pontificem Maximum & *Ludovicum XII.* Galliarum Regem gravissimo dissidio, cujus causam jam aperuimus in præce-

denti-

dentibus Colloquiis, pax Ecclesiæ perturbata est, & Bellum hinc inde exarsit acerrimum, quod occasionem dedit novem Cardinalibus, jam iratis Summo Pontifici, & auctoritate *Maximiliani* Imperatoris, & *Ludovici XII.* Regis Christianissimi, fultis, Concilium Pisis contra *Julium II.* anno MDXI. convocandi, eo videlicèt prætextu, quòd Summus ille Pontifex non staret promissis, nec juramento suâ in electione præstito, de Generali convocando Concilio, intra primum à sua consecratione biennium, pro reformandis Ecclesiæ moribus, & ineundâ inter Principes Christianos concordiâ. In eo itaque Concilio Pisano congregati pauci illi Cardinales, & omnia ex pravis tantùm animi motibus agentes, celebrarunt tres Sessiones, quibus peractis, Concilium istud Pisanum transtulere Mediolanum, ubi, postquàm Sessiones quartam & quintam absolvissent, tandèm in Sessionibus sextâ, septimâ, & octavâ, quæ ultima fuit, eò audaciæ proruperunt, ut excusso penitùs obedientiæ jugo, Pontificem Maximum *Julium II.* citarint, contumaciæ accusaverint, eumque ab omni Pontificatus administratione tam in spiritualibus, quàm in temporalibus suspenderint. Quibus peractis, cùm Mediolani non essent tuti, Lugdunum in Galliis confugere compulsi sunt.

D. Verè istud Concilium Pisanum appellari debet Schismaticorum Conciliabulum, nec dubito, quin ab universa Ecclesia repudientur, ac damnentur omnia, quæ in eo gesta ac statuta sunt.

M. Rectè dicis, ac sempèr Ecclesia Catholica prædictum Pisanum Conciliabulum justis de causis

causis rejiciendum planè ac damnandum censuit. Primò, quia hujus Conventus Pisani tumultuaria convocatio à pauciori numero Cardinalium *Julio II.* legitimo Pontifici infensorum facta est, eo repugnante, cui tamen ex jure & officio incumbit convocare Concilium Generale, quale esse Concilium Pisanum pertendebant segreges illi Cardinales, sicut ipsis exprobrat idem Summus Pontifex in suis litteris convocationis Concilii V. Generalis Lateranensis his verbis: *revolvant Sanctorum Patrum & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi & convocandi & celebrandi Concilium: Traditiones & leges super his editas à Patribus inspiciant: videbunt hujusmodi Concilia à solis Romanis Pontificibus esse indicta, & alitèr indicta, rata non fuisse.* Secundò, in iisdem Concilii V. Lateranensis convocatoriis litteris disertè ostendit *Julius II.* Concilium Generale, quod in suâ ad Pontificatum electione celebrandum promiserat, non suâ culpâ, ut perperàm asserebant segreges Cardinales, sed ob infelicitatem temporum fuisse hactenùs à se dilatum: *Nulla nostra culpa*, inquit, *neque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, dilata est Generalis Concilii indictio, convocatio & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub Alexandro Prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat; & instans necessitas recuperandi Terras & jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atque intentissimum fuit.* Addit etiam Summus Pontifex, segreges Cardinales in litteris Indictionis Concilii sui Pisani, trium dumtaxàt mensium, & quatuordecim dierum tempus pro termino Congrega-

gregationis assignasse, quod tamen tam breve temporis intervallum ad Oecumenicũ Concilium congregandum minimè sufficit. Tertiò, segreges Cardinales falsò jactabant, suum Conventum Pisanum repræsentare universalem Ecclesiam, cùm tamen ei nec interfuerint Hispaniæ Episcopi, nec Germaniæ Antistites, qui potiùs in Synodo Augustæ habitâ Concilium illud Pisanum, tanquam Schismaticum, damnarunt. Non interfuerunt etiam huic Concilio Pisano Italiæ Episcopi, prætèr quosdam è Ducatu Mediolanensi, qui tunc *Ludovico XII.* Galliarum Regi, hujus Conciliabuli, ob simultates, quas cum *Julio II.* gerebat, promotori, parebat. Quin, ex tota Gallia, quantumvis Rex Christianissimus bellum *Julio II.* indixisset, seque adversùs ipsum armis tueretur, duo dumtaxat Archiepiscopi Lugdunensis & Senonensis, quatuordecim Episcopi, nonnulli Abbates, Doctores & Procuratores Academiarum huic Concilio Pisano adfuerunt. Nemo autem dicet unquàm, eo tam exiguo numero Prælatorum, qui ad hoc Concilium Pisanum accesserunt, quique à legitimo Capite, seu Romano Pontifice, Christi in terris Vicario, erant avulsi, universalem potuisse repræsentari Ecclesiam. Quartò, Regna Catholica, Ecclesiæ particulares, Christiani Principes ac Reges, præsertim *Ludovicus XII.* qui Pisano Conventui adhæserant, eum posteà quasi Conciliabulum ejurarunt, & Synodo Lateranensi quintæ à *Julio II.* convocatæ, velut legitimæ adhæserunt, ut mox ostendemus agendo de his quæ in hac Synodo Lateranensi quintâ proposita ac definita fuerunt. Quintò, Cardinales, qui *Julio II.* legitimo Romano Pontifici fuerant con-

contumaces, & purpurâ ab eo exuti, posteâ pœnitentiâ ducti, ad *Leonem X.* qui in locum *Julii II.* Romani Pontificis, in Synodo Lateranensi quinta demortui, suffectus est, confugerunt, ejusque benignitatem supplices implorantes, ac veste induti non purpureâ, sed privatâ, in Pontificio Consistorio Pisanum Concilium uti spurium solemniter detestati, veniam & pristinam dignitatem impetrarunt, atque Concilii Lateranensis quinti Decreta approbarunt. Postremò *Julius II.* Pontifex Maximus, in suis Concilii Lateranensis quinti litteris Convocatoriis indictionem & convocationem Concilii Pisani nullam, irritam & inanem esse declaravit, atque in Sessionibus secunda & tertia ejusdem Concilii Lateranensis quinti Synodum Pisanam, omniaque ejus Acta Pontificio Diplomate reprobavit sacro approbante Lateranensi Concilio. Ex quibus momentis liquidò patet, Synodum Pisanam, indictam à paucis segregibus Cardinalibus, esse prorsùs spuriam, Synodum verò Lateranensem V. à *Julio II.* Romano Pontifice convocatam, legitimam censeri debere.

D. Quâ de causâ *Julius II.* Pontifex Maximus hanc Synodum V. Lateranensem convocavit? quid verò præcipuè in ea gestum ac definitum est?

M. Hanc Synodum V. Lateranensem indixit *Julius II.* tùm ut mederetur malo schismatis, cui originem dare, illudque fovere poterat Conciliabulum Pisanum à segregibus Cardinalibus convocatum; tum etiam ad reformandos Ecclesiæ mores, pacem inter Principes Christianos ineundam, & promovendam in Turcas Expeditionem San-

Sanctam. Inchoatum porrò est istud Concilium Lateranense V. die x. mensis Maji anni MDXII. eique præfuit *Julius II.* ad quartam usque Sessionem, quâ finitâ, ipso ægrotante *Julio II.* Pontifice Maximo, quintæ Sessioni præfuit *Raphael* Cardinalis, Episcopus Ostiensis, cæteris septem sequentibus Sessionibus præfuit *Leo X.* recens electus Pontifex Maximus. In his duodecim Concilii Lateranensis V. Session. plurima gesta, statuta ac definita sunt, inter quæ quatuor potissimùm singulari observatione digna hìc annotabo. Primò, in Sessione septima Summus Pontifex *Leo X.* eos, qui asserebant, Animam intellectivam esse mortalem, aut unicam in cunctis hominibus, sacro approbante Concilio, damnavit, & Legatos ad Reges & Principes mittere decrevit, ad pacem inter eos conciliandam, ut deindè adversùs Turcarum Tyrannum, communem Fidei hostem, arma viresque conjunctim converterent. Secundò, in Sessione nonâ promulgata est Constitutio de Reformatione Curiæ, quâ statuitur, ut Cardinales vitæ munditiâ, ac virtutum splendore cunctis præfulgeant, sint omnes vigiles ac Divinis Officiis, Missarumque celebrationibus intenti: in domibus, familiâ, mensâ, suppellectili, sint modestiæ & frugalitatis speculum, omnique diligentiâ sedandis & componendis inter quoscumque litibus vacent incumbantque ab omni privato affectu semoti. Deindè, in eadem Sessione decernuntur pœnæ in Clericos & Laicos blasphemos, nefarii criminis reos, concubinarios, & Simoniacos. Statuitur etiam, *ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legi-*

legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officii, & tempore, sed eos tanquàm injustè perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur; si verò ultrà dictum tempus in simili negligentia contumacitèr contempserit, legitima monitione pracedente, Beneficio privetur, cùm propter Officium detur Beneficium. Tertiò, in Sessione decimâ edita est Constitutio declarans, *Montes*, qui dicuntur, *Pietatis*, justos & licitos esse, prohibetque universis sub pœna excommunicationis latę Sententiæ illorum damnare usum, vel vitii usuræ insimulare, quia etsi Rectores ejusmodi *Montium Pietatis* aliquid à mutuatariis exigant prȩter sortem, ea tamen exactio nullatenus est ad lucrum, sed ad indemnitatē, propter necessarias expensas, sine quibus diù stare haùd posset istud pietatis Institutum; eo autem corruente, gravi subsidio fraudarentur inopes mutuatæ pecuniæ, quâ ipsorum necessitates sublevantur. Docent tamen periti Casuistæ, quòd si in fine anni post compensationem omnium expensarum, quæ in Monte pietatis factȩ sunt, supersit aliqua Summa ex *interesse*, ut vocant, quod exactum fuit, ea Summa inservire non debet ad augendum Montem pietatis, sed restitui debet illis, à quibus accepta est, si commodè inveniri possint, aut minuendum est interesse alterius anni, ita ut Mons pietatis nullum lucrum ex hujusmodi interesse sentiat, quia si aliquid lucri indè perciperet, totum interesse, quod sumptum est ultrà sortem principalem, non exactum fuisset ad solam expensarum compensationem, sed ad lucrum aliquod ex mutuo proveniens,
quod

quod divinæ legi contrarium est, & Constitutioni promulgatæ pro Montibus pietatis à *Leone X.* in Concilio Lateranensi quinto. Denique, Sessione XI. Concilii Lateranensis V. promulgata est abolitio Pragmaticæ Sanctionis, cujus in locū pacta Bononiæ Concordata inter *Leonem X.* Pontificem Maximum, & *Franciscum I.* Regem Christianissimum substituta sunt, de quibus latè disseremus in Colloquio sexto, ubi Disciplinæ Ecclesiasticæ sæculi decimi sexti selecta capita exponemus. Hic dumtaxat cū Illust. *Petro de Marca* Archiepiscopo Parisiensi obitèr dicam, Sanctionis Pragmaticæ abrogationem, & Concordata, quæ *Leonem X.* & *Franciscum I.* inita sunt, magnam Ecclesiæ Gallicanæ attulisse utilitatem, quia *Episcopatuum Electiones* (verba sunt illius Archipræsulis libri VI. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* Cap. IX. Num. XIII.) *Capitulorum ambitu fiebant, eisque persæpè vim inferebant Regum preces à Pragmatica Sanctione approbatæ: adeò ut Guillelmus Benedicti, celeberrimus illa ætate jurisconsultus, affirmet, preces illas habuisse & habere debuisse vim imperii apud Canonicos Electores. Concordata igitur abolent electiones, & in earum locum substituunt jus Nominationis, quod Regi tribuunt. Quod jus viam præcludit ambitioni & Simoniæ, quæ exercebatur ad emenda suffragia Canonicorum. Attamen Nominationis jus sic conceditur Principi, ut ad Summum Pontificem pertineat confirmatio Electionum, quà potiebatur absque ulla controversia ante Pragmaticam Sanctionem editam.*

D. Huic Synodo V. Lateranensi adhæseruntne Principes Christiani, præsertim *Maximilianus* Imperator, & *Ludovicus XII.* Galliarum Rex,

Rex, qui propter simultates, quas cum *Julio II.* Pontifice Maximo, exercebant, Conciliabuli Pisani adversùs eumdem Pontificem indictionem ac celebrationem promoverant?

M. Principes Christiani, præcipuè *Maximilianus* Imperator, & Christianissimus Rex *Ludovicus XII.* rejectâ penitùs tanquàm spuriâ Synodo Pisanâ, Concilio Lateran. V. tandem adhęserunt. In primis, *Ferdinandus*, Rex Aragonum & Siciliæ, suo, & *Joannæ* Castellæ Reginæ nomine, jussit *Hieronymo de Vich*, suo in Romana Curia Oratori, ut operam daret, ne Pisanum Conciliabulum longiùs protraheretur, sed *tanquam injuriâ, perperàm & iniquè congregatum dissolveretur & evanesceret, & perniciosissimum schisma tolleretur*, & ut Concilio Lateranensi, ceu legitimo, interesset. Idem præcepit *Maximilianus* Imperator *Matthæo* Episcopo Gurcensi ac Principi, qui nomine Imperatoris Pisanum Conventum reprobavit, & Concilio Lateranensi adhæsit. Consensum itidèm suum eidem Concilio Lateranensi adjunxerunt *Emmanuel* Rex Lusitaniæ, *Sigismundus* Rex Poloniæ, *Leonardus* Dux Venetorum & Serenissima Respublica, Lucensium ac Florentinorum Respublicæ, Dux Mediolanensis, Marchio Mantuæ, Marchiones Brandeburgensis & Montis ferrati, Dux Sabaudiæ, aliique Principes, quorum exemplum tandem secutus est *Ludovicus XII.* Galliarum Rex, qui, *Julio II.* mortuo, dum celebraretur Concilium Lateranense quintum, ac subindè causâ omnis odii & simultatum, quas cum illo Pontifice gesserat, omninò sublatâ, amicitiam *Leonis X.* qui in eodem Lateranensi Concilio in locum *Julii II.* suffectus est, sibi con-

ciliare studuit, & per Oratores suos *Fridericum* Cardinalem, *de Sancto Severino*, *Claudium de Seyssello*, Massiliensem Episcopum electum, & *Ludovicum de Forbin* Dominum de Soleriis, *à prætenso Pisano Concilio penitùs discessit, illique plenariè renuntiavit, ac purè, liberè, & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio, tanquàm vero, unico, & legitimo adhæsit*. Quin, Regem Christianissimum *Ludovicum XII.* nunquàm ex animi sententiâ Conciliabulo Pisano adhæsisse, probat *Spondanus* ad ann. MDXI. num. XVIII. ex Epistolis *Anglerii*, qui ex Urbe Burgis Hispaniæ, ubi apud Regem *Ferdinandum* degebat, scribens ad Marchionem Bellecensem ait, cùm *Hieronymus Cabanilla*, Valentinus Eques, & *Ferdinandi* tunc apud Galliarum Regem *Ludovicum XII.* Orator, conquereretur, quòd Conciliabulariis contra Pontificem faveret; Regem subridendo respondisse, larvam esse ac jocosam declamationem, figmentumque inane, illorum consilia, occasionemque sumptam ab eis, ut Pontificem deterrerent, *farsam*, hoc est, mimicum ludum esse, seque tantùm ista fovere, ut Pontificis animum aversum attraheret. Quam politicam Principum agendi rationem deplorans idem Annalista, ait: *Miseram Principum conditionem! pro quantilla re quantis tribulationibus & se ipsos & innocentes subditos conficiunt! pro minima parte puncti terræ acquirenda per fas & nefas, plerùmque immensam amplitudinem cœli amittentes. O iterùm miseram hujusmodi Principum conditionem! Habeant apud homines excusationes suas, quantùm voluerint, Dominus justus Judex nullas admittet nisi justas.* Sed satis hactenùs de quinta Synodo Lateranensi Oecumenicâ, quæ incho-

inchoata die x. Maji anni MDXII. felicitèr conclusa est die XIII. Martii anni MDXVII.

D. Sæpiùs audivi, non debere Reges ac Principes Sæculi thuribulum attingere, hoc est, Sacerdotalem auctoritatem, ac judicium de rebus sacris sibi assumere, nec in negotiis ad regimen Ecclesiæ spectantibus sese ingerere, sed eos potiùs religiosissimorum Imperatorum *Constantini*, *Valentiniani*, ac *Theodosii Magni*, qui integrum de rebus sacris judicium Pastoribus Ecclesiæ, ut par est, reliquerunt, vestigiis insistere oportere, ne illis contingat, quod *Oziæ* Judæorum Regi accidisse memorat Scriptura Sacra. Ille quippè Rex, ut nuperrimè legebam lib. 2. Paralip. cap. XXVI. *ingressus templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis*, eique Sacerdotes *restiterunt, atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium: egredere de Sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo: Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus, statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, & festinatò expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, eò quòd sensisset illicò plagam Domini. Fuit Ozias Rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini*. Sed, ne in his congerendis divinæ vindictæ exemplis tempus frustrà conteramus, perge, quæso, alia referre Concilia, quæ antè Oecumenicam Synodum Tridentinam Sæculo decimo sexto tam in causa Fidei,

quàm pro resarciendâ Ecclesiæ Disciplinâ fuerunt celebrata.

M. Septem Concilia Provincialia, sive ad asserendam contra hæreticos Fidem Catholicam, sive ad emendandos fidelium mores, variis in locis antè Generalem Synodum Tridentinam Sæculo decimo sexto habita sunt, videlicèt Bituricense, Senonense, Coloniensia duo, Moguntinum, Treverense, & Narbonense, quorum dumtaxàt Præsides, Decretorum numerum, brevitèr hìc perstringere sufficiet, ne si singula eorum Decreta, quæ sanè plurima sunt, & in eisdem penè argumentis versantur, percensere vellem, nimiâ prolixitate, ac frequenti repetitione te defatigarem. Primum Provinciale Concilium, seu *Bituricense*, anno Christi MDXXVIII. habitum est, Præside *Francisco Turnonio*, Archiepiscopo Bituricensi ac Primate Aquitaniæ, & in eo edita sunt Decreta triginta duo, quorum primo statuitur, *ut damnatum dogma Lutheri & sequacium à Sacro Sancta Sede Apostolica jampridem reprobatum, in publicis concionibus, locis & temporibus opportunis, prout expediens Ordinariis locorum videbitur, generaliter tantùm reprobetur, non declaratis sigillatim erroribus, nisi locus aliquis fuerit, ad quem pervenerint damnati aliqui errores*. Damnantur itidèm eodem Decreto ac omninò prohibentur *Lutheri* & Lutheranorum libri. In aliis viginti duobus Decretis sequentibus emendatur ac restituitur collapsa Ecclesiæ Disciplina. Sex alia sequentia Decreta libertati ac reformationi jurisdictionis Ecclesiasticæ consulunt. Denique, in reliquis postremis Decretis imperatur ad biennium collectio Decimarum, quæ ab

ab omnibus Beneficiariis, Communitatibus, & & Ecclesiæ Fabricis exigerentur pro redemptione, seu liberatione filiorum *Francisci I.* Christianissimi Regis, qui in Hispania pro Patre suo obsides à *Carolo V.* Hispaniæ Rege tenebantur. Alterum Concilium Provinciale, seu Senonense eodem anno MDXXVIII. Parisiis celebratum est, Præside *Antonio à Prato* S.R.E. Cardinali, Archiepiscopo Senonensi, & Franciæ Cancellario, & in eo Lutherana Hæresis confixa est sexdecim Decretis de Fide editis. Primum est *De unitate & infallibilitate Ecclesiæ*. 2. *Quòd Ecclesia non sit invisibilis*. 3. *De Auctoritate Sacrorum Conciliorum*. 4. *Quòd ad Ecclesiam spectet determinare qui libri sint Canonici*. 5. *Quòd aliqua sint firmitèr credenda, quæ non continentur expressè in Scriptura Sacra*. 6. *De Constitutionibus humanis*. 7. *De Jejuniis Ecclesiasticis*. 8. *De Cælibatu Sacerdotum*. 9. *De votis, & præsertim Monasticis*. 10. *De septem Sacramentis*. 11. *De Sacrificio Missæ*. 12. *De satisfactione, Purgatorio, & commemoratione Defunctorum*. 13. *De veneratione Sanctorum*. 14. *De Veneratione Sacrarum Imaginum*. 15. *De libero arbitrio*. 16. *De Fide & Operibus*. Vetita pariter est sub pœna Excommunicationis lectio librorum *Lutheri* & Lutheranorum. Prætet hæc sexdecim Decreta, quibus Lutherana impietas, quæ tum temporis in Galliis pullulare ac invalescere cœperat, profligata est; alia quadraginta Decreta ad resarciendam Ecclesiæ Disciplinam eodē in Concilio Senonensi edita sunt, quæ publicâ luce donavit, Notisque doctissimis illustravit *Jodocus Clictoveus*, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, qui Lutheranos acritèr insectatus

est & voce & Scriptis, atque contra eos complura edidit Opuscula. Primum ex duobus Conciliis Coloniensibus, quæ Sæculo decimo sexto indicta sunt, celebravit anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto *Hermannus* Archiepiscopus Coloniensis, illudque in quatuordecim partes distributum est, quarum unaquæque præclara & saluberrima complectitur Decreta, quæ ordinavit ac digessit *Joannes Gropper*, Juris Pontificii Doctor insignis, Theologus itidèm celeberrimus, & Lutheranorum acerrimus impugnator. Hic autem obitèr advertere debes, hunc *Hermannum* Archiepiscopum Coloniensem, à quo istud Concilium fuit convocatum, suâ Sede fuisse abdicatum, postquàm compertum omnibus fuit, eum à Catholica Fide Apostatam evasisse, omnique studio laborare, ut Lutheranorum impietatem in sua Diœcesi stabiliret ac propagaret, Lutheranos Concionatores undique accersendo, *Melancthonem*, *Bucerum*, aliosque doctrinæ pestilentis viros, quorum consilio utebatur, eisque ad seducendum populum prædicandi provinciam demandabat, alios verò sincerè pietatis & Catholicæ doctrinæ Concionatores callidè submovendo. Quò factum est, ut à *Paulo III.* Pontifice Maximo Sede suâ motus, nec judicio sistere ausus, fugâ se subripuerit, & apud Lutheranos hæresim apertè professus, reliquum vitæ exegerit. Quocircà ejus in locum electus est *Adolphus* ex Comitibus Schavemburgensibus, qui ad collapsam penè in hac Provincia Catholicam Religionem, & restaurandam maximè depravatam Ecclesiæ Disciplinam, alterum Concilium Coloniense anno MDXLIX. convocavit, in quo, cùm exactior anti-

antiquorum Canonum severitas in usum absque aliquo graviori motu revocari haud posset, consultius visum est sex potissimùm seligere media, quibus Clerus & populus sensim sine sensu & absque ullo strepitu ad pleniorem reformationem perducerentur. Qua in re Patres istius Concilii Coloniensis sapientissimè se gesserunt. Nam sicut facilè serpunt abusus, ita difficilè tolluntur, nec minùs damnandi sunt illi, qui eos dissimulant, quandò paulatim tollere possent, quàm illi, qui magno quidem zelo, sed non secundùm scientiam, eos intempestivè exagitant, dùm minore Religionis incommodo dissimulare præstaret. Prioribus contingit, quod solet illis, qui morbum exasperant, dùm ei, quandò expediret, medicinam admovere cunctantur: aliis verò evenit, quod solet imperitis Medicis, qui, dùm parùm dextrè adhibent remedia, pro morbo extinguunt hominem, aut ex leviori malo reddunt immedicabile. Hæc, inquam, duo extrema perindè caventes Patres istius Concilii Coloniensis, sex opportuna selegerunt media, sacris quidem Canonibus consentanea, sed non ad rigidiorem Disciplinam exacta, quorum primum, est *Studiorum, præsertim Sacrorum, instauratio*. Alterum, *Examen Ordinandorum ad sacra Ministeria & Prælaturas instituendorum*. Tertium, *Officiorum, seu munerum susceptorum sedula perfunctio*. Quartum, *Visitatio Archiepiscopalis, Episcopalis, Archidiaconalis, & eorum, quibus id oneris incumbit*. Quintum, *Synodorum frequens celebratio*. Sextum, *Jurisdictionis Ecclesiasticæ, multùm labefactatæ & abusibus depravatæ, restitutio*. De his sex Mediis, quæ ad efficacem, diùque permansuram reformationis exe-

executionem plurimùm momenti afferre posse judicarunt Patres hujusce Concilii Coloniensis, latè differit *Joannes Cabassutius* in sua *Notitia Ecclesiastica Conciliorum* pag. 571. & sequentibus. Prætèr istud Concilium Coloniense, quod anno MDXLIX. habitum est, alia duo Concilia Provincialia, seu Moguntinum,& Treverense eodem anno celebrata sunt. Præfuit Concilio Moguntino *Sebastianus* Archiepiscopus, & Sacri Imperii Princeps Elector, & in eo ad restaurandam collapsam Ecclesiæ Disciplinam, & ad damnandam Lutheranam Hæresim, quæ dirè totâ, quà latè patet, Germaniâ grassabatur, multi conditi sunt Canones. Primam partem hujus Concilii Moguntini occupant Canones quadraginta septem, quibus hæretica *Lutheri* dogmata proscribuntur. Altera verò Concilii Moguntini pars Canonibus septem & quinquaginta constat,qui ad morum,& Ecclesiasticæ Disciplinæ reformationem spectant, de quibus legesis jam citatum *Cabassutium* pag. 575. & seq. Alteri Concilio, seu Treverensi, quod eodem anno indictum est, præfuit *Joannes* Archiepiscopus Treverensis, & Princeps Germanici Imperii Elector, in quo, ut videre est apud eumdem *Cabassutium* pag. 577. & seqq.multa contra Hæreticos Lutheranos,& pro reformatione Ecclesiasticæ Disciplinæ saluberrima edita sunt Decreta *De Fide Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ fideliter & firmiter tenenda*: *De Verbi Divini Prædicatoribus*: *De cultu Divino diligenter & Religiosè exequendo*: *De Horis Canonicis*: *De Missæ Officio ritè peragendo*: *De Festorum numero minuendo*: *De Monachis & Sanctimonialibus*: *De Parochis*: *De Scholis*: *De Ecclesiastica libertate & immunitate*:
De

De Vita & honestate Clericorum, & de aliis id genus, quæ Disciplinæ Ecclesiasticæ instaurationem promovere poterant. Denique, non multò post istud Concilium Treverense, aliud in Galliis, seu Concilium Narbonense, anno MDLI. coactum est, eique præfuit *Alexander Zerbinatis*, Sedis Apostolicæ Protonotarius, *Francisci* Cardinalis *A Pisanis* Narbonensis Archiepiscopi Vicarius Generalis. In eo Provinciali Concilio Narbonensi Catholica Fides contra novas serpentes Hæreses explicata ac stabilita est, damnati sunt tanquam hæretici quicumque aliud docent, quàm Romana credit & profitetur Ecclesia, atque Canones sexaginta quatuor de morum emendatione, & sanciendâ Ecclesiæ Disciplina conditi sunt. Sed satis hactenùs dictum sit de Conciliis, quæ ante, vel paulò post convocationem Concilii Oecumenici Tridentini in Causa fidei & Disciplinæ Ecclesiasticæ reformationis Sæculo XVI. variis in locis indicta ac celebrata fuerunt.

D. Pertexe nunc Historiam Concilii Generalis Tridentini, cujus convocatio profligandis hæresibus, vindicandæ Fidei Catholicæ, purgandis in deteriora lapsis Catholicorum moribus, reparandis Reipublicæ Christianæ ruinis, & labefactatæ Ecclesiasticæ Disciplinæ restaurandæ pernecessaria fuit, atque omnium proborum votis exoptatissima. Priusquàm tamen in ea, quæ in Synodo Oecumenica Tridentina gesta ac definita sunt, inquiramus, obsecro te, ut in antecessum referas, & eâdem operâ refellas rationes, quibus hæretici Concilio Tridentino refragantur, illudque Generale ac Oecumenicum fuisse inficiantur.

M. Per-

M. Pervicaces Hæretici, Romanorum Pontificum auctoritati parêre detrectantes, Concilium Generale impensè expetere se fingebant, utque illud propediè̀m celebraretur insolentèr provocabant. At, ubi primùm celebrari cœpit Concilium Tridentinum, tunc sibi malè conscii hæretici refugerunt, pedem retulerunt, contra Concilium Tridentinum allatrarunt, illudque non pro Oecumenico habendum esse, sibi, aliisque persuadere tentarunt nonnullis rationibus, quarum præcipuas, hìc referam, easque vanas ac planè futiles esse breviter commonstrabo. In primis, obiiciebant hæretici, Concilium Generale non Tridenti, sed in Germania celebrari debuisse, cùm adversùs Germaniæ *Protestantes* esset indictum. Sed hęc ratio omninò frivola est. Nulla quippe est necessitas celebrandi Concilia Generalia his in locis, Provinciis, aut Regnis, in quibus enatæ sunt Hæreses. Hinc *Ariana* Hæresis, licèt Alexandriæ in Ægypto ab *Ario* Presbytero invecta, non tamen in Ægypto, sed Niceæ in Bithynia in Concilio Generali Nicæno proscripta est. Nestoriana Hæresis, à *Nestorio* Episcopo Constantinopolitano propalata, non Constantinopoli, ubi emerserat, nec in Thracia, sed Ephesi damnata est. Donatistarum Hæresis, in Africa nata, in Concilio Romano sub *Melchiade* Papa, & in Arelatensi Synodo confixa est. Perperàm igitur conqueruntur hæretici, quòd Synodus Generalis contra Germaniæ *Protestantes* indicta, Tridenti fuerit celebrata; maximè, cùm ipsimet Germanię Principes in Conventu Spirensi, anno MDXLII. habito, ultrò consensissent, ut in Civitate Tridentina, quæ Germaniæ est contermina,

ac subindè Germanis commoda, cæterisque Nationibus non suspecta, Concilium Generale contra Germaniæ *Protestantes* celebraretur. Secundò, dictitabant Hæretici, non debuisse Romanum Pontificem Concilium Generale in hoc Reformationis negotio convocare, nec minùs ei præesse, quia nemo judex est in propria Causâ, omniaque jura cùm divina, tùm humana, prohibent, ne quis in eadem Causa personam judiciis, partisque simùl disceptatricis sustineat. Porrò, Romanum Pontificem in hoc Reformationis negotio partis disceptatricis locum tenere ajebant hæretici, eò quòd de multis morum, sanctiorisque disciplinæ postularetur. Non debuit ergò Romanus Pontifex in Concilio Generali, pro reformatione Ecclesiæ indicto, tanquam judex & Arbiter sedere. Verùm, hæc hæreticorum objectio utroque genu claudicat. Nam primò certum est, Concilii Generalis convocationem semper ad Romanum Pontificem, velut ad visibile Ecclesiæ Caput, pertinuisse, nullumque Concilium Oecumenicum sive in Oriente, sive in Occidente unquàm fuisse coactum, nisi jubente, vel saltem volente & consentiente Romano Pontifice, quod sanè multis exemplis & antiquis monumentis nullo negotio evincere possem, nisi res esset manifesta his, qui Historiam Ecclesiasticam primoribus labiis prælibarunt. Quorsùm ergò Hæretici Concilium Tridentinum, more veterum Conciliorum Generalium indictum, Oecumenicâ authoritate spoliare moliuntur? Ludicrum autem est, quod ajebant hæretici, videlicèt Romanum Pontificem in Concilio Tridentino sedisse tanquam judicem in propria Causa. Nec enim Romani Pontificis, sed

ſed Religionis & Fidei Cauſa in Concilio Tridentino agebatur, quam Romanus Pontifex pro ſui Primatus officio tueri, & Eccleſiæ Diſciplinam ſartam tectam conſervare tenetur, cùm ſit viſibile Eccleſiæ Caput & univerſalis Paſtor. Sanè, ſi quid ponderis haberet hæc Hæreticorum objectio, in tuto eſſent omnes Novatores, Hæreſiarchæ, & perfidæ cujuſcumque Sectæ Auctores, quippè qui nunquàm legitimè damnari poſſent, ſicque abſolvi deberent *Arius*, *Macedonius*, *Neſtorius*, *Eutyches*, aliique tàm veteres, quàm recentes Hæreſiarchæ, qui perindè Eccleſiam, quæ ipſos damnavit, novitatis & corruptelæ circà fidem inſimularunt, contra Concilia reclamarunt, & Romanos Pontifices, alioſque Antiſtites, ſuis erroribus infeſtos, noluerunt in propria ſua Cauſa tanquàm legitimos judices agnoſcere. Præterquàm quòd, à modernis hæreticis percontari vellem, quem judicem in ſua Cauſa legitimum agnoviſſent? numquid ſe ipſos, qui ob hæreſim in jus vocabantur? At id non ſolùm rationi, & juri naturali ac poſitivo repugnaſſet, ſed nec etiam fieri potuiſſet; cùm Lutherani & Calviniſtæ, qui in jus vocabantur, concordes in doctrina non eſſent, ac proindè Lutherani contra Calviniſtas reclamaſſent, & versâ vice Calviniſtæ noluiſſent, ut Lutherani in eorum Cauſa quidquam, velut legitimi & competentes judices, pronuntiarent. Numquid Imperatorem, & Reges Catholicos, tanquàm legitimos judices hæretici in ſua Cauſa agnoviſſent? minimè gentium. Imperatori ſi quidem Catholico, & Regibus, Romanæ Communioni addictis, idem objeciſſent, quod Romano Pontifici, & Epiſcopis oppone-

nebant, nimirùm rem illorum agi, illosque judicum & partium personam in eadem Causa sustinere haud posse. Nec etiam voluissent Imperator, ac Principes Catholici Jus sibi arrogare fidei controversias dirimendi, quod non Principibus Laicis, sed solis Ecclesię Pastoribus à Deo fuisse côcessum Religiosissimi Imperatores *Theodosius*, *Valentinianus*, aliique sæpiùs declararunt. Velint itaque nolint, fateri debent Hæretici Lutherani & Calvinistæ, nullum se in Ecclesia agnoscere judicem, à quo legitimè damnari possint, adeòque non tantùm se, sed & alios Hæreticos, quos hactenùs Ecclesia proscripsit, nec justè, nec legitimè fuisse ab ipsa damnatos; quod sanè, ut nemo non videt, summæ superbiæ & deploratæ eorum cæcitatis evidentissimum est argumentum.

D. Hanc Hæreticorum, nullum in Ecclesia, præter se ipsos, Judicem agnoscere volentium, intolerabilem superbiam memini me legisse graphicè descriptam in aureo *Vincentii Lirinensis* Commonitorio adversus Hæreses, ubi elegantissimus ille Scriptor de Hęresiarcha *Nestorio* hæc habet: *Invecti sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quòd Sacram scripturam se primum & solum intelligere: & omnes eos ignorasse jactaret, quicumque antè se Magisterii munere præditi Divina Eloquia tractavissent: totam postremò etiam nunc errare & semper errasse Ecclesiam, quæ (ut ipsi videbatur) ignaros, erroneosque Doctores & secuta est, & sequeretur*. Sed perge, quæso, alias proferre, falsique convincere rationes, quas etiamnùm Hæretici ad elevandam authoritatem Concilii Tridentini obtrudere solent.

M. Tri-

M. Tribus aliis ficulneis argumentis authoritatem Concilii Tridentini impetere solent hæretici, quæ hìc levi brachio perstringam, & unico flatu exsufflabo; nec enim tanti sunt, ut in his diluendis diutiùs immorari, oleumque & operam perdere debeamus. Negant Hæretici, Concilium Tridentinum fuisse Oecumenicum, quia Lutherani, dicti Protestantes, Civitatum Germaniæ, Principes Augustanæ Confessionis ei non interfuerunt, immò ab eo sunt exclusi, & tamen contrà eos, licèt absentes, nec auditos, latum est judicium, quod nullum censeri debet, utpotè datum non vocatâ & auditâ parte disceptatrice. Pręterea, ajunt Hęretici, Synodum Tridentinam non fuisse liberam, cùm in ea nihil à Legatis proponeretur, nisi quod antehàc Romano Pontifici placuisset, indèque populare istud increbuisse scomma: *Spiritum Sanctum Româ Tridentum in mantica deferri.* Postremò, acritèr invehuntur in omnes Antistites in Concilio Tridentino congregatos, asseruntque, illos apertè odia exercuisse cum Lutheranis & Calvinistis, qui in jus vocabantur, eorumque controversa Dogmata citra ullam discussionem, livore percitos & partium studio abreptos, confixisse. Hę sunt in summâ Hęreticorum adversùs Concilium Tridentinum objectiones, seu potiùs putidę calumnię ac imposturæ, quæ quàm crasso filo sint consutæ breviter hìc demonstrabo. Prima Impostura, quâ confidentèr affirmant hæretici, Civitatum Germaniæ Protestantes, & Confessionis Augustanæ Principes non fuisse ad Concilium Tridentinum vocatos & invitatos, falsi palàm convincitur ex litteris publicæ fidei, seu salvi condu-

ctus

ctus quibus Synodus Tridentina Sessionibus XIII. XV. & XVIII. liberam Protestantibus & cæteris aliarum Nationum hominibus, à Romanæ Ecclesiæ Communione alienis, facultatem & securitatem dedit *Tridentum veniendi, ibidèmque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi unà cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, ac omnia quæcumque ipsis libuisset, ac Articulos quoslibet, tàm scripto quàm verbo liberè offerendi, propalandi, & cum iis, qui à Concilio delecti fuerint, disputandi, &c.* Id ipsum testatur *Didacus Payua*, insignis Theologus Lusitanus, qui Concilio Tridentino præsens aderat, libro 1. *Defensionis Tridentinæ Fidei*; ubi Hæreticum *Kemnitium* his verbis compellat. *Vestrum adventum vehementer exoptarunt* (Patres Concilii Tridentini) *diligentissimè procurarunt, cum Cæsare non modo ipsi, sed Romanus etiam Pontifex, & per Legatos sæpè & per litteras frequenter egit, ut vos ad veniendum induceret. Adventum mendaciis & cavillationibus differentes diutissimè expectarunt, ex vestris etiam aut clam, aut palam adventantes benignè ac liberaliter exceperunt, humanissimèque tractarunt, illos, ut causam suam palam & confidenter tuerentur, valdè obnoxiè rogarunt, tuas ac tuorum lucubrationes venales exponi curarunt, legendasque illis tradiderunt, qui de vestra Fide aut disputare, aut judicare debuissent, ut quòd à vobis precibus impetrare nunquàm potuerunt, à nobis studio ac diligentia præstaretur.* Quâ frontè ergò audent hæretici asserere, Germaniæ Protestantes, & reliquarum Nationum homines ad Synodum Tridentinum vocatos ac invitatos non fuisse? Ecquid mirum, quod illi novæ refor-

ma-

mationis Architecti ad Synodum venire detrectantes, tanquam contumaces hæretici, ab eadem Synodo fuerint proscripti? Nec minus facilè altera Hæreticorum impostura, quâ dicunt, Synodum Tridentinam non fuisse liberam, difflatur ac dissipatur verbis ejusdem Theologi *Didaci Payue*, testis oculati, qui, loco mox à me laudato, *Kemnitium* hæreticum sic affatur: *An dubitas, te ac tuos Tridentinum Concilium tutò adire, confidenter alloqui, & liberè in eo versari potuisse? Testari certè ipse possum, nihil fuisse à Patribus magis exoptatum, à Legatisque vigilantiùs procuratum, quàm ut nihil in eo non liberè, non pacatè atque legitimè fieri, certissimis argumentis constaret*. Verum quidem est, Legatos Romani Pontificis in Concilio Tridentino proposuisse pro jure suo omnia quæ discutienda ac definienda erant, servatâ tamen Patribus integrâ libertate in omnibus & singulis Conventibus atque sessionibus sententiam dicendi, quod necessarium omninò erat ad vitandam confusionem, quæ sanè maxima orta esset si omnibus integrum fuisset proponere quidquid ipsis in mentem venisset. Nec id juris sibi in Concilio Tridentino arrogarunt Legati Pontificii, sed potiùs in Conciliis Generalibus Ephesino contra *Nestorium*, Chalcedonensi contra *Eutychetem*, Constantinopolitano III. contra Monothelitas, Nicæno II. contra Iconomachos, Constantinopolitano IV. contra *Photium*, & in aliis Conciliis Oecumenicis, eodem jure rerum proponendarum potiti sunt, ita ut nihil in Conciliis Generalibus, ut videre est in eorum Actis, proponeretur aut decerneretur, nisi Arbitris & Auctoribus Legatis Pontificis Romani; & tamen nemo ità impiè desi-

desipuit, ut propterea dixerit, Spiritum Sanctum Ephesum, Chalcedonem, Constantinopolim, Româ in mantica à Summis Pontificibus missum, vel ademptam Ephesinæ, Chalcedonensis, & Sextæ Synodi Patribus suffragiorum libertatem. Apage ergò inficetum illud & impium scomma ab Hæreticis contra Concilium Tridentinum temerè jactatum, videlicèt *Spiritum Sanctum Romà Tridentum fuisse delatum*. Postremò, non magis admittenda est expostulatio Hæreticorum adversùs Patres Concilii Tridentini, quos dicunt apertè odia exercuisse cum his, qui in eodem Concilio in jus vocati erant, eorum de Fide controversa Dogmata, nullo prævio diligenti, ac maturo adhibito examine, condemnasse; non, inquam, magis admittenda est hæc Hæreticorum expostulatio, quàm Arianorum adversùs Patres Concilii Nicæni, Macedonianorum adversùs Patres Concilii Constantinopolitani primi, Nestorianorum contra Episcopos Concilii Ephesini, Eutychianorum contra Episcopos Concilii Chalcedonensis, Monothelitarum contra Antistites Concilii Constantinopolitani tertii &c. Hi siquidem hæretici, sicut solemne est pravis vitiligatoribus qui causâ ceciderunt, in Episcopos, à quibus in Conciliis Generalibus fuerunt damnati, ore & calamo impudentissimè debacchati sunt, non secùs ac Lutherani, & Calvinistæ, aliique Novatores contra Episcopos Concilii Tridentini, à quibus fuerunt anathemate perculsi, latrare nunquàm desinunt. At quilibet facilè judicare potest, quinam reverâ hostilem animum ac præjudiciis affectum habuerint, an Lutherani, Calvinistæ, cæterique Novatores, qui in jus vocati, authoritatem

tem Romani Pontificis, & Episcoporum Concilii Tridentini spernebant, eos dentatis libellis proscindebant, & Catholicam fidem apertè impugnabant? an Romanus Pontifex, & Episcopi in Concilio Generali Tridentino pro defensione fidei Catholicæ congregati, qui Lutheranos, Calvinistas, & alios id genus Sectarios ad Concilium Tridentinum vocarunt, invitarunt, eos ad meliorem frugem modis omnibus revocare tentarunt, ac tandèm eorum errores post accuratissimum examen, ac præmissam diligentiam, quâ nulla major adhiberi poterat, confixerunt, ut constat ex Relationibus oculatorum testium, præsertim *Didaci Payuæ*, & ex *Historia Concilii Tridentini*, non eâ quidem quam *Paulus Sarpius*, sub nomine *Suavis Polani* mordaci stylo scripsit, mendaciis, contumeliis & imposturis refertam, sed ex Historia Concilii Tridentini, quam Cardinalis *Palavicinus* ex sinceris actis, ex Monumentis probatissimæ fidei, & ex Relationibus testium omni exceptione majorum concinnavit. Habes nunc breviter retusas sæpiùs decantatas expostulationes & imposturas, quas Lutherani, Calvinistæ, & alii Novatores, quò suam causam accisam ac desperatam in Sectariorum animis utcùmque erigere ac fulcire possint, contra Concilium Tridentinum, in quo eorum errores protriti ac profligati fuerunt, obiicere solent.

D. Adeò ingenita est hæreticis maledicendi libido, adeò inveterata mentiendi & obloquendi licentia, ut omni veracitatis, conscientiæ, pudoris ac religionis abjectâ curâ, ingenio suo indulgeant, ac priùs illos Sycophantas vita deficiat, quàm

quàm à calumniis contra Ecclesiam Romanam abstinere velint aut possint. Quapropter, consultius esse duco nunc prætermittere colluviem mendaciorum & sordium, quam movere nequeas, quin inficiaris, meque eo, quem afflant, gravissimo eneces fœtore. Uni itaque in præsentia inhæreamus Historiæ Concilii Tridentini, & ostende primò, quo anno fuerit indictum? Qui ei præfuerint? & quot Patres ad illud convenerint?

M. Dùm Calviniana Hæresis serperet in Gallia, in Belgio, in Batavia & Helvetia; Dùm Angliæ Regnum sub Rege *Henrico VIII.* & *Elizabetha* Reginâ, ejus filiâ, variis hæresibus infestaretur; dùm denique Lutherana Hæresis in Germania grassaretur, jamque in Regnum Sueciæ sub *Gustavo* Rege, & in Regnum Daniæ, sub *Christierno II. Friderico, & Christierno III.* Regibus, irrepsisset, altasque in his locis radices ageret: *Paulus III.* Pontifex Maximus, ut animabus periclitantibus, & Religioni tantis erroribus implicitæ succurreret, Concilium Generale *Mantuæ* primùm indixit, sed apposito à *Friderico*, Mantuæ Duce, obice, Vicentiæ celebrandum decrevit, ac tandem, novis iterùm emergentibus obstaculis, illud Tridentum convocavit, Urbem Germaniæ conterminam, optatam à Germanis in Conventu Spirensi pro celebratione Concilii Generalis, & omnibus Christianis Nationibus opportunam. Tridenti itaque cœptum est Concilium Generale die XIII. mensis Decembris anni MDXLV. eique præfuêre Sedis Apostolicæ Legati à *Paulo III.* Romano Pontifice missi, *Joannes Maria de Monte, Marcellus Cervinus, & Reginaldus Polus*, S. R. E. Cardinales. Ab an-

no MDXLV. usque ad annum MDLXIII. sub tribus Romanis Pontificibus *Paulo III. Julio III.& Pio IV.* celebratum est Concilium Tridentinum, adfuerunt Episcopi ex præcipuis Orbis Christiani Provinciis, & quidèm ingenti numero, ejusque Decretis subscripserunt Sedis Apostolicæ Legati, duo alii Cardinales, tres Patriarchæ, viginti quinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta novem Procuratores Episcoporum absentium, septem Abbates, & totidèm Religiosorum Ordinum Præpositi Generales. Ex sola Familia Dominicana numerantur sex Archiepiscopi, septemdecim Episcopi, viginti octo celeberrimi Theologi, qui interfuerunt Concilio Tridentino, ut nihil in præsenti dicam de Episcopis, & doctissimis aliorum Religiosorum Ordinum Theologis, ex quibus coaluit Cætus ille post hominum memoriam augustissimus tot Patrum, tot Theologorum Concilii Tridentini, qui omnes Viri erant, si doctrinam spectes, eruditissimi; si usum, peritissimi; si ingenia, perspicacissimi; si pietatem, religiosissimi, si vitam innocentissimi; in quibus, nescias quid mirêre magis, an gravitatem & sanctitatem, illo gradu dignam, an eruditionem, & rerum vel humanarum, vel sacrarum peritiam? Qua in re maximè eluxit providentia Dei Optimi Maximi, qui eo tempore, quo ingruentium turbarum mole & Hæresum colluvie periclitabatur Ecclesia, præsentissimum attulit remedium, excitando sanctissimos Antistites & insignes Theologos, qui Spiritus Sancti lumine, quo in Concilio Tridentino congregati plenissimè erant affusi, bullientes ubique hæreses exterminarunt, Catholi-
cam

cam Fidem illibatam conservarunt, & collapsam Ecclesiæ Disciplinam Sanctissimis editis Legibus instaurarunt.

D. Quot Sessiones habitæ sunt in Oecumenica Synodo Tridentina, tùm ad stabiliendam contra Hæreticos Catholicam Fidem, tùm ad sarciendam Ecclesiæ Disciplinam?

M. Viginti quinque Sessiones habitæ sunt in Generali Concilio Tridentino, videlicèt decem Priores, sub *Paulo III.* Pontifice Maximo, sex aliæ sequentes sub *Julio III.* denique novem postremæ sub *Pio IV.* Sed priusquàm referam ea, quæ in qualibet Sessione gesta sunt, obitèr advertere debes, in Concilio Tridentino, dum actu in Civitate Tridentina celebraretur, octo priores habitas esse Sessiones, sed cùm morbus contagiosus in hac Urbe agroque Tridentino grassaretur, & gravioris luis periculum immineret, Patres Sessione octavâ habitâ die XI. Martii anni MDXLVII. promulgasse Decretum de translatione Concilii ex Civitate Tridentina ad Bononiensem, ubi duæ Sessiones, nona videlicèt ac decima, celebratæ sunt. Mortuo autem *Paulo III.* Pontifice Maximo, ejus Successor *Julius III.* Concilium ad Civitatem Tridentinam reduxit, ubi cæteræ aliæ Sessiones habitæ sunt, videlicèt XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. sub *Julio III.* Reliquæ verò novem sub *Pio IV.*

D. Perstringe modò compendiosâ narratione quidquid notabile in unaquaque Sessione Concilii Tridentini gestum est?

M. In prima Sessione, quæ habita est die XIII. mensis Decembris anni MDXLV. post sanctos Ritus, solemnemque præmissam supplicationem,

 decla-

declaratum eſt, Concilium Tridentinum eſſe Oecumenicum, illudque jam inceptum. In ſecunda Seſſione, editum eſt Decretum de modo vivendi, & de aliis in Concilio ſervandis. In Seſſione tertia juſſerunt Patres, ut recitaretur Fidei Symbolum Conſtantinopolitanum, quò omnibus notum facerent, ſe in ſuis definitionibus non receſſuros ab eo Symbolo, in quo omnes, qui Fidem Chriſti profitentur, neceſſariò convenire debent, quodque, ut ajunt, *fundamentum eſt firmum & unicum, contra quod portæ inferi nunquàm prævalebunt*. In his tribus Seſſionibus nihil magni momenti ſtatutum eſt, eò quòd in dies expectarentur Epiſcopi, adeòque Legatis Pontificis conſultius viſum fuerit, Fidei, morumque Sanctiones procraſtinare, donec frequentior eſſet Synodus. In quarta Seſſione condita ſunt Decreta duo, primum videlicèt de libris Canonicis & Traditionibus Sacris, quo declarat ſacra Synodus: *Se ſuſcipere omnes libros tàm Veteris, quàm Novi Teſtamenti, necnon Traditiones ipſas tùm ad Fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenùs à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas pari pietatis affectu ac reverentià*. Enumerat poſteà ſacra Synodus ſingulatìm ſacros omnes cùm Veteris, tùm Novi Teſtamenti libros Canonicos, quales nunc habemus in Canone Scripturæ Sacræ repoſitos. Hoc Decretum editum eſt contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui, ut oſtendimus in *Tractatu de Scriptura Sacra*, nuper edito, plures libros, & aliquot librorum partes ex ſacro Canone expunxerunt, atque Traditiones penitùs rejecerunt. Alterum ejuſdem Seſſio-

Sessionis quartæ Decretum spectat editionem & usum sacrorum librorum ad tollendos varios abusus, qui tùm in Versionibus Sacrarum Scripturarùm, tùm in interpretationibus, tùm in editionibus occurrebant. Ingens si quidem erat tum temporis Versionum Scripturæ Sacræ Latinarum multitudo ac varietas. Magnam sibi quisque arrogabat licentiam interpretandi pro suo arbitrio Scripturas Sacras, easque in alienos, pravosque sensus sæpè detorquendi. Tanta denique ex parte Typographorum in Sacris edendis Scripturis gliscebat corruptela, ut eas sæpiùs ex corruptis exemplaribus typis ederent, pravasque eis assuerent interpretationes. Hos abusus ut radicitùs evelleret S. Synodus, tria ista præcipuè in hoc secũdo Decreto declarat, primò, Versionem Scripturæ Sacræ, dictam *Vulgatam*, qualem nunc habemus, esse authenticam, eamque cæteris Scripturæ Sacræ Versionibus Latinis, quæ tunc circumferebantur, esse præponendam. Secundò, districtè prohibet, ne quis Scripturam Sacram ad improprium detorqueat sensum, aut contra unanimem Patrum consensum interpretari præsumat, aut ejus verba ac Sententias deflectat ad *prophana quæque, ad scurrilia scilicèt fabulosa, vanas adulationes, detractiones, superstitiones, impias & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos &c.* Denique, statuit atque vetat, ne ullus deinceps de rebus sacris imprimatur liber, absque Ordinarii licentiâ, & sine expresso auctoris nomine sub pœna anathematis, & mulctæ pecuniariæ. In quinta Sessione duo itidem Decreta edita sunt, unum de peccato Originali, alterum de Reformatione. De-

cretum de peccato Originali quinque complectitur Canones, quorum primus ſtatuit, Adamum per divini mandati tranſgreſſionem excidiſſe ex ſanctitate, ex juſtitia, in qua conſtitutus fuerat, eumque ſecundùm corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe. Secundus Canon anathemate ferit eos, qui Adæ prævaricationem ipſi ſoli, & non ejus propagini nocuiſſe aſſerunt. Tertius Canon definit, peccatum Originale transfundi ab Adamo ad omnes ejus poſteros. Quartus Canon dicit anathema illis, qui parvulos, recentes ab uteris matrum, baptizandos negant, etiamſi fuerint à baptizatis parentibus orti. Quintus denique Canon anathemate percellit eos, qui per Jeſu Chriſti gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum Originalis peccati remitti negant; vel aſſerunt, non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed tantùm radi, aut non imputari. Definit etiam idem Canon quintus, Concupiſcentiam, quæ remanet in renatis, ſeu baptizatis, non eſſe verè, & propriè peccatum, nec nocere poſſe ei non conſentientibus, & per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus, ac ſubinde Deum in renatis nihil odiſſe, & concupiſcentiam, quæ in illis remanet, peccatum à *Paulo* Apoſtolo dici, non quod reverâ peccatum ſit, ſed quia ex peccato Originali proficiſcitur, & ad peccatum inclinat. Ad calcem iſtius Canonis quinti declarat Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto de peccato Originali Beatam Virginem *Mariam* Deiparam, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones *Sixti IV.* Summi Pontificis. Alterum Decretum *de Reformatione*, quod in eadem Seſ-

Sessione quintâ promulgatum est, duo continet capita. Primum est de instituendo Theologo in singulis Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis, necnon in Collegiatis insignium Oppidorum, pro lectione Scripturæ Sacræ, & de assignandâ ei Præbendâ, vel alio stipendio congruo. Alterum caput, quod Evangelii prædicationem spectat, decernit, omnes Episcopos teneri per se ipsos, si legitimè non fuerint impediti, ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium: Si verò contigerit eos legitimo detineri impedimento, teneri juxta formam Concilii Lateranensis, Viros idoneos assumere ad hujusmodi prædicationis officium salubritèr exequendum. In Sessione sexta duo pariter edita sunt Decreta; unum in quo Catholica declaratur doctrina *De justificatione* sexdecim Capitibus, & hæreticorum errores, præsertim *de extincto hominis Arbitrio post Adæ peccatum: De justificatione impii per solam Fidem: De justificatione per solam imputationem justitiæ Christi, exclusà gratia sanctificante intrinsecà & inhærente: De justificatione per Fidem, seu fiduciam divinæ misericordiæ, quà quis certò credit, sibi propter Christum remissa esse peccata: De impossibilitate mandatorum Dei: De inamissibilitate justificationis, nisi per peccatum infidelitatis: De non admittendo Purgatorio post hanc vitam: De excludendis à justificatione bonis operibus, & rejiciendis justificatorum meritis &c.* De his, inquam, & aliis, quæ ad hominum justificationem attinent, Capitibus, errores hæreticorum tribus supra triginta Canonibus fuerunt damnati. Alterum ejusdem Sessionis sextæ Decretum, quod est de Reformatione, complectitur Capita quinque. Primum decer-

decernit, teneri Prælatos residêre in suis Ecclesiis. Secundum statuit, Presbyteros Beneficiatos, habentes curam animarum, per Ordinarios ad residentiam esse cogendos. Tertium definit, excessus Clericorum ac Regularium degentium extra Monasterium, corrigi debere ab Ordinario loci, tanquàm Sedis Apostolicæ delegato. Quartum sancit, Ecclesias quascumque majores, earumque personas posse ab Episcopis visitari, quotiès opus fuerit. Quintum denique declarat, nulli Episcopo licêre Pontificalia in alienâ exercere Diœcesi, nec Ordines conferre, nisi volente & consentiente loci Ordinario. In Sessione septima Concilii Tridentini duo etiam promulgata sunt Decreta, quorum unum spectat Sacramenta à Christo Domino instituta; Alterum est de Reformatione. Primum continet quindecim Canones de Sacramentis in genere, quatuordecim de Baptismo in specie, & tres de Sacramento Confirmationis, quibus damnantur recentes circà Catholicam de Sacramentis doctrinam Hæreticorum errores. Alterum ejusdem Sessionis septimæ Decretum, quod est de Reformatione, quindecim constat Capitibus, quibus damnatur pluralitas Beneficiorum incompatibilium, & præscribuntur dotes, examen, cæteraque id genus, quæ prærequiri debent ab his, qui ab Episcopis ad Beneficia promoventur. In octava Sessione, propter luem Tridenti exortam, publicatum est Decretum de transferendo Concilio Bononiam, ubi duæ Sessiones habitæ sunt, nona videlicèt, & decima, in quibus tamen nihil decisum est, sed tantùm prorogationis Decretum promulgatum est, quod omnibus Patribus placuit. Hæ

decem

decem Sessiones habitæ sunt sub *Paulo III.* Pontifice Maximo, sed eo mortuo die x. mensis Novembris MDXLIX. *Julius III.* ejus Successor Concilium è Bononia Tridentum anno MDL. reduxit, sexque Sessiones sub eodem Pontifice fuerunt celebratæ.

D. Perge, si placet, eâdem brevitate cum claritate conjunctâ summatìm ea describere, quæ acta sunt in his Sessionibus Oecumenici Concilii Tridentini, quæ sub *Julio III.* Pontifice Maximo habitæ sunt.

M. In Sessione Concilii Tridèntini XI. & quæ prima est sub *Julio III.* Romano Pontifice, quæque Tridenti habita est die I. mensis Maji anni MDLI. duo lecta sunt ejusdem Summi Pontificis Diplomata, unum videlicèt de resumendo Concilio, alterum de eodem Concilio ad Civitatem Tridentinam reducendo, ac de Legatis sive Præsidibus ad illud moderandum electis. In duodecima Sessione, quæ fuit secunda sub *Julio III.* Pontifice Maximo, nihil definitum est, sed dumtaxat prorogata Sessio, in qua de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, necnon de his, quæ ad Reformationem, vel ad faciliorem & commodiorem Prælatorum residentiam pertinebant, agendum monuit Sacra Synodus. In decima tertia Sessione, quæ sub *Julio III.* fuit ordine tertia, edita sunt tria Decreta, quorum primum est de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, quo octo Capitibus traditur & explicatur doctrina Fidei de Eucharistiæ Sacramento, & undecim Canonibus proscribuntur Hæreticorum errores contra realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento; contra Transubstantiationem, seu conversionem

sub-

substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi Domini, contra Festivitatem in honorem Corporis Christi Domini institutam, & contra antiquissimum Ecclesiæ morem asservandi in pixide Eucharistiam, eamque ad infirmos deferendi; quem usum damnant hæretici Lutherani, quòd velint Corpus Christi non esse permanenter in Eucharistia, sed solùm in actuali illius usu, seu comestione. Alterum ejusdem Sessionis decimæ tertiæ Decretum, quod est de Reformatione, octo similitèr complectitur Capita, quæ Prælatorum jurisdictionem spectant, & Appellationibus modum imponunt. Tertium ejusdem Sessionis Decretum continet Salvum conductum, quem Sancta Synodus Tridentina concessit Hæreticis Protestantibus, qui audiri postulabant supra quatuor de Eucharistia Articulis, quorum subindè definitionem prorogavit Sacra Synodus. Hi porrò erant Articuli: I. *An necessarium sit ad salutem & divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum Venerabile Eucharistiæ Sacramentum accipiant*: II. *Nùm minùs sumat qui sub alterà, quàm qui sub utraque specie communicat?* III. *An erraverit Sancta Mater Ecclesia, Laicos & non celebrantes Sacerdotes sub panis specie dumtaxàt communicando?* IV. *An etiam parvuli communicandi sint?* In Sessione decima quarta, quæ sub *Julio III.* Pontifice Maximo est ordine quarta, prolixè exposita est Catholicæ Ecclesiæ doctrina de Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis. Et primò quidèm de Sacramento Pœnitentiæ novem edita sunt Capita, & quindecim conscripti Canones, quibus adversùs hæreticos, pœniten-

nitentiæ osores, definitum fuit, I. Pœnitentiam esse Sacramentum à Christo Domino post Resurrectionem suam institutum. II. Pœnitentiæ Sacramentum esse lapsis post Baptismum necessarium. III. Pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, esse quasi materiam hujus Sacramenti. IV. Formam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in his Ministri verbis. *Ego te absolvo &c.* V. Contritionem includere doloré ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cœtero. VI. Integram apud Sacerdotem peccatorum Confessionem lapsis necessariam esse necessitate medii ad justitiam consequendam. VII. Non ad omnes Christi fideles, sed ad solos Episcopos & Sacerdotes, hæc Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* spectare. VIII. In Ministro Pœnitentiæ, pratèr potestatem Ordinis, requiri jurisdictionem; & Episcopos posse sibi nonnullos reservare Casus, ita tamen ut in articulo mortis nulla sit reservatio. Denique, totam pœnam per Pœnitentiæ Sacramentum non remitti, sed pœnam æternam mutari in pœnam temporalem, seu satisfactionem, quæ pœnitenti à Sacerdote imponi, & cum gravitate criminum proportionata, quantùm fieri potest, esse debet. Iis, quæ spectant Pœnitentiæ Sacramentum, Sancta Synodus Tridentina subjungit tria Capita, & quatuor Canones de Sacramento Extremæ Unctionis, quibus definit primò, Extremam Unctionem esse novæ legis Sacramentum propriè dictum. II. Extremam Unctionem delicta ac peccati reliquias abstergere, alleviare animam ægroti, & corporis sani-

sanitatem interdùm conferre. III. Ministros Sacramenti Extremæ Unctionis esse Presbyteros. Hanc denique Sessionem XIV. concludit Sancta Synodus Tridentina Decreto de Reformatione, tredecim complectente Capita, Ecclesiæ Prælatos, Beneficiarios, vel Clericos spectantia ferè omnia, & inter cætera alia sancit, ut Clerici, qui in Sacris Ordinibus sunt constituti, aut Ecclesiastica Beneficia possident, utantur veste Ordini ac dignitati congruente: Ut voluntarii homicidæ ab Ordinibus arceantur, aut si jam sint ordinati, à ministerio separentur, ac omnibus beneficiis careant: Ut Religiosi, translati ad alium Ordinem, in claustro sub obedientia maneant, & Beneficiorum Sæcularium incapaces existant: Ut nemo juspatronatus obtineat, nisi ex fundatione vel donatione, & ille, qui à legitimo jurispatronatus possessore ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum est præsentatus, non ab alio, quàm ab Ordinario, seu Episcopo, instituatur. In Sessione decimaquintâ duo edita sunt Decreta; unum de proroganda Sessione ad expectandos Protestantium Theologos, sicùt eorum nomine postulatum fuerat à Witembergensis & Saxoniæ Ducum Oratoribus. Alterùm Decretum fuit de novo Salvo-Conductu, seu publicæ securitatis libello, iisdem Protestantibus concedendo, ad normam illius, qui olim Bohemis in Concilio Generali Basileensi datus fuerat. In Sessione decimâ sextâ, quæ habita est die XXIII. mensis Aprilis anni MDLII. cùm Germania multis bellis ac perturbationibus esset infestata, suspensum est Concilium Generale Tridentinum, Patribus omnibus consentientibus, exceptis

ptis duodecim ex Hispania Episcopis,qui assentiri noluerunt. Ad decennium autem duravit hæc Concilii Tridentini suspensio, quæ nec tolli potuit sub *Marcello II.* successore *Julii III.* nec sub *Paulo IV.* post *Marcellum II.* electo, sed tandèm sub *Pio IV.* Pontifice Maximo sublata est, & resumptum ac continuatum Concilium Oecumenicum Tridentinum, atque in eo novem postremæ Sessiones sub eodem Pontifice *Pio IV.* habitæ sunt.

D. Supersunt itaque novem adhùc Sessiones in Concilio Generali Tridentino sub *Pio IV.* Pontifice Maximo celebratæ, quarum subindè Synopsim hìc continuato ordine exhibere debes, quò plenam & integram rerum omnium, quæ in viginti quinque Concilii Tridentini Sessionibus gestæ ac statutæ sunt, notitiam habere possim.

M. Congregato iterùm Concilio Tridentino anno MDLXII. cœpta est die XVIII. mensis Januarii ejusdem anni decima septima Sessio, quæ prima fuit sub *Pio IV.* & in ea lectum ac promulgatum est Decretum de celebrando, seu continuando Concilio Tridentino, quâcumque sublatâ suspensione, juxtà formam & tenorem Litterarum *Pii IV.* ac de tractandis in eo, debito servato ordine, quæ, proponentibus Legatis, apta & idonea magis Concilio viderentur ad levandas horum temporum calamitates, sedandas de Religione Controversias, corrigendos depravatorum morum abusus, abolendas Hæreses, & ad conciliandam veram pacem, ac concordiam Christianam, ubique gentium ejectam ac profligatam. Sessiones XVIII. XIX. & XX. nihil aliud sunt, quàm prorogationes Sessionum, & promulgationum Decreto-

cretorum, tùm in gratiam Protestantium Germanorum, quorum adventus de die in diem expectabatur, & quibus in Sessione XVIII. data est amplissima veniendi ad Concilium securitas, desumptis formulis ex Salvo-conductu, quem Bohemis Concilium Basileense indulserat; tùm etiam in gratiam Episcoporum Gallorum, qui ingenti numero Tridentum accessuri erant; tùm denique propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam ut congruentiùs, majorique cum deliberatione omnia procederent, nimirùm ut dogmata, cum iis, quæ ad reformationem spectabant, simùl tractarentur & sancirentur. In Sessione vigesima primâ, Doctrina Ecclesiæ Catholicæ de communione sub utrâque specie, & parvulorum, quatuor Capitibus est declarata, & erronea Hæreticorum Dogmata, huic doctrinæ opposita, quatuor itidèm Canonibus fuerunt damnata, ac definitum contra illos primò, Laicos & Clericos non conficientes, non adstringi jure divino ad communionem sub utrâque specie. Secundò, justis de causis ab Ecclesia abrogatam fuisse consuetudinem communicandi sub utrâque specie. Tertiò, nullâ gratiâ ad salutem necessariâ eos defraudari, qui sub unâ tantùm specie communicant. Quartò, Parvulos nullâ obligari necessitate ad Eucharistiæ communionem. His Capitibus & Canonibus Sessionis vigesimæ primæ, ad Fidem Catholicam spectantibus, adjungit Sancta Synodus Tridentina Decretum de Reformatione, novem complectens capita, in quibus decernit primò, ut nihil Episcopi, aut alii Ordinum Collatores, vel eorum Ministri pro Ordinum Collatione, vel pro litteris dimissoriis

soriis aut testimonialibus etiàm spontè oblatum, quovis prætextu accipiant, & contrarias huic Decreto consuetudines ait Sancta Synodus esse abusus, & corruptelas simoniacæ pravitati faventes. Secundò, statuit Sacra Synodus, ut nullus absque Beneficii, aut Patrimonii titulo ad Sacros Ordines promoveatur. Potest tamen Episcopus aliquem absque titulo ordinare, sed tunc tenetur Ordinato alimenta suppeditare. Tertiò, potestatem dat Sacra Synodus Episcopis uniones perpetuas faciendi in casibus à jure permissis. Quartò, præcipit Sancta Synodus, ut Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia Disciplinæ, & Beneficia quæcumque, ab Episcopis visitentur; si verò in eis vigeat Disciplina regularis, admoneantur paternè eorum Superiores ab iisdem Episcopis: si autem sex post admonitionem mensibus illi negligentèr se gerant, tunc Episcopi ea Monasteria visitare possint, & Monachos, vel Canonicos Regulares corrigere. Quintò, jubet Sancta Synodus, ut Quæstorum nomen & officium penitùs aboleantur. Quæstores autem dicebantur ii, qui colligebant eleemosynas, quas erogabant hi, quibus Indulgentiæ concedebantur; sed quia isti Quæstores suâ potestate abutebantur,& multis adhibitis fraudibus pecunias è simplicis plebis pietate in suum proprium commodum emungebant; necessarium omninò visum est Patribus Concilii Tridentini illos penitùs abolere,& facultatem promulgandi Indulgentias, & alias Sedis Apostolicæ gratias, transferre in Episcopos, qui oblata à fidelibus in pios usus subsidia, seu eleemosynas, absque ullâ mercede colligerent. In Sessione vigesima

ſecunda explicarunt Patres Concilii Tridentini doctrinam Catholicam de Sacrificio Miſſæ octo Capitibus, & Hæreticorum errores huic oppoſitos damnarunt novem Canonibus, quibus definierunt primò, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis & vini Corpus & Sanguinem ſuum Deo Patri obtuliſſe, & Apoſtolis, quos in ultima Cœna novi teſtamenti Sacerdotes conſtituit, ut ea ſub earumdem rerum Symbolis offerrent, præcepiſſe. Secundò, Euchariſtiam eſſe verum ac viſibile Sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis. Tertiò, Miſſam offerri quidèm in honorem Sanctorum, non autem ipſiſmet Sanctis, ſed Deo ſoli Optimo Maximo. Probarunt deindè Patres ejuſdem Concilii Canonem Miſſæ, ex quo Hæreſiarcha *Lutherus* temerè verba omnia expunxerat, quibus innui poterat, Miſſam eſſe verè ac propriè dictum Sacrificium. Commendarunt inſupèr ſolemnes Miſſæ Sacrificii cœremonias, & confirmarunt uſum miſcendi aquam cum vino in Calice offerendo. Huic Catholicæ de Sacrificio Miſſæ doctrinæ ſemel expoſitæ, & ab Hæreticorum erroribus vindicatæ, ſubjiciunt Patres Concilii Tridentini Decretum de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ, jubentque Epiſcopis, ut cum omni ſollicitudine curent illos abuſus è medio tollere, quos vel avaritia per importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones; vel irreverentia, dùm videlicèt Miſſæ Sacrificio adſunt fideles abſque compoſito corporis habitu, ſine devoto mentis & cordis affectu, vel immodeſtiâ præ ſe ferentes confabulantur, aut tandèm vana ſuperſtitio per certum quemdam candelarum numerum invexerunt. Prætèr iſtud

istud de observandis & evitandis in Missæ Sacrificio Decretum, aliud Patres Concilii ediderunt *de Reformatione*, quod undecim Capita complectitur, quibus, inter cætera alia, præcipiunt primò, ut veteres de vita & honestate Clericorum Canones innoventur. Ex quo, ut obitèr dicam, facilè intelligere potes, erasse quosdam recentiores Casuistas, qui ausi sunt asserere, omnes antiquos de moribus Clericorum & Christianorum Canones per desuetudinem, seu per non usum, esse penitùs abrogatos. Quod certè falsi apertè evincunt tot præcepta, quæ passim ad observandos antiquos Canones inculcant Patres Concilii Tridentini, eorum ardens desiderium ut instaurarentur, diligens cura, studium, contentio, ut adhùc vigentes sedulò tenerentur, retinerentur collabentes, prorsùs collapsi renovarentur; moderante tamen omnia Christianâ prudentiâ, ne præcipiti zelo pax Ecclesiæ & fidelium concordia perturbaretur. Ex quo liquet, nunquàm sic exolescere posse antiquos Canones Conciliorum ad mores pertinentes, ut eos velùt penitùs abrogatos, & tanquam Lacedœmoniorum, aut Atheniensium leges abolitas pridèm & extinctas, spectare liceat. Semper enim in corde Clericorum, & omnium Christianorum impressi & consignati esse debent, ibique vivere. Semper ad eos conniti & contendere debent omnes Christiani, ac sibi ipsis graviter succensere, quòd ab eorum observatione tam longè absint. Secundò, Patres Concilii Tridentini Decreto *de Reformatione* statuunt, ut hi, qui ad Cathedrales regendas Ecclesias assumuntur, prætèr morum probitatem, eâ scientiâ polleant, quâ injuncti sibi

muneris, angelicis humeris formidandi, possint necessitati satisfacere. Præscribunt etiam, ut ii, qui in dictis Ecclesiis obtinent Beneficia, quibus onera varia sunt annexa, infrà annum Ordines suscipiant requisitos. Cum eo Concilii Decreto praxim suam concilient, si possint, hi, qui ferè nusquàm Sacros Ordines suscipiunt, quamvis fruantur Canonicatibus & Beneficiis, quibus annexum est onus Missam celebrandi. In Sessione vigesimâ tertiâ Patres Concilii Tridentini exposuerunt quatuor Capitibus Catholicam de Ordinis Sacramento doctrinam, & huic oppositos hæreticorum errores Canonibus octo damnarunt, ac definierunt primò, Sacerdotium novæ Legis esse à Christo Domino institutum, & complecti potestatem consecrandi, offerendi & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, necnon peccata dimittendi & retinendi. Secundò, esse septem Ordines, quorum tres dicuntur *Majores*, alii verò quatuor *Minores*. Tertiò, Ordinem esse verè Sacramentum. Quartò, in Sacramento Ordinis imprimi characterem. Quintò, Episcopos, inter cæteros Ecclesiasticos gradus, ad Ordinem Hierarchicum præcipuè pertinere. Sextò, in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotũ & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis Sæcularis potestatis & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine eâ irrita sit Ordinatio. Post illam de Sacramento Ordinis Expositionem Fidei, ac errorum damnationem, ediderunt Patres Concilii Tridentini Decretum *de Reformatione* octodecim comprehensum Capitulis, in quorum primò declararunt, eos, quibus incumbit animarum cura, teneri

teneri ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi, residentiam. Quo jure autem, an divino, an verò humano tantùm, Pastores ad personalem residentiam obstringantur? diù multùmque tàm in privatis Theologorum, quàm in Generalibus Patrum Cœtibus disputatum est, ac tandèm definitum, præcepto divino omnibus, quibus animarum cura demandata est, mandatum esse, ut oves suas agnoscant, pro iis Sacrificium offerant, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascant, eaque omnia ab iis Pastoribus nequaquàm præstari & impleri posse, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt. In aliis ejusdem Decreti *de Reformatione* Capitulis Patres Concilii Tridentini circà legitimas causas, propter quas Pastores à suis Ecclesiis, vel Diœcesibus absunt, circà Clericorum Ordinationes, & Seminariorum erectionem, multa decernunt, quæ puriorem veteris Ecclesiæ Disciplinam redolent, quæque si eâ, quâ par est, diligentiâ executioni mandari curarent Episcopi, brevì omni procul dubio suum Clero antiquum restituerent splendorem. In Sessione vigesima quarta Patres Concilii Tridentini exposuerunt doctrinam Catholicam de Sacramento Matrimonii, declarando illud esse verum novæ Legis Sacramentum, & indissolubile, atque duodecim Canonibus damnando errores Hæreticorum, qui primò negabant, Matrimonium esse propriè dictum Sacramentum novæ Legis. Secundò, dicebant, nullâ Lege divinâ prohibitum esse Christianis plures simul habere uxores. Hinc est, sicut alibi observavimus, quòd *Lutherus*, aliique illius

Sectæ Coriphæi, Hassiæ Lantgravio Poligamiam permiserint. Tertiò, affirmabant, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia. Quartò, pertendebant, Ecclesiam errare, cùm docet, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi. Quintò, docebant, Ordines Sacros, aut solemnem in approbata religione professionem non esse matrimonii impedimenta dirimentia. Hos, & alios ejusmodi Hæreticorum errores postquàm duodecim canonibus damnarunt Patres Tridentini, Decretum ediderunt *de reformatione matrimonii* complectens capita decem, ac primò edixerunt, matrimonia clandestina fuisse valida, quamdiù Ecclesia ea irrita non declaravit, sed deinceps fore invalida, si alitèr quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentiâ, & duobus, vel tribus testibus, contracta fuerint. Secundò, sanxerunt, rata & valida esse matrimonia à filiis familias sine consensu parentum contracta. Tertiò, varia statuerunt de proclamationibus necessariò præmittendis ad celebrationem matrimonii; de cognatione spirituali, de impedimento publicæ honestatis, de affinitate, de raptu, aliisque matrimonii impedimentis. Hoc Decretum, ad matrimonii reformationem spectans, aliud subsequitur Decretum de morum ac disciplinæ reformatione, quod uno & viginti Capitulis continetur. Denique, in Sessione vigesima quinta, quæ fuit ultima, Patres Concilii Tridentini varia ediderunt Decreta de Purgatorio, de invocatione, veneratione ac reliquiis Sanctorum, Sacris Imaginibus, De Indulgentiis, nec-

non

non de approbandis consuetudinibus ac Sanctionibus Ecclesiæ, quæ ab Hæreticis impugnabantur, videlicet de ciborum delectu, Jejuniis, & diebus festis. Post Decreta Dogmatica, Sanctiones viginti duas *De Regularium Disciplina* promulgarunt Patres, quibus alia addiderunt Decreta, Primum videlicet de Indice librorum, Catechismo, Breviario & Missali. Alterum de loco Oratorum, quorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum jura & privilegia illæsa, & salva esse Concilium declarat, & in eodem statu permanere, quo extabant ante Synodum. Tertium Decretum spectat ipsius Synodi Tridentinæ executionem. Quartum est de legendis omnibus ejusdem Synodi Decretis, quæ sub Summis Pontificibus *Paulo III.* & *Julio III.* condita fuerant, & ad Dogmata & ad mores attinebant, quod universis Patribus placuit, & peractum est. Ultimum Decretum est de finienda Synodo, & de confirmatione omnium Definitionum ac Decretorum, quæ in Synodo Tridentina edita fuerant, petendâ à Summo Pontifice *Pio IV.* Sic sessioni vigesimæ quintæ, seu ultimæ, finem imposuerunt Patres Tridentini die XV. mensis Decembris anni MDLXIII. & rerum omnium, quæ in Concilio definierant, decreverant, ac declaraverant, confirmationem impetrarunt ab eodem Summo Pontifice, qui, singulari ad hoc concessâ Bullâ XVII. Kalend. Februarii anni MDLXIV. Concilium Tridentinum, seu Oecumenicum, recipi, & ab omnibus observari mandavit. Hoc pacto conclusum ac finitum tandem est Concilium Generale Tridentinum, pluriès licèt variis temporum injuriis intermissum, bellorum procellis ja-

ctatum, & inimicorum insidiis turbatum, post elapsum decem & octo annorum intervallum, post habitas viginti quinque Sessiones Patrum, post varia pro reformatione & Disciplina Ecclesiæ condita Decreta, post quinque visos successivè Romanos Pontifices, *Paulum III. Julium III. Marcellum II. Paulum IV.* & *Pium IV.* post denique viginti sex supra centenos sancitos Canones, quorum triginta tres de justificatione, tredecim De Sacramentis in genere, quotuordecim de Baptismo, & tres de Confirmatione editi sunt in Sessione sextâ sub *Paulo III.* Romano Pontifice. In sessione verò decimâ tertiâ sub *Julio III.* Summo Pontifice promulgati sunt Canones XI. de Eucharistiæ Sacramento, & in Sessione decimà quartâ confecti canones quindecim de Sacramento Pœnitentiæ, & quatuor de Extrema Unctione. Denique, sub *Pio IV.* Romano Pontifice triginta tres editi sunt Canones, videlicet in Sessione vigesima prima quatuor Canones de Communione sub utraque specie: In vigesima secunda Sessione novem Canones De Sacrificio Missæ: in vigesima tertia Sessione octo Canones de Sacramento Ordinis: tandem in vigesima quartâ Sessione duodecim Canones de Sacramento Matrimonii. Ex eo subducto calculo exsurgit numerus centum & viginti sex Canonum, qui in Tridentina Synodo Generali editi sunt, quosque, ut verbis utar *S. Leonis Magni* Epistola LXXXIV. Veteris Editionis, *Spiritu Dei conditos, & totius Orbis reverentià consecratos* suscipere, venerari, atque ad eorum normam mores Fidemque suam omnes Christiani exigere debent, si salvi esse velint.

D. Ca-

D. Catechiſmus ille, qui ſub nomine Concilii Tridentini circumfertur, ac vulgò *Catechiſmus Concilii Tridentini* appellatur, fuitne reverà editus à Patribus in Oecumenica Synodo Tridentina congregatis?

M. Catechiſmus Concilii Tridentini juſſu Patrum ejuſdem Concilii compoſitus fuit à tribus Ordinis FF. Prædicatorum Patribus, videlicèt à *Leonardo Marini* Archiepiſcopo Lancianenſi, *Ægidio Foſcario* Epiſcopo Mutinenſi,& *Franciſco Forerio*, Concilii Tridentini Secretario, eumque latinitate & ſtylo Ciceroniano donavit *Paulus Manutius*, vir omnis elegantiæ, atque virtutis & totius antiquitatis ſtudioſiſſimus. Hunc Catechiſmum, non ſolùm delectu verborum & latini ſermonis puritate, ſed etiam gravitate Sententiarum, ubertate & ſecuritate doctrinæ eximium, Apoſtolicâ authoritate approbarunt Summi Pontifices *Pius V.* & *Gregorius XV.* Ejus utilitatem ſæpiùs *S. Carolus Borromæus* Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, impensè commendavit, eumque, tanquam genuinum Concilii Tridentini fætum & interpretem, recipit univerſa Eccleſia. Ratio autem,quâ potiſſimùm Patres Concilii Tridentini moti ſunt, ut hic Catechiſmus ſub nomine Concilii prodiret in lucem, hæc fuit: Hæretici Lutherani, Calviniſtæ, & alii, qui tum temporis fidelium mentes corrumpere ſibi propoſuerant, cùm fieri nullo modo poſſe intelligerent, ut cum omnibus coràm loquerentur, & in eorum aures venenatas voces infunderent; idem aliâ ratione aggreſſi, multò faciliùs ac latiùs impietatis errores diſſeminarunt. Nam pretèr ingentia illa Volumina, quibus Catholicam fidem ever-

evertere conati sunt, infinitos etiam libellos conscripserunt, qui, cùm pietatis speciem præ se ferrent, incredibile est, quàm facilè incautos simplicium animos deceperint. *Quamobrem* (ut legitur in Præfatione ejusdem Concilii Tridentini) *Patres Oecumenicæ Tridentinæ Synodi, cùm tanto & tam pernicioso huic malo salutarem aliquam medicinam adhibere maximè cuperent, non satis esse putarunt graviora Catholicæ Doctrinæ capita contra nostri temporis Hæreses decernere, sed illud præterea sibi faciendum censuerunt, ut certam aliquam formulam, & rationem Christiani Populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi traderent, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi Pastoris, & Doctoris munus obeundum esset. Patribus* itaque *visum est maximè referre, si liber Sáctæ Synodi auctoritate ederetur, ex quo Parochi, vel omnes alii, quibus docendi munus impositum est, certa præcepta petere, atque depromere ad fidelium ædificationem possent, ut quemadmodùm unus est Dominus, una Fides, ita etiam una sit tradendæ fidei, ad omniaque pietatis officia populum Christianum erudiendi communis regula atque præscriptio.* Hunc igitur Concilii Tridentini Catechismum, qui maximâ in Catholica Ecclesia authoritate pollet, tanquam Fidei nostræ Enchiridion, Pastores, & alii, quibus, cura incumbit animarum, nocturnâ debent versare manu, versare diurnâ, quò populum sibi à Deo creditum salutari doctrinâ instituere, & ad bonos mores sedulò informare possint.

D. Fueruntne aliqua Concilia Nationalia seu Provincialia celebrata ad promovendam executionem, seu observationem rerum, quæ tùm ad Fi-

Fidem Catholicam contra Hæreticos tutandam, tum ad instaurandam contra pravitatem morum Ecclesiasticam Disciplinam decretæ ac definitæ sunt in Concilio Generali Tridentino?

M. Plurima in variis Orbis Christiani partibus Episcopi Concilia Nationalia, seu Provincialia, celebrarunt, ut ea, quæ in Concilio Oecumenico Tridentino tam circà Fidem, quàm circà emendationem morum statuta ac sancita fuerant, executioni mandarentur, & ab omnibus fidelibus, eâ, quâ par erat, obedientiâ ac sedulitate observarentur. Referam in primis Concilia Nationalia seu Provincialia, quæ in Galliis habita sunt, dein, ea, quæ in Italia; denique, ea, quæ in Hispania & in Belgio fuerunt convocata. Inter Concilia Nationalia seu Provincilia, quæ Sæculo XVI. post Concilium Tridentinum habita sunt, primum tenet locum Concilium Remense, quod anno MDLXIV. indictum est à *Carolo à Lotharingiâ* Cardinali Archiepiscopo Remensi, & ex Ducum Lotharingiæ prosapia Principe, qui statim ac ex Concilio Tridentino, cui interfuerat, in Galliam esset reversus, Concilium Remense convocavit, & in eo publicas Deo gratias egit, quòd Generalem Synodum Tridentinam finitam vidisset, & Provincialem primam Synodum in Galliis post Oecumenicam Synodum Tridentinam primus omnium Metropolitanorũ celebrasset, viamq; cæteris aperuisset. Hæc Synodus Remensis, in qua viginti Statuta ad Ecclesiasticæ Disciplinæ emendationem edita sunt, novemdecim Congregationibus fuit absoluta, in quarum quartâ Episcopi, Abbates, ac cæteri, qui huic Synodo intererant, professionem Fidei emiserunt,

con-

contestantes, se *firmâ fide* complecti & tenere *omnia, quæ de Fide in superioribus Oecumenicis Conciliis, & novissimè in Sancta Generali Synodo Tridentina sunt definita, & insuper de septem Ecclesiæ Sacramentis, inprimis de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & Missæ Sacrificio, cæterisque dogmatibus adversùs Hæreses iis temporibus exortas, sentire & credere cum eadem Synodo damnantes & detestantes omnem hæresim, quam eadem Sancta Synodus damnavit & anathematizavit*. Contigit autem in Congregatione XI. eiusdem Synodi Remensis res quædam observatione digna, quam hìc silentio prætermittere non debeo. In ea quippè Congregatione XI. actum est de Causa *Odeti Castillionei* Cardinalis & Episcopi Bellovacensis, qui erat unus ex Suffraganeis Provinciæ Remensis, & apertè à Fide Catholica defecerat. Fratres huius hæretici Cardinalis & Episcopi Bellovacensis, *Gaspar* Admiralius, seu summus in Regno Galliæ rerum maritimarum Præfectus, & *Franciscus*, natu minor, erant præcipui fautores & duces Hæreticorum Calvinistarum in Galliis, quorum armis strenuè obstiterunt Principes Lotharingii duo, *Franciscus* Dux Guisius (qui erat frater *Caroli à Lotharingia* Cardinalis Archiepiscopi Remensis) & *Henricus Guisius*, filius *Francisci*. Hi ambo præcipui erant Catholicorum duces ac acerrimi defensores; undè internecina odia Guisianos inter & Castillioneos exarsere. Cùm igitur Causa *Odeti Castillionei* Cardinalis & Episcopi Bellovacensis, Catholicæ Fidei desertoris, in hac Congregatione XI. ageretur, iamque omnibus constaret, eum ob hæresim à *Pio IV.* Pontifice Maximo citatum ex forma juris, nec Romæ se-

sisten-

ſiſtentem, habito Cardinalium conſilio, exauctoratum fuiſſe, & affixis per Urbem ſchedulis anathemate damnatum; noluit tamen *Carolus à Lotharingia* Cardinalis, & hujus Concilii Remenſis Præſes, in hac Cauſa *Odeti Caſtillionei* Cardinalis hæretici ſedêre tanquam judex, eò ſolo nomine, quòd inter ſuam & Caſtillioneorum familiam graves iam pridèm intercederent offenſiones ac ſimultates, etſi ipſe nullas cum eo gereret inimicitias. Hujus itaque Cauſę diſcuſſionem ac judicium ferendum permiſit iſtius Synodi Epiſcopis, quorum tandem hæc ſententia fuit, ut ſcriberetur ad Regem Chriſtianiſſimum, qui pro ſua pietate declararet, *Odetum Caſtillioneum* Cardinalem & Epiſcopum Bellovacenſem, ob hæreſim exauctoratum, omninò excidiſſe ab adminiſtratione Eccleſiæ Bellovacenſis cùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus, adeòque alium Epiſcopum in eius locum ſufficiendum eſſe. Ad hanc Remenſem Synodum ut venirent, citati ſunt Epiſcopi Provinciæ Cameracenſis, qui tamen venire renuerunt, eò quòd per *Pauli IV.* Pontificis Maximi Decretum à Provincia Remenſi, cujus olim Suffraganei extiterant, fuiſſent divulſi, eorumque Eccleſia, ſeu Cameracenſis, in Metropolim fuiſſet erecta, quod *Pauli IV.* Decretum *Pius IV.* ejus ſucceſſor, novo Diplomate confirmavit. Quapropter, Epiſcopi Provinciæ Cameracenſis, ut notum facerent, ſe neque dignitatis gradu, neque pietatis ſtudio, neque in Eccleſiam affectu, Remenſis Provinciæ Epiſcopis inferiores eſſe, aliud Concilium, ſeu Cameracenſe, anno MDLXV. ſeorsùm ab illis celebrarunt, Pręſide *Maximiliano à Bergis*, Archiepiſco-

ſcopo & Duce Cameracenſi, & in eo viginti duo Decreta, quæ Diſciplinæ emendationem ſpectant, & pluribus Capitulis, ſeù Titulis conſtant, condiderunt, atque Concilium Generale Tridentinum receperunt hac verborum formulâ: *Ego N. omnia & ſingula, quæ in ſancta Synodo Tridentina definita & ſtatuta ſunt, palàm recipio; necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeo & profiteor; ſimulque hæreſes omnes à ſacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, præſertimque à prædicta Synodo Tridentina damnatas, publicè deteſtor & anathematizo.* Utriuſque Archiepiſcopi, Remenſis, & Cameracenſis, in celebrandis Conciliis, & recipiendis Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Decretis, zelum ac pietatem æmulati ſunt alii Eccleſiæ Gallicanæ Archiepiſcopi. Sereniſſimus Princeps *Carolus Borbonius*, Cardinalis, & Archiepiſcopus Rhotomagenſis anno MDLXXXI. indixit in ſua Metropoli Concilium, Rhotomagenſe dictum, in quo Epiſcopi inhærentes definitionibus, ac Decretis Concilii Tridentini, *univerſos, qui alitèr quàm Catholica, Apoſtolica & Romana credit ac prædicat Eccleſia, credere & pertinaciter aſſerere attentant*, velùt hæreticos & pertinaces, atque à communione Fidelium ſeparatos, declararunt, & aliquot Decreta diſciplinam Eccleſiæ ſpectantia ediderunt, videlicet: *De Epiſcopis, & Capitulis*: *De Epiſcoporum Officiis*: *De Curatorum & aliorum Presbyterorum, ac Parochianorum Officiis*: *De Monaſteriis*: *De Juriſdictione Eccleſiaſtica*: *De Scholarum & Seminariorum fundatione & regimine*. Hanc tamen, præ cæteris aliis, Sanctionem, quæ legitur Capite nono illius Concilii, quęque iſtis temporibus, & præ-

præsertim hisce locis maximè necessaria est, diligenter attendas velim : *Cùm deceat domum Dei sanctitudo, ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus : sit ad Ecclesiam humilis & devotus ingressus, sit in ea devota conversatio Deo grata, inspicientibus devota, quæ considerantes non solùm instruat, sed reficiat. Cessent in Ecclesiis confabulationes quælibet, cessent vana & multò potiùs fœda colloquia & prophana; eò nec libri nisi orationis & pietatis, nec alia nisi sancta inferantur. Cessent postremò quæcumque divinum possunt perturbare Officium, aut oculos divinæ Majestatis offendere, ne ubi peccatorum est venia petenda, ibi peccandi detur occasio &c.* Ad hanc utilissimam Sanctionem utinàm animum tantispèr adverterent illi, qui festivis præcipuè diebus in sacris Templis immodestè obambulant, vel altero genu terram contingunt, erecto altero, cui lævus innitatur cubitus, vel nugas obganniunt in aurem vicini, vel hùc illùc circumferunt vagos oculos, vel denique inani vocum boatu, aut modulato Musicorum cantu & organis, quibus perstrepunt templa, nimiùm delectantur; non quòd Musicam corporalem damnem, si modicè, si sobriè, cultuque divino digna in templis adhibeatur, sed ut ostendam ista nihil esse, si absit tacitus ille pietatis affectus in Deum, quæ Deo cantio est gratissima, etiamsi nullus vocum & instrumentorum Musicorum strepitus accedat. *Ludovicus à Lotharingia* Cardinalis, dictus *à Guisia*, Remensis Archiepiscopus, Patrui sui *Caroli à Lotharingia* Cardinalis itidèm, & Remensis Archiepiscopi, cujus anteà mentionem fecimus, pietatem æmulatus, alte-

alterum Concilium Remense anno MDLXXXIII. celebravit, in quo primùm de Catholicæ Fidei professione, juxta definitiones Concilii Tridentini & Formulam à *Pio IV.* Pontifice Maximo prescriptam, actum est; dein, de vita & moribus, habitu, tonsura, & Officiis Clericorum edita sunt viginti septem Decreta. Eodem anno, seu MDLXXXIII. *Antonius Prevotius Sansacus*, Archiepiscopus Burdigalensis, Synodum convocavit, stabiliendarum Tridentini Concilii Sanctionum causâ, ex quibus triginta sex Decreta, quibus in hoc Provinciali Burdigalensi Concilio Ecclesiasticæ Disciplinæ consuluit, ferè omnia mutuatus est, ut ipsemet declarat in ejusdem Synodi Provincialis publicatione. Ad eumdem annum, seu MDLXXXIII. referri debet Concilium Turonense, quod *Simon à Maillè* Turonensis Archiepiscopus habuit, in quo Tridentini quoque Concilii Decreta Fidem spectantia suscepit, & secundùm ea Fidei professionem edidit, atque Disciplinam Ecclesiasticam circà Episcopos, Clericos, Monachos, & Laïcos, ex ejusdem Concilii Tridentini Decretis emendavit, ut scribit idem Archiepiscopus ad Gregorium XIII. Summũ Pontificem his verbis: *Habebit ergò tua Sanctitas tuorum humillimorum servorum Turonensis Provinciæ Patrum Decreta, è Tridentino tuo excerpta Concilio, pro temporis instantis usu, conditione & necessitate.* Paulò post celebrationem illius Concilii Provincialis Turonensis, *Reginaldus de Beaulne* Archiepiscopus Bituricensis anno MDLXXXIV. Concilium Bituricense celebravit, in quo variis Decretis, ex Tridentina Synodo maximam partem desumptis, Disciplinam Ecclesiæ instauravit. Anno verò sequenti,

quenti, seù MDLXXXV. *Alexander Canigianus*, Aquensis Archiepiscopus, Concilium Aquense coëgit, in quo professionem Fidei, juxtà Synodi Tridentinæ definitiones, emisit, ac in Synodis Diœcesanis emitti statuit, atque tribus supra quadraginta Constitutionum Capitibus Disciplinam Ecclesiæ, secundùm ejusdem Synodi Tridentinæ Decreta, reparavit. His Provincialibus Synodis, quæ ad executionem, & observantiam Decretorum Oecumenici Concilii Tridentini in Galliis Sæculo XVI. habitæ sunt, duas dumtaxat adjungam, Tolosanam videlicet & Avenionensem, quarum primæ, seù Tolosanæ, quæ indicta fuit anno MDXC. præfuit *Franciscus à Joyosa* Cardinalis & Archiepiscopus Tolosanus, & in eâ de emendatione morum, de vita & honestate Episcoporum, Parochorum, & Clericorum, sanctissimæ conditę sunt Leges, quarum magna pars habetur in Decretis Concilii Tridentini. Denique, Synodo Provinciali Avenionensi habitæ anno MDXCVI. præfuit vir amplissimi meriti *Franciscus Maria Taurusius*, Archiepiscopus Avenionensis, & posteà S. R. E. Cardinalis, qui sexaginta quatuor Decreta ad sanciendam Ecclesiæ Disciplinam edidit, Decretis Oecumenicæ Synodi Tridentinæ omninò consentanea. Nec solùm in his Conciliis Provincialibus maximâ cum sollicitudine curarunt Galliarum Archiepiscopi, ut Concilii Tridentini Decreta in Galliis reciperentur, & ad praxim redigerentur, sed etiam totus Clerus Gallicanus, ad generalia Comitia coäctus, frequenter à Christianissimis Regibus postulavit, ut Concilium Tridentinum in Ecclesia Gallicana promulgaretur.

A a Pre-

Preces Cleri Gallicani, pro istâ promulgatione Henrico III. Galliarum Regi porrectæ, habentur in Comitiis Blesensibus, in Actis Conventûs, qui Meloduni anno MDLXXIX. celebratus est; in Actis Conventuum Parisiensium an. MDLXXXV. MDLXXXVI. & MDXCVI. Quæ quidem, pluresque aliæ Cleri Gallicani supplicationes de verbo ad verbum descriptæ reperiuntur Tomo V. *Commentariorum Cleri Gallicani*,

D. Celebraruntne Episcopi Italiæ multa Concilia Provincialia ad promovendam executionem & observantiam Decretorum Concilii Generalis Tridentini?

M. Inter omnes Italiæ Episcopos, qui Sæculo decimo sexto Decretorum Concilii Tridentini executioni ac observationi sedulò invigilarunt, primas jure optimo tenet Sanctus *Carolus Borromæus* Archiepiscopus Mediolanensis, & *Pii IV.* Pontificis Maximi ex sorore nepos, qui, postquàm incredibili studio ac prudentiâ Concilium Tridentinum diu intermissum instaurari ac perfici à suo Avunculo *Pio IV.* curasset, eoque felici successu concluso, ad Ecclesiam suam Mediolanensem esset regressus; in id totus incubuit, ut Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Decreta in tota sua Provincia quàm exactissimè servarentur. Quam ob rem, singulis triennis, dùm vixit, Provinciales Synodos cöegit numero sex, Diœcesanas verò undecim, in quibus perfectissimi regiminis Ecclesiastici formam tradidit, Disciplinam Ecclesiasticam in tota sua Provincia restauravit, & collapsos Cleri populique mores emendavit. Hic, brevitatis ergò, prætermissis undecim Synodis Diœcesanis, pauca tantùm

tantùm dicam de sex Provincialibus Conciliis Mediolanensibus à S. *Carolo Borromæo* celebratis. Horum primum anno MDLXV. convocavit, eique præfuit sanctissimus ille Præsul authoritate fultus Apostolici per universam Italiam à Latere Legati. Saluberrimæ Constitutiones, quas in eo primo Concilio Mediolanensi edidit Sanctus *Carolus Borromæus*, in tres partes sunt distributæ, quarum prima est *De Fide Catholica*. Secunda, *De iis quæ ad Sacramentorum administrationem generatim pertinent*. Tertia, *De piorum locorum administratione*. Diligenter ac sæpiùs has omnes Constitutiones perpendere debes, sed potissimùm illas, quæ in secunda parte leguntur, & quibus statuitur primò, proprium Episcopi esse officium prędicare Verbum Dei. Secundò, prohibetur Confessariis, ne illos, qui bona aliena injustè detinent, ante debitam satisfactionem absolvant, exceptis tamen his, qui periculosè ægrotant, quos sufficit monere, ut id quod debent, quàm primùm persolvant. Tertiò, præcipitur Clericis, ut personati non incedant, ut ab usu armorum abstineant, à venatione, à fabulis, comædiis, hastiludiis, aliisque prophanis spectaculis, choreis privatis aut publicis, ludis aleæ &c. Districtè etiam Clericis prohibetur, ne artem medendi exerceant, negotiationibus & mercaturis sese immisceant, aliorum curam ac tutelam suscipiant, prædia, lucri causâ, conducant, ne pro aliis fidejubeant, neque in famulatu Laicorum maneant indecorè, multominùs fœminis discumbentibus, vel ambulantibus assistant aut ancillentur. Alterum Concilium Mediolanense habitum triennio post, seu anno MDLXIX. comple-

ctitur varia Decreta in tres partes itidèm divisa, quarum prima ea exhibet Statuta, quæ ad Fidem Catholicam tuendam, Sacramenta ministranda, & alia munia Pastoralia spectant. Altera pars ea tradit, quæ ad Missam, Divina Officia, Ecclesiæ cultum, & ad Viros Statui Ecclesiastico addictos pertinent. Postrema pars ea comprehendit Statuta, quæ ad bona & jura Ecclesiarum, piorumque locorum vindicanda necessaria sunt. Tertium Concilium Mediolanense anno MDLXXIII. celebravit Sanctus *Carolus Borromæus*, & in eo pro morum emendatione viginti Decreta edidit. In quarto Concilio Mediolanensi, quod anno MDLXXVI. convocavit idem sanctissimus Præsul, plurima promulgata sunt Decreta *De Sacris Reliquiis, Miraculis, Imaginibus, Indulgentiis, Jejuniis, Festorum dierum observantia, Religiosis peregrinationibus; De sacris locis, & eorum cultu, de Verbi Dei prædicatione, de Scholis Doctrinæ Christianæ, de Sacramentorum administratione, de Divinorum Officiorum celebratione, de Parochis & Parochialibus juribus & Officiis, de Episcopis & eorum conversatione; de vita & honestate Clericorum; de visitatione, de Synodis Provinciali & Diœcesana; de Foro Ecclesiastico; de Regularibus; de Monialibus, de piorum locorum administratione &c.* Quintum Concilium Mediolanense, cui Sanctus *Carolus Borromæus* anno MDLXXIX. præfuit, complura continet Statuta in tres partes distincta. Prima pars ea complectitur, quæ ad tutandam Orthodoxam Fidem, ad dignam Sacramentorum administrationem, & Sacramentalium usum attinent. Altera pars triginta habet Titulos, in quibus cum admirabili prudentiâ & eximiâ charitate copio-

copiosè præscribuntur cautiones, quæ tùm circà sollicitudinem spiritualem adhiberi debent tempore pestis, cùm adhùc recēs esset memoria funestę illius pestis, seu contagionis, quæ per Italiam longè latèque grassata, occasio fuerat sanctissimo Cardinali *Carolo Borromæo* tot præclara edendi specimina summæ prudentiæ, vigilantiæ, præcautionis, & inexhaustæ charitatis, quibus per totam ipsius ferè Diœcesim sævienti ac populanti malo providere, necessitatibus publicis ac privatis occurrere, animarumque saluti consulere summoperè studuit. Tertia pars hujusce quinti Concilii Mediolanensis ea continet Statuta, quæ spectant Sacramentum Ordinis, Clericorum honestatem, Beneficiorum collationem, Divinorum Officiorum celebrationem, Residentiam, Ecclesiarum suppellectilem & fructus, Synodorum Congregationem, Visitationem, & Episcopalem jurisdictionem, Matrimonii disciplinam, Scholarum, Confraternitatum, piorum locorum directionem, & administrationem, Sanctimonialium reformationem &c. Denique, sextum Concilium Mediolanense ab eodem S. *Carolo Borromæo* celebratum est anno MDLXXXII. & in eo triginta Decretis sancita est Ecclesiæ Disciplina, ac in primis statutum est, ut Episcopus suspendat ab audiendis confessionibus eos, quos viderit hoc munere non rectè fungi. Secundò, præcipitur, ut Fideles Sacramento Pœnitentiæ se præmuniant, in agendis rebus in quibus mortis periculum timetur, sicùt in peregrinatione, bello, & similibus. Tertiò, præscribitur Episcopis modus, quo ineunte Quadragesimali tempore plebi suæ invigilare debeant. Quartò, injungitur Sacerdotibus à Missa

celebrandâ suspensis, ut diebus Dominicis & festivis sacram Communionem sumant. Quintò, præfigitur modus, quo piæ defunctorum voluntati satisfieri debeat, quandò eleemosyna tenuis est, vel sufficiunt Sacerdotes pro Missarum celebratione, & quid observari debeat in Missarum reductione. Sextò, prohibetur, ne quis repentinâ morte præventus sepulturæ mandetur ante vigesimam quartam horam post obitum. Septimò, circà Clausuram Monialium statuitur, ne quis absque licentia Ordinarii intra septa Monasterii illarum ingrediatur. Octavò decernitur, ut Episcopus familiam suam in officio & regulis bene vivendi, ad cæterorum exemplum, contineat, & ut Feriâ quintâ in Cœna Domini, in loco, in quo Sanctissimum Corpus Christi reconditur, unus saltem Sacerdos, aut Sacris institutus, excubet ad custodiendum & orandum. Hæ sunt sex Provinciales Synodi Mediolanenses, quas celebravit *S. Carolus Borromæus* Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, de cujus doctrinâ, & in restauranda, valdè id ætatis labefactatâ, disciplinâ Ecclesiæ summâ vigilantiâ, Deo dante, plura dicemus tùm in Colloquio quinto, ubi agemus de Viris Illustribus Sæculi XVI. tùm in Colloquio sexto, in quo præcipua Ecclesiasticæ Disciplinæ ejusdem Sæculi Capita perstringemus. Unum tamen adhuc superest Concilium Provinciale, *Aquilejense* videlicet, anno MDXCVI. à *Francisco Barbaro* Patriarcha Aquilejensi in Italia celebratum, quod hìc silentio prætermittere haud debemus. In eo Concilio Aquilejensi undeviginti Decretorum Capita circà Disciplinam tàm Ecclesiasticam, quàm Monasticam conscri-

pta

pta ac promulgata sunt, quibus, inter cætera alia, circà Moniales præcipitur primò, ut in Monasteriis omnis proprietas procùl exulet. Secundò, ut mensa sit communis, ad quam omnes, exceptis ægrotantibus, conveniant, & sacra lectio adhibeatur. Tertiò, ut silentium, obedientia, humilitas, charitas, ac reliquæ virtutes inter Religiosas personas eluceant. Quartò, ut Regula inter Moniales vernaculâ linguâ scribatur, & frequentèr legatur. Quintò, ut Divinis Officiis diurnis, ac nocturnis sedulò intersint, nisi justa causa excuset.

D. Percense nunc, quæso, Concilia Provincialia, quæ ad promovendam executionem & observantiam Decretorum Concilii Tridentini, cùm Fidem, tùm Disciplinam spectantium, Sæculo XVI. in Hispania fuerunt celebrata, iisque, si placet, nostrum absolvamus Colloquium.

M. Rem profectò immensi operis aggrederer, si omnia Acta, Statuta, ac Decreta Conciliorum Provincialium, quæ in Hispania Sæculo XVI. habita sunt, recensere hìc animus esset. Ne igitur à fine, quem mihi ab initio hujus Operis præstitui, Historiam Ecclesiasticam in rem Theologiæ Candidatorum compendiosâ narratione describendi, in præsentiarum recedere videar, & ne in tam immenso campo vagari cogatur oratio, totam Conciliorum Provincialium, quæ Decretorum Concilii Tridentini executionis & observationis promovendæ causâ in Hispania Sæculo XVI. cöacta sunt, notitiam duabus dumtaxàt observationibus breviter concludam. In primis, observare debes, eodem tempore, quo S. *Carolus* Archiepiscopus

Mediolanensis, ad promulgandas Concilii Tridentini Sanctiones, Concilia Provincialia in Italia celebraret, B. *Toribium Mogrovexum*, Archiepiscopum Limensem in Peruvia, (quæ est amplissima & fertilissima regio in America Meridionali sita, & ab Hispanis *Novus Orbis* appellata) aliquot Concilia Provincialia, & plura Diœcesana ad cultum Dei, propagationem Fidei, Disciplinæ Ecclesiasticæ, & morum reformationem convocasse, ut Peruvianos illos, seu Novi Orbis incolas, longè ampliùs à nobis dissitos, *quàm divisos toto Orbe Britannos*, & adhùc magna ex parte Neophytos, ac veluti primitias Christianismi in Peruvia, peculiaribus quibusdam Decretis, eorumdemque ruditati & conditioni infirmæ adaptatis instrueret documentis, quæ in Conciliis Sanctissimi hujus Archiepiscopi Limensis & Catechismis leguntur. Duo itaque illi Archiepiscopi eodem tempore, tanquàm clarissima Ecclesiæ lumina, præfulserunt, & pari spiritu Apostolico animati, innocentiâ morum, incorrupto virginitatis flore, charitate ardentissimâ erga Deum, & homines, zelo salutis animarum, austeritate vitæ, virtutum omnium apice præcellentes, plures Synodos cùm Provinciales, tùm Diœcesanas celebrarunt, cum eo tamen discrimine, quod Concilia S. *Caroli Borromæi* in lucem edita, & per totam Europam distracta, vivente adhùc S. *Carolo Borromæo*, ab ejus ætate ad hæc usque nostra tempora summam semper celebritatem habuerunt; Limensia verò *B. Toribii* Concilia, utpotè in remotissimis Novi Orbis partibus cöacta, licèt ibidèm magno in pretio semper habita sint, non potuerunt tamen æqualem

lem in Europa nancisci celebritatem, donec occasione Beatificationis hujus Sancti Archiepiscopi *Toribii* non multis abhinc annis Romæ publicâ luce donata fuerunt, & deindè in ampliori forma cum doctissimis Notis Romæ anno MDCXCIII edita ab Eminentissimo Cardinali *Josepho de Aguirre*, in IV. Tomo *Collectionis Maximæ omnium Conciliorum Hispaniæ & Novi Orbis*. Quapropter, si plura scire desideres de his Conciliis Limensibus, quæ ad promovendam in Peruvia, seu in America Meridionali, Decretorum Concilii Tridentini tàm Fidem, quàm Disciplinam & morum reformationem spectantium observantiam B. *Toribius* Archiepiscopus Limensis celebravit, consule doctissimum illum Cardinalem, qui ejusmodi Concilia in longinquis illis regionibus habita, ex MSS. Codicibus accuratè descripta exhibet, & de illis longo latoque calamo disserit loco mox à me laudato. Nec solùm in Peruvia, seu in America Meridionali, sed etiam in *Mexico*, quod est Regnum sub Dominio Regis Hispaniæ in America Septentrionali, celebratum est anno MDLXXXV. Concilium Provinciale, dictum Mexicanum, cui præfuit *Petrus Moya de Contreras*, Ecclèsiæ Mexicanæ Archiepiscopus, quodque Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Decreta tàm Fidem, quàm Disciplinam Ecclesiæ & morum reformationem attinentia suscepit, ac executioni mandari jussit. Omnia istius Concilii Provincialis Mexicani Acta ac Statuta inseruit jam citatus Cardinalis de *Aguirre* Tomo IV. *Collectionis Maximæ omnium Conciliorum Hispaniæ & Novi Orbis*. Extat etiam idem Concilium Provinciale Mexicanum in Tomo ultimo Collectionis Conciliorum

liorum Labbeanæ. Digitum ad fontem intendisse sufficiat, nec enim ut plura de his Conciliis dicamus patiuntur temporis angustiæ. Secundò, observare debes, plures in Regno Hispaniæ ad recipiendum & promulgandum Concilium Generale Tridentinum cöactas fuisse Synodos Provinciales, quarum primam, seu Toletanam, anno MDLXV. indixit, eique præfuit *Christophorus Roxas Sandoval* Episcopus Cordubensis, & in ea omnia Generalis Concilii Tridentini Decreta recipi, & ab omnibus observari debere jussum est his verbis: *Cætera item omnia, quæ à Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè ab eadem Sacrosancta Tridentina Synodo diffinita sunt, tàm in his quæ ad extirpandas Hæreses, quàm in his quæ ad morum Reformationem pertinent, ejusdem Sanctæ Synodi Decretum secuta, recipit, & omninò recipienda ab omnibus esse decernit, Hæresesque omnes ab iisdem Sacris Canonibus, Generalibus Conciliis, & præsertim ab eadem Sancta Synodo Tridentina damnatas detestatur & anathematizat hæc Synodus Toletana.* Eodem anno MDLXV. quo habita est hæc Synodus Toletana, alia Concilia Provincialia ad imperandam in Hispania executionem & observantiam Decretorum Concilii Tridentini fuerunt celebrata, videlicet Concilium Valentinum, Præside Archiepiscopo *Martino Ayola*: Concilium Compostellanum indictum Salmanticæ Præside *Gaspare de Zunniga & Avellaneda* Archiepiscopo Compostellano, posteà Hispalensi, & S. R. E. Cardinali: Concilium Granatense, Præside *Petro Guerrero* Archiepiscopo hujus Urbis: Concilia Bracarense, Cæsaraugustanum, & Eborense, quibus adjungi debet

debet alterum Concilium Provinciale Toletanum anno MDLXXXII. congregatum,& cui præfuit *Gaspar de Quiroga* Cardinalis & Archiepiſpopus Toletanus.Hęc eſt ſeries Conciliorum Provincialium,quę ad recipiendum Concilium Tridentinum, & ad ejus Decretorum, tùm Fidem, tùm Diſciplinam, morumque emendationem ſpectantium, præcipiendam omnibus obſervantiam in Regno Hiſpaniæ celebrata ſunt, quorum Acta, Decreta, ac Statuta legeſis apud ſæpiùs jam citatum Cardinalem de *Aguirre*, qui in Tomo IV. *Conciliorum Hiſpaniæ* prædictas Synodos Provinciales Hiſpaniæ ſummâ diligentiâ deſcripſit, atque doctiſſimis Notis illuſtravit. His Conciliis Provincialibus Hiſpaniæ unum dumtaxàt addam Concilium Provinciale Mechlinienſe, quod Mechliniæ in Belgio ſub dominio Regis Hiſpaniæ anno MDLXX. habitum eſt, Præſide *Martino Rythovio* Epiſcopo Iprenſi, nomine & loco *Antonii* Cardinalis *Granvellani*, Archiepiſcopi Mechlinienſis, in quo præcipitur: *ut omnes & ſinguli, qui ad hanc Synodum convenerunt, ſimpliciter & ſine ulla proteſtatione ea omnia & ſingula, quæ à Sancta Synodo Tridentina definita & ſtatuta ſunt, palàm recipiant, necnon veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeant & profiteantur, ſimulque omnes Hereſes à Sacris Canonibus, præſertim ab eadem Synodo Tridentina damnatas deteſtentur & anathematizent*. Decretis itaque Concilii Generalis Tridentini, quidquid contrà obſtrepant ac frendeant Lutherani, Calviniſtæ, aliique Heretici, conſenſerunt, eorumque obſervantiam imperarunt Gallia, Italia, Hiſpania, Novus Orbis, ſeu America, cùm Meridionalis, tùm

Septen-

Septentrionalis, ac Belgium, ut sole clariùs patet ex tot Synodis Provincialibus, quas percensuimus. Decreta quoque Concilii Tridentini summâ, quâ par est, veneratione suscepta sunt à Catholicis Germaniæ regionibus in Synodo Augustana, quæ ab *Otthone* Cardinali anno MDLXVII. habita est. Suscepta pariter fuerunt à Sicilia, Sardinia, Regno Neapolitano, cæterisque Catholici Regis ditionibus, anno MDLXIV. per solemne Edictum *Philippi II.* Hispaniarum Regis. Suscepta itidèm fuerunt à Lusitania, sicut constat ex *Sebastiani* Regis Litteris ad *Pium IV.* Pontificem Maximum, quas refert Cardinalis *Palavicinus* lib. 24. *Historiæ Concilii Tridentini* cap. 9. Suscepta etiam fuerunt à Polonia in Regni Comitiis, quæ anno MDLXIV. habita sunt. Suscepta denique fuerunt à Serenissimâ Venetorum Republicâ, ac teste *Morosino* libro VIII. *Historiæ Venetorum*, intra Missarum solemnia promulgata sunt. Habent igitur Decreta Concilii Tridentini tres luculentissimos veritatis characteres, quos semper sequi debemus, Universitatem, Antiquitatem, Consensionem: *Sequemur autem universitatem hoc modo* (inquit Vincentius Lirinensis, Scriptor elegans quinti Ecclesiæ Sæculi in suo aureo Commonitorio adversùs prophanas novitates) *si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenùs sensibus recedamus, quos Sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium, vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur.* Quapropter anti-

antiquæ Fidei, quam, juxtà Sanctorum Patrum traditionem, & Oecumenicorum Conciliorum definitiones, Patres Concilii Tridentini suis Decretis firmarunt, ac sartam tectam conservarunt, constanter inhærere, omniumque Hæreticorum novellas adinventiones explodere debemus, quia, ut ait mox laudatus Author, *Annunciare aliquid Christianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquàm licuit, nunquàm licet, nunquàm licebit: & anathematizare eos, qui annunciant aliquid, præterquàm quod semel acceptum est, nusquàm non oportuit, nunquàm non oportet, nunquàm non oportebit.*

COLLOQUIUM QUINTUM,

De Clarissimis Viris, qui Sæculo decimo sexto Doctrinà, Vitæque sanctimonià Ecclesiam illustrarunt.

DISCIPULUS. MAjorem in dies fructum capio ex studio Historiæ Ecclesiasticæ, quæ omnes homines ad virtutem colendam incredibili quodam gloriæ studio atque eximio immortalitatis amore accendit, & sicut improborum turpitèr facta, atque Hæreticorum errores ob oculos ponit, ut ab illis omni adhibitâ diligentiâ caveamus, ita præclara Virorum eruditorum gesta, doctrinam ac lucubrationes magnis præconiis extollit, eorumque virtutis testis est sempiterna. Hinc est, quòd, postquàm in superioribus Colloquiis de Hæreticorum Sæculi XVI. erro-

erroribus, eorumque in Conciliis damnatione, sat superque egerimus, nunc de Viris Illustribus ejusdem Sæculi, eorumque Operibus continenti ordine differere debeamus, ut, quemadmodùm vulgò dicitur, opposita juxtà se posita magis elucescant, indèque desumamus virtutis exempla, quæ nulla posterorum hominum oblivio obscurare, nulla Sæculorum delere diuturnitas poterit. Verùm, cùm ingens sit, ut opinor, Scriptorum Seculi XVI. numerus, optarem tùm claritatis ergò, tùm meæ etiam memoriæ juvandæ causâ, ut illos eruditos Scriptores ad distinctas Classes revocares, nihilque attingeres eorum, quæ Lutherani, Calvinistæ, aliique Hæretici scripserunt, non solùm ad suorum errorum defensionem, sed neque etiam libros, quos ad artes & scientias humanas illustrandas, ad Religionis mysteria exponenda, ad varios Scripturæ Sacræ sensus expromendos lucubrarunt. Nec enim Hæreticis ullum inter viros illustres locum dare fas est, nec necesse est eorum indicare libros, quorum lectionem, ut potè noxiam, jure optimo Catholicis prohibuit ac interdixit Ecclesia.

M. Haud modico sanè me levas onere, dùm rogas, ut à recensendis Hæreticorum decimi sexti Sæculi Operibus in integrum abstineam. Si enim iniretur numerus librorum, quos Hæretici XVI. Sæculi vel ad tutandos suos errores, vel in Scripturam Sacram, vel de rebus Theologicis, & Disciplinis humanis ediderunt, magna, mihi crede, posset ex illis confici Bibliotheca, quæ eò esset periculosior, quò juvenes, naturâ curiosi, ex libris Hæreticorum pessima quæque decerperent,

variis-

variisque sese implicarent erroribus. Solent quippè Hæretici, in libris, quos ad aliorum perditionem temerè in vulgus spargunt, illos imitari, qui (ut ait *Vincentius Lirinensis* in suo Commonitorio adversùs Hereses cap. 35.) austera quædam pocula temperaturi, priùs ora melle circumliniunt, ut incauta ætas, cùm mellis dulcedinem persenserit, amaritudinem non reformidet; quod etiam iis curæ est, qui mala gramina & noxios succos ementitis medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Quocircà, quemadmodùm venatores non sinunt canes aberrare, & quemlibet odorem persequi, sed loris retrahunt revocantque, olfactum illorum servantes purum & integrum officio peculiari, ut acriùs inhæreant vestigiis: sic oportet curiositatem juvenum ad libros Hæreticorum legendos excurrentem atque oberrantem cohibere ac retrahere, ut in sola Scriptorum Catholicorum lectione hæreant, sicque puram & illibatam Fidem custodiant. Prætermissis ergò Hæreticorum, Operibus, eos dumtaxat Sæculi XVI. viros eruditos hìc in medium producam, qui Ecclesiæ Catholicæ Fidei constanter adhæserunt, vel quos saltèm ab ea ad hæresim defecisse certò non constat. Ne autem aliquam confusionem pariat tot clarissimorum virorum copia, illos in quindecim Classes distribuam. In prima generatìm referam omnes variarum nationum Artis Grammaticæ Viros peritissimos. In altera agam de Cardinalibus & Episcopis, qui in omnium scientiarum genere excelluerunt. In tertia disseram de Historicis. In quarta de Gallis Scriptoribus. In quinta de

de Italis. In sexta de Hispanis. In septima de Germanis. in octava de Anglis. In nona de Monachis. In decima de Scriptoribus Ordinis FF. Prædicatorum. In undecima de illustribus Viris Ordinis S. *Augustini*. In duodecima de eximiis Theologis Ordinis S. *Francisci*. In decima tertia de celebrioribus Viris Ordinis Carmelitarum. In decima quarta reponam insignes Societatis *Jesu* Scriptores. Ultimam Classem claudent præstantissimi Jurisconsulti, qui Sæculo XVI. magnâ nominis celebritate claruerunt. Facilè quidèm prospicio, quantùm oneris in me suscipiam, qui innumeros penè viros toto orbe clarissimos in præsentis Colloquii angustias includere cogar, multùmque vereor, ne rerum dicendarum numero & magnitudine obruar. At opprimar antè licèt officii pondere, quàm illud deseram, & quamvis probè sciam, mihi non satis esse vel facultatis ad dicendum, vel temporis, ut illos præclaros eruditione viros, pro eo ac merentur, laudare possim (hoc quippè nimis prolixum foret) sic tamen paucis verbis illorum eruditionem commendabo, ut statim percepturus sis, maximis præconiis dignos esse præstantissimos illos Scriptores, qui tam benè de Ecclesia, & universâ Republicâ Christianâ meriti sunt, quos (ut Vincentii Lirinensis verbis utar) à defensione Fidei Majorum *nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non Satellites, non Imperator, non Imperium, non homines, non Dæmones* deterrere unquàm potuerunt, quos denique tanto munere dignos Deus judicavit, ut per eos antiquam Fidem ab Hæreticis oppugnatam strenuè vindicarit, pro-

stratam

ſtratam repararit Diſciplinam, & Moralem Chriſtianam illibatam conſeruarit.

D. A Grammaticis Scriptoribus, quos in prima Claſſe virorum Illuſtrium Sæculi decimi ſexti repoſuiſti, exordium, ſi placet, ducamus, & eos in primis recenſe, qui in Italia floruerunt.

M. Tot in Italia Sæculo decimo ſexto periti excelluerunt Grammatici, ingenio, eruditione, & eloquentiâ præſtantes, ut plures Italiæ civitates in Athenas mutatæ viderentur,& ad illas certatim ex omnibus Europæ partibus confluerent viri eruditi, qui è Magiſtris facti Italorum diſcipuli, eruditionem atque eloquentiam indè hauriebant, eamque poſteà ad ſuos deferebant. Ex tot inſignibus Italiæ Sæculi decimi ſexti Grammaticis ſex præcipuos ſeligam,videlicèt *Accium Syncerum*, ſivè *Jacobum Sannazarium*, *Petrum Bembum*, *Petrum Victorium*, *Paulum Manutium*, *Cœlium Rhodiginum*, & *Latinum Latinium*. Primus, ſeu *Jacobus Sannazarius* ex illuſtri proſapia Neapoli originem duxit, & Poëſim Latinam ſplendore ingenii, imitatione optimi cujuſque veterum, aptâ fictionum poëticarum inventione & acumine ad ſummum faſtigium evexit. Scripſit *Eclogas*, *Elegias*, & *Epigrammata*, ſed præcipuè Poëma *De partu Virginis*, in tres libros diſtinctum, in quo de perfectione Poëſeos videtur cum antiquis decertare. Alter, ſeu *Petrus Bembus*, patriâ fuit Venetus, Ciceronianæ eloquentiæ ſedulus admirator & imitator extitit, Orator, Poëta, Hiſtoricus ſuo tempore nulli ſecundus, antiquis etiam conferendus. Eum,ob doctrinam ſingularem, ra-

ram facundiam, & summam vitæ integritatem *Paulus III.* Pontifex Maximus Cardinalē creavit. Pervenit *Petrus Bembus* ad annum usque septuagesimum septimum, plurimosque reliquit felicis ingenii sui partus. Hoc tamen periti Critici jure merito ei vitio vertunt, quòd inter scribendum aut dicendum nullam unquàm voluerit usurpare vocem, quæ à *Cicerone* scripta aut dicta non fuisset, & ad exprimendas res novas ac *Ciceroni* ignotas, miro verborum uteretur ambitu, & ab usitatis verbis sibi curiosè cavêret, quod sanè puerilem imitandi Ciceronianum stylum affectationem redolet, ut optimè observat *Desiderius Erasmus* in eo Dialogo, qui inscribitur, *Ciceronianus*. Princeps ingeniorum sui temporis dictus est *Petrus Victorius*, patriâ Florentinus, eique uni plus *Cicero* debet, quàm reliquis omnibus, qui in eo perpoliendo tempus studiumque posuerunt, quorum plurimos Sæculum decimum sextum tulit, Italia præcipuè, omnis eruditionis, quæ in illa refloruit, fœcundissima parens. Plura ingenii sui monumenta posteritati reliquit *Petrus Victorius*, quibus humaniores litteras, & antiquos Scriptores tam Græcos, quàm Latinos magnâ fide ac diligentiâ recognitos explicavit, castigavit, illustravit. Magnam in exprimendo pariter stylo Ciceroniano felicitatem assecutus est *Paulus Manutius*, filius *Aldi Manutii* celeberrimi Typographi. Ille quippè tractandis assiduè *Ciceronis* Scriptis, sic illius stylum æmulatus est, ut redivivum eum in illo credas, & apud omnes eruditos audiat vir Tullianæ facundiæ & totius antiquitatis studiosissimus. Multa scripsit elegantissima Opera, quæ etiamnùm ex-

extant, & Catechifmum Concilii Tridentini, à tribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologis, ut fuperiùs obfervavimus, lucubratum, puriffimâ latinitate donavit. Immortale fibi quoque nomen peperit *Cœlius Rhodiginus*, Græcarum ac Latinarum linguarum peritiffimus,quas primùm Mediolani, poſteà in Gymnafio Patavino magnâ cum gloriâ docuit, fuitque *Julii Cæfaris Scaligeri*, Viri doctiffimi, præceptor. Quantùm in humanioribus litteris excelluerit hic *Cœlius Rhodiginus*, apertè probant triginta *Antiquarum Lectionum* libri, quos concinnavit, & in eis quorumcumque veterum Scriptorum loca obfcura dilucidè explanavit, corrupta caſtigavit, & quidquid fcitu dignum per totum vitæ fuæ curriculum collegerat vel obfervaverat, ſtudiosè inferuit, & eleganti ſtylo exaravit. Denique, inter Italos *Latinus Latinius*, patriâ Viterbienfis, Græcarum, Latinarumque litterarum adeò peritus evafit, & in Veterum Authorum Critice ità excelluit, ut plerofque eorum, qui in ejufmodi ſtudiis infudaverant, fuperaverit. In facris veterum Patrum libris emendandis, & præfertim *Tertulliano* ad veteres codices corrigendo, operam impendit. Ejus Bibliothecam Sacram & prophanam, five Correctiones in Sacros & prophanos Scriptores *Dominicus Magrus* Romæ anno MDCLXXVII. publicam in lucem emifit. His infignibus Italiæ Viris Grammaticis, quos hactenùs laudavi, alios doctrinâ & eruditione haùd inferiores eodem Sæculo decimo fexto protulit Gallia, quos inter hìc quatuor dumtaxàt, qui cæteris eloquentiæ palmam præripuerunt, brevitèr commendabo. Agmen Clariffimorum Galliæ Gram-

maticorum ducet *Gulielmus Budæus*, Lutetiæ Parisiorum natus, qui Linguas Græcam & Latinam perfectè callebat, tàmque facilè utrâque linguâ ex tempore loquebatur, quàm Gallicâ, quæ erat ei vernacula. Scripsit Orationes & Epistolas Græcas ac Latinas quàm plurimas, Elegias & Epigrammata varia, Annotationes in Pandectas, & librum *De Asse*, plurimaque alia Opera, quæ eruditorum manibus quotidiè teruntur, & in magno pretio habentur. *Gulielmum Budæum* eruditione æquavit *Adrianus Turnebus*, in Normannia, Galliæ Provinciâ, natus; Vir omnium virtutum, omniumque litterarum genere instructissimus, in condendis versibus sublimis & acutus, in Oratione verò solutâ tersus atque elegans. Docuit Tolosæ & Parisiis magnâ cum laude & frequentissimo auditorum concursu, variaque edidit Opera, inter quæ eminent *Adversaria*, Opus sanè omnigenâ eruditione refertum, in quo tot veterum, cùm Græcorum, tùm Latinorum, difficiles locos aut emendavit, aut explicavit, ut dubium fecerit, plusne in eo ingenii, an diligentiæ admirari debeamus. *Adriano Turnebo* coævus fuit *Dionysius Lambinus* Monstroli ad Occeanum in Picardia, Galliæ Provinciâ, ortus; qui fuit tàm Græcæ, quàm Latinæ litteraturæ scientissimus, ut videre est in Commentariis, quos edidit in *Horatium*, *Cornelium Nepotem*, *Plautum*, *Lucretium*, & *Ciceronem*, & in aliis ejus libris, quibus de re Litteraria optimè meritus est. Verùm, ut cordatè fatear, peritis Grammaticis, qui Sæculo decimo sexto in Gallia floruerunt, longè, meâ quidem sententiâ, anteponendus est *Marcus Antonius Muretus*, Gallus in Lemo-

Lemovicibus natus, ingenio præstanti & ad omnia nato præditus, quod in politiori litteraturâ præcipuè exercuit, utriusque linguæ Græcæ ac Latinæ peritiâ clarus. Tantam sive in Gallia, sive in Italia, ubi per plures annos docuit, apud omnes viros eruditos gratiam sibi conciliavit, ut quasi alter *Tullius Cicero* concordibus votis acclamaretur. Scripsit Orationes, varias Lectiones: Poëmata: Emendationes in *Terentium*, *Horatium*, *Catullum*, *Tibullum*, *Propertium*, *Tacitum*, *Senecam* Philosophum; plures Epistolas, & multa alia Opuscula, quibus nihil uberius, nihil politius & elegantius legi potest. Obiit Romæ, ejusque Sepulchrum etiamnùm spectatur ad Aram maximam Ecclesiæ Sacro-Sanctæ Trinitatis, quæ est Patrum Ordinis Sancti *Francisci de Paula* Nationis Gallicę. Nec se Italiæ, aut Galliæ finibus cohibuit hic Sæculo XVI. bonarum litterarum progressus, sed suos itidèm Belgium habuit eruditos Grammaticos, *Longolios*, *Agricolas*, *Langios*, *Lipsios*, *&c.* Batavia unum instar omnium protulit *Desiderium Erasmum*, Grammaticum suis omnibus numeris absolutum, qui, si intra professionis litterariæ, seu Grammatices Disciplinæ, terminos substitisset, seque totum hisce studiis, quibus cæteros sui temporis Grammaticos facilè superabat, dedisset; paria fortasse cum primis illis Latini sermonis auctoribus facere potuisset. At verò, postquàm Theologum agere voluit, ingenio suo plus æquo fisus, nimiùm sibi arrogavit, in tractandis Sacris litteris, veterumque Patrum monumentis rigidum nimis Censorem se præbuit, in Monachos, & Theologos Scholasticos acriter invectus est, sibique

que eorum odium conflavit. Hinc *Bellarminus* inter Semichristianos *Erasmum* refert. *Possevinus* nomen *Erasmi* ex omnibus Catholicorum Scriptis expungi debere affirmat. *Stapletonus* murem errantem vocat. *Forerus* in *Aranea* ait, dignum esse *Erasmum*, qui ex omnium hominum memoria eradatur. Alii tandèm dicunt, *Erasmum* posuisse ova, quæ deindè Hæresiarcha *Lutherus* exclusit. Verùm, plures Apologias adornavit *Erasmus*, ut ostenderet, se ab impia *Lutheri* doctrina vehementer abhorrere, & in Catholicæ Ecclesiæ sinu emori velle. Quin, & ipsum *Lutherum*, ejusque discipulos, qui perperàm sese, *Evangelicos* dicebant, & Ecclesiæ insultabant, libris editis palàm impugnavit *Erasmus*, cujus proindè patrocinium ac defensionem susceperunt quidam Scriptores Catholici, quos inter paucis abhinc annis doctissimus Abbas *de Marsolier*, Scriptor Gallus & apprimè Catholicus, Apologiam edidit pro *Erasmo*, quem ab omni suspicione Hæreseos liberat, eumque in gremio Ecclesiæ Catholicæ obiisse multis argumentis evincit, quæ hìc referre nimis longum esset. Mitto plures Epistolas, & encomia, quibus doctissimi S. R. E. Cardinales,& Episcopi, Imperatores, Reges, Principes, & Doctores Catholicæ communionis,ingenium,eruditionē & lucubrationes *Erasmi* commendarunt. Mitto etiam honorificentissimas litteras,quas Romani Pontifices *Leo X. Adrianus VI. Clemens VII.* & *Paulus III.* ad *Erasmum* scripserunt, eumque ut Romam se conferret, invitarunt, & ut contra *Lutherum* scriberet vehementèr sunt adhortati. Quin, & *Paulum III.* Pontificem Maximum Cardinalitias Infulas *Erasmo* decrevisse,

legitur

legitur in ejusdem *Erasmi* Vita. Hæ Epistolæ ad *Erasmum* scriptæ,& honorifica de eo Virorum eruditorum judicia extant simul collecta in fronte ejus Operum postremæ Editionis pag.9. & seqq. Multa Opera scripsit *Erasmus*, quæ Ecclesiæ judicio subjecit, quæ in Editione *Frobeniana* novem Tomis continentur, sed in recentissima Editione, quæ Lugduni Batavorum anno MDCCIII. fuit adornata in decem Tomos sunt distributa, quorum lectio, ut candidè fatear, ob stylum apertum, extemporalem, purum, facilem & argutum, mihi supra modum semper placuit, licèt errores, qui in ejus Operibus notantur, rejiciam. Suos quoque peritos Grammaticos Sæculo decimo sexto habuit Anglia, sed in primis *Thomam Morum*, Regni Angliæ sub *Henrico VIII.* Cancellarium, qùi, præter Linguarum Græcæ & Latinæ notitiam, quâ erat excultus, vir fuit perspicacis & acuti ingenii,acerrimi judicii, memoriæ felicissimæ,multæ lectionis, & singularis eruditionis, ut liquet ex ejus Operibus, inter quæ eminent duo libri, quos edidit, *De Utopia*, seu *De optimo Reipublicæ statu*. Martyr occubuit *Thomas Morus*, quippè qui, cùm nec divortium *Henrici VIII.* Angliæ Regis, nec Schisma, quo idem Rex, se, suumque Regnum ab Ecclesia Romana separaverat, ullo pacto approbare vellet, per quatuordecim menses in carcere detentus est, cùmque constanter in proposito perseveraret, capite plexus in Cœlum evolavit. Denique, Germania Sæculo XVI. suis non caruit Grammaticis eruditis quidem, sed hæreticis, à quibus referendis consultò abstineo, ne mihi fraudi sit laudasse hæreticos, & in hostibus virtutẽ fuisse admiratum.

D. Gaudeo sanè plurimùm, quòd Grammaticos Viros, politioris litteraturæ cultores, & linguarum peritos, pluris facias quàm vulgò facere solent nonnulli, qui Grammaticis, seu linguarũ peritis, Antiquariis, Historicis, Criticis, ac Chronologis infesti, dictitant, studium eis in dorso esse & non in cerebro; illos, in tantos rerum ac multiplicis eruditionis campos longè latèque distractos, rationum momentis, & acutæ rerum Theologicarum indagini constanter insistere non posse, ac subindè nullatenùs expedire, ut Theologus Scholasticus, quem subtilitèr de rebus disputare, mentemque suam abstractissimis præcisionibus sursùm agere oportet, hisce humanioribus studiis ac Disciplinis operam det, ac planè inani se se torqueat Grammaticorum labore.

M. Hoc præposterum de humanioribus studiis ac Disciplinis quorumdam judicium meo certè calculo probare haud possum, sed potiùs sempèr existimavi, Viros eruditos, qui sese in hisce humanioribus Disciplinis exercent, maximam promereri laudem, eorumque laborem perutilem Ecclesię, & Theologo apprimè necessarium esse. Dicas enim, amabò, nùm Ecclesiæ utilis, & Theologo necessarius sit ille labor, quo Viri lingnarum periti Sacræ Scripturæ arcana perscrutantur, varias Sacri Textus cùm lectiones, tùm Versiones consulunt, & eas, quæ falsò ab Hereticis obtruduntur, interpretationes, linguarum peritiâ expungunt? Nùm etiam Ecclesię utilis & Theologo necessarius sit ille labor, quo Critices Disciplinæ periti homines Sanctorum Patrum Opera in ipso Scriptorum fonte propriis, non alienis oculis, legunt, & col-

& collatis inter se manuscriptis, editisque codicibus, si quid luxatum ac depravatum est, ope Critices integritati suæ restituunt, atque genuina à spuriis accurato examine secernunt? Nùm denique, Ecclesiæ utilis sit & Theologo necessarius ille labor, quo Antiquarii, Historici, ac Chronologi omnia Antiquitatis tùm Sacræ, tùm Ecclesiasticæ & prophanæ monumenta, juxta seriem temporum disponunt, Decreta Romanorum Pontificum, & Conciliorum Canones in optimo ordine collocant, undè certam ad fidei, castæque morum doctrinæ defensionem argumentorum seriem sibi sumat Theologus, atque omnia recto filo disponat, & perspicuè, ornatèque in lucem emittat? Hunc profectò laborem esse Ecclesiæ utilem, & Theologo necessarium fatebitur æquissimus quisque rerum æstimator, eâdemque operâ improbabit distortum judicium illorum, qui hæc virorum eruditorum studia solent appellitare non ingenii, sed dorsi laborem, & disciplinis humanioribus infesti unum dumtaxat dolium volutare noverunt, unoque in pistrino semper inclusi, in eo tanquam in regno cristas erigunt, sibi plaudunt ac triumphant.

D. Mittamus, si placet, querulas illas voces, quas nonnulli adversùs humaniores Disciplinas spargunt in vulgus, quasque non ab veritatis amore, sed ab invidia, ab inertia, & ab ingenii imbecillitate suas habere radices jam pridèm novi, & eam ob rem semper his nostri temporis doctissimis Theologis indivulsè adhæsi, qui Sanctorum Patrum exempla secuti, omnigenæ eruditionis, atque humaniorum Disciplinarum no-

notitiam cum Theologica facultate ita conjungunt, ut nedùm paribus, sed longè superioribus armis Novatores collatis signis adoriantur, eorumque petulantiam egregiè retundant. Sed nunc veniamus ad secundam virorum eruditorum classem, in qua locum dedisti Cardinalibus & Episcopis, qui Sæculo XVI. doctrinâ ac pietate Ecclesiam illustrarunt.

M. Cùm de Cardinalibus & Episcopis, qui Monasticam aut Regularem Vitam professi sunt, sermonem simus habituri in sequẽtibus Classibus, in quas Scriptores Monachos & Regulares distribuimus, ideò eos dumtaxàt Cardinales & Episcopos in ista Classe reponam, qui nec Monasticæ, nec Vitæ Regulari fuerunt addicti. Inter Cardinales, qui Sæculo XVI. doctrinâ & pietate toto orbe celeberrimi fuerunt, sex potissimùm numerantur, videlicet *Hadrianus*, *Jacobus Sadoletus*, *Gaspar Contarenus*, *Reginaldus Polus*, *Joannes Fischerus*, & *Stanislaus Hosius*. De primo, seù *Hadriano*, qui fuit Doctor Lovaniensis, *Caroli V.* Imperatoris Præceptor, posteà ex Dertusano Episcopo creatus Cardinalis, ac tandem electus Romanus Pontifex, dictusque *Hadrianus Sextus*, plura jam diximus in Colloquio secundo, ubi descripsimus Gesta Summorum Pontificum, qui Seculo XVI. Sedem *Petri* tenuerunt. Quapropter sufficiet hìc indicare Opera, quæ ab ipso edita sunt, dùm adhùc esset Cardinalis. Scripsit *Hadrianus* quęstiones Quodlibetales XII.& Commentarios in IV. libros Sententiarum, qui iterùm Romanis typis, cùm ipse in S.*Petri* Cathedra sederet, eoque approbante, excusi sunt anno MDXXII. *Jacobus Sadoletus* Mu-

tinæ, Urbe Italiæ, ex parentibus nobilibus & locupletibus ortus, & famâ ſingularis facundiæ ac doctrinæ, quâ pollebat, celebris, à *Leone X.* Pontifice Maximo Romam vocatus, Epiſcopatu Carpenctoratenſi in Comitatu Venaſcino donatus eſt, & poſteà à *Clemente VII.* in Cætum Cardinalium, magnâ totius Collegii Apoſtolici lætitiâ & congratulatione adſcitus eſt. Scripta reliquit plurima, admirabili nitore ſermonis, & Ciceroniano more, ſtylo ac facundiæ maximè vicina, ſcilicet, Poëmata nonnulla, Orationes varias, Epiſtolarum volumen, ſed præſertim Commentarios in Pſalmos, & in Epiſtolam *Pauli* ad Romanos, in quibus viri eruditi eum ſolidam ſuſpiciendi ingenii doctè juxtà ac piè argumenta tractantis laudem attigiſſe fatentur. *Gaſpar Contarenus*, nobilis Venetus, prudentiâ, pietate, & inſigni litteraturâ præditus, Græcèque ac Latinè doctus, à *Paulo III.* Pontifice Maximo purpurâ exornatus eſt. Scripſit, dùm adhùc iuvenis eſſet, librum *de animarum immortalitate* contra *Pomponatium*, quem præceptorem habuerat, quique impio conatu animas noſtras interire cum corpore, ex *Ariſtotelis* ſententiâ perſuadere libro edito contenderat. Suum poſtea ingenium *Gaſpar Contarenus* ad Sacras litteras appulit, multaque lucrubavit Opera tùm Exegetica, tùm Polemica & Theologica, quæ omnia Venetiis publicam in lucem prodierunt anno MDLXXXIX. & anteà Pariſiis anno MDLXXI. Hi duo, qui ſequuntur, Cardinales, natione Angli fuerunt, quorum primus, ſeu *Reginaldus Polus*, generis nobilitate, eximio morum candore, ſummâ in gerendis negotiis dexteritate, cum ſingulari

lari eruditione conjunctâ clarissimus, & ad Purpuram adscitus, de Ecclesia benè meritus est, præsertim in Regno Angliæ, ubi, sicut jam observavimus in primo Colloquio, extinctam ferè pravis hæreticorum artibus Catholicam Fidem in integrum restituit. Varia reliquit ingenii sui monumenta, de quibus legendi sunt *Joannes Balæus*, & *Joannes Pitseus* de Illustribus Britanniæ, seu Angliæ Scriptoribus. Alter Cardinalis natione Anglus, quem Ecclesia ut Martyrem colit, est *Joannes Fischerus*, Roffensis in Anglia Episcopus, & in Cardinalium Ordinem à *Paulo III.*Pontifice Maximo, ob insignem doctrinam & pietatem, allectus. Ille quippè Fidem, quam perdoctis lucubrationibus contra *Lutherum* constantèr defenderat, sanguine confirmavit; eò quòd nefario *Henrici VIII.* Angliæ Regis divortio subscribere noluerit, ipsumque tanquàm supremum Anglicanæ Ecclesiæ Caput agnoscere. Ad supplicium hilari placido vultu perrexit Sanctus ille Cardinalis, sicque toto corporis gestu lætitiam quamdam præ se tulit, ut nemini non esset perspicuum, sanctissimum Virum, ceù jam portui vicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem adspirare. Ad locum, in quo Martyriū consummaturus erat, cùm pervenisset, paucis allocutus est populum, moxque ardenti magis, quàm prolixâ precatione, elevatis in Cœlum oculis, se ipsum Dei misericordiæ commendavit, simulque procumbens in genua, gracilem & exhaustam cervicem intrepidè securi subjecit decrepitus penè senex, capitisque obtruncatione Martyrii palmam consecutus est. Hoc horrendum spectaculum magno cum animi dolore viderunt hi,

hi, quibus religio pietasque cordi erat, & qui Christi spiritum in Pastore operantem experti fuerant. Soli Hæretici, quibus ejus virtus invisa erat, gaudio triumpharunt. De Sanctissimi illius Cardinalis Vita, & præclaris, quæ edidit, Operibus, legesis *Sanderum* libro I. *De schismate Anglicano*. Denique, *Stanislaus Hosius*, Cracoviensis in Polonia Episcopus, & à *Pio IV.* Pontifice Maximo Cardinalis creatus, ejusdemque Pontificis in Concilio Tridentino Legatus, Vir fuit moribus castissimis, Fidei zelo illustris, & variâ eruditione præditus, ut liquet ex doctissimis illis Operibus, quæ edidit contra Lutheranos. Hi sex Cardinales, quos hactenùs laudavi, & quorum gesta, elogia atque Opera fusè prosequitur *Ciaconius* ab *Oldoino* recognitus & illustratus Tomo III. *De Vitis Romanorum Pontificum & Cardinalium*, egregiam quidem in tuenda contra Hæreticos Catholicâ Fide operam Ecclesiæ navarunt, sed in resarcienda collapsâ Ecclesiæ Disciplinâ illos omnes superavit S. *Carolus Borromæus*, Patritius Mediolanensis, *Pii IV.* Pontificis Maximi ex Sorore Nepos, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis, quippè qui, ut jam vidimus in Superiori Colloquio, Christianam & Ecclesiasticam Disciplinam in sua Provincia instauravit, sex Concilia Provincialia, & undecim Diœcesana celebravit, in quibus promulgavit varia Decreta, Ordinationes, Edicta, Instructiones, Institutiones, Litteras Pastorales, & Conciones Synodicas, quæ omnia in unum collecta sub titulo *Actorum Ecclesiæ Mediolanensis*, & duobus Tomis comprehensa Lugduni in Galliis anno MDCLXXXIII. edita sunt, ex quibus Prædicatores,

tores, Confessarii, Parochi, & alii ad rectè administranda Sacramenta, potissimùm Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ad emendandos fidelium mores, ad dirimendos emergentes conscientiæ Casus, certissimas leges, & tutissimas regulas haurire poterunt, si eorum lectioni, ut par est, sedulò incumbere velint, nec in quorumdam modernorum Casuitarum Summis, & Summulis legendis tempus & operam perdant. Sanctum *Carolum Borromæum* Cardinalem in Sanctorum numerum solemni ritu retulit *Paulus V.* Pontifex Maximus anno MDXC. Complures alii Sæculo decimo sexto floruerunt Cardinales ex variis religiosis Ordinibus assumpti, doctrinâ & pietate præstantissimi, quos commodiùs referemus in sequentibus Classibus, in quas celebriores Scriptores Vitæ Monasticæ, vel Regulari addictos ordinavimus. Nihil etiam hìc dicemus de Cardinali *Petro Bembo*, Viro undecùmque doctissimo, quia illius in superiori Grammaticorum, seu utriusque linguæ Græcæ ac Latinæ peritorum Classe, jam mentionem fecimus. Nec demùm in ista Classe, inseremus illustrissimos Cardinales *Cæsarem Baronium*, Annalium Ecclesiasticorum parentem, & *Laurentium Campegium*, Clarissimum Jurisconsultum, quoniam de Cardinali *Baronio* in sequenti Classe, quæ erit de Scriptoribus Historicis, & de Cardinali *Laurentio Campegio* in postrema virorum eruditorum Classe, quæ erit de nobilioribus Jurisconsultis Sæculi decimi sexti, opportunior differendi sese præbebit occasio.

D. Ne multitudo Episcoporum, qui Seculo XVI. doctrinæ famâ ubique claruerunt, meam plus æquò oneret memoriam, obsecro te, ut hic dumta-

dumtaxat illos percenſeas Epiſcopos, qui nec Monaſticam, nec Regularem vitam ſunt amplexi, eos verò Epiſcopos, qui eodem ſæculo ex variis Ordinibus aſſumpti magnum ſibi litteris, & perdoctis editis Operibus nomen in Eccleſia, & Republica Litteraria compararunt, ad ſequentes Claſſes remittas, ad quas à principio Scriptores, qui Statui vel Monaſtico, vel Regulari nomen dederunt, majoris claritatis ergò, retuliſti.

M. Sex tantùm Epiſcopos, quorum quinque nec Monaſticæ, nec Regulari Diſciplinæ addicti fuerunt, & Seculo XVI. eximiâ eruditione cæteris anteſterunt, hìc breviter recenſebo, videlicet *Iſidorum Clarium*, *Aloyſium Lippomanum*, *Claudium Seiſellum*, *Stephanum Gardinerum*, *Robertum Cenalem*, *& Jacobum Pamelium*. Primus, ſeu *Iſidorus Clarius*, Italus, patriâ Brixienſis, & Fulginas Epiſcopus, Concilio Tridentino interfuit, ubi, cùm eſſet trium linguarum peritus, perdoctas, & elegantes Orationes habuit. Præter Scholia in *Cantica Canticorum*, multaque Orationum in utriuſque Teſtamenti inſigniora quæque loca, quæ edidit, Volumina; Verſionem etiam Bibliorum adornavit, quæ tamen, cum ab Editione Vulgata multis in locis recedat, ab Eccleſia fuit improbata, ut videre eſt in Regula IV. Indicis Librorum prohibitorum, quæ ſic habet: *Ex Bibliis verò Iſidori Clarii Brixiani Prologus, & Prologomena præcidantur. Ejus verò Textum nemo Textum Vulgatæ Editionis eſſe exiſtimet*. Hinc noſter *Melchior Canus* Lib.2. *de Locis Theologicis* Cap.13. aſſerit, *Iſidorum Clarium* multa in ſua ScripturæVerſione inſeruiſſe, adjeciſſe quædam, nonnulla mutaſſe, *ut Lector non aliud*

aliud possit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris Interpretis errorem, aut veterem Codicum depravationem. Benignius tamen de *Isidoro Clario* judicium profert Illustrissimus *Huetius* Episcopus Abrincensis in Libro *de Claris Interpretibus*, ubi Num. XVI. hæc scribit: *Isidorus Clarius non tam novæ auctor editionis, quàm Veteris, utì in Operis sui fronte prænuntiat ipse, emendator, & corrector dicendus: cujus tituli modestiam & veritatem, adeòque laudabilem, immeritò castigat Melchior Canus*. Ex Ordine S. *Benedicti* Congregationis Cassinensis ad Fulginatem Episcopatum, Italicè *Fuligno*, assumptus est. Alter scriptor, quem nominavi, seu *Aloysius Lippomanus* patriâ Venetus, & Episcopus Veronensis, interfuit quoque Concilio Tridentino; in quo, ob eam, quâ pollebat, linguarum Græcæ ac Latinæ peritiam & eximiam probitatem morum, magnum sibi peperit nomen, & præter octo volumina, quæ reliquit, *De Vitis Sanctorum*, alia scripsit Opera, & Catenas in Genesim, Exodum, & in Psalmos ex Græcis & Latinis Auctoribus, miro ordine contexuit, ac perdoctis Annotationibus illustravit. De hoc Scriptore plura legesis apud *Sixtum Senensem* libro IV. Bibliothecæ, apud *Possevinum* in Apparatu, & apud *Aubertum Miræum* in Bibliotheca Ecclesiastica. *Claudius Scissellus*, natione Sabaudus, primùm Massiliensis Episcopus, dein Taurinensis Archipræsul, juris Civilis scientiam cum Theologica eruditione conjunxit, & præter Historiam Christianissimi Regis *Ludovici XII.* quam Gallicè scripsit, librum quoq; edidit *De triplici Statu Viatoris*: Tractatus tres *De divina Providentia*: Librum *contra Waldenses*: & Commentaria,

taria, quibus Evangelium S. *Lucæ* elucidavit. De præclaris *Claudii Seiſelli* dotibus ac lucubrationibus fuſè diſſerunt *Ferdinandus Ughellus* Tomo IV. *Italiæ Sacræ* in Catalogo Taurinenſium Epiſcoporum,& *Sammarthani* Tomo III. *Galliæ Chriſtianæ* in Maſſilienſibus Epiſcopis. In Anglia Sæculo XVI. floruit *Stephanus Gardinerus*, Wintonienſis Epiſcopus,& Regni Angliæ ſub *Maria* Regina Cancellarius, qui Catholicum dogma de reali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti Domini contrà Hæreticos Calviniſtas erudito Volumine propugnavit,& graves carceris moleſtias ſub *Eduardo*, Angliæ Rege hæretico,pro Fidei Catholicę defenſione conſtanter paſſus eſt.Hujus pii & eruditi Antiſtitis in confutandis Calviniſtarum erroribus zelum æmulatus eſt eodem Sæculo in Galliis *Robertus Cenalis*,originè Pariſienſis, Sacrę Facultatis Pariſienſis Doctor, & Epiſcopus Abrincenſis, qui, prætèr Galliarum Hiſtoriam Latinè duobus Tomis editã, & *Hierarchiam Neuſtriæ* in quinque libros diviſam, ſcripſit librum *contra Interim Cæſareum*: item *Antidotum adversùs Sacramentarios*: *De Cœlibatu*: *Larvam Sycophanticam contra Calvinum*,& alia ejuſmodi Opera, quæ ſingularem ejus eruditionem, & vindicandæ contra Hæreticos Fidei Catholicæ zelum apertè produnt. Poſtremò, inter Epiſcopos Sæculi decimi ſexti *Jacobus Pamelius*, Audomaropolitanus in Arteſia Epiſcopus, & Aldernadæ in Belgio illuſtri ſtirpe ortus, immortale nomen multis editis libris promeritus eſt, præſertim caſtigatiſſimis illis, quas adornavit, Editionibus *Tertulliani*, & Sancti *Cypriani*, quorum Opera novo & præclaro ordine digeſſit, Tractatus antehàc

ineditos eis addidit, doctisque Commentariis eadem illustravit, ex quibus proclive est judicare, eum Antiquitatis Ecclesiasticæ cognitionem amplam habuisse, & Critices Disciplinæ peritum fuisse.

D. De Historicis, quos in tertia Classe illustrium Sæculi decimi sexti Scriptorum reposuisti, nunc recto ordine disserere debemus, exceptis tamen illis, qui vel Monasticam, vel vitam Regularem professi, aliquid de Historia scripserunt, de quibus, juxtà præscriptum ordinem, in sequentibus Monachorum, aut Regularium Scriptorum Classibus datâ operâ sermonem instituemus.

M. Incipiam ab Historicis Italis, qui Sæculo decimo sexto numero multò plures fuerunt, quàm in cæteris aliis Nationibus,& octo præcipuè Italiæ hic proferam Scriptores, qui in describenda Historiâ excelluerunt. Primus, juxtà ordinem temporum, qui in Italia de Historia scripsit, est *Pandulfus Collenutius*, qui, prætèr alia Opera quibus stylum exercuit, Neapolitanam Historiam sex Libris Italico Idiomate complexus est, ejusdemque Historiæ Compendium Latinè edidit. Alter celebris Historicus Italus, est *Franciscus Guicciardinus*, Florentinus, qui Historiarum sui temporis libros viginti Italicè conscripsit, quos in Latinum sermonem convertit *Cœlius Secundus Curio*. De hoc insigni Historico *Henricus Spondanus* ad annum MDXXXIV.Num.XVIII.istud judicium profert: *Guicciardinus excellentissimus Scriptor,& paucissimis antiquorum Historicorum,recentium nemini gravitate sermonis,sententiarũ pondere,ratiocinationum circumspectione postponendus;pleriſq; eximiis anteponendus*.

Qui

Qui, si non nunquàm acrem se gestorum Principum, aliorumve de quibus agit, Censorem exhibeat; culpa hæc est noxiorum, non Historicorum, qui graviùs culpandi ipsi forent, si malè facta tacerent, quibus alii prudentiores fiant, & à similibus peccatis abstineant, vel pudore. Alii Scriptores *Guicciardinum* impensè laudant, ajuntque, eum in concinnanda Historia Epistolas, Decreta, Fœdera, Conciones ex ipsis fontibus hausisse, & rerum, locorum, personarum, atque adeò consiliorum & factorum tam diligentem investigatorem fuisse, ut omnes Italiæ Urbes, municipia, castra, fluvios, publicaque monumenta Historiæ conscribendæ necessaria penitùs inspexerit. Non minori fide ac diligentiâ *Paulus Jovius*, natione Italus, patriâ Novocomensis apud Insubres, & Episcopus Nucerinus à *Clemente VII.* Pontifice Maximo creatus, Historiam sui temporis descripsit, seu Res, quæ quinquaginta annis gestæ sunt in Italia, Hungaria, Asia, Africa, aliisque regionibus. Scripsit etiam vitas aliquot Pontificum & Principum Italiæ, maximè Vicecomitum Mediolani, quibus adjunxit Elogia & Icones Illustrium Virorum, qui tàm armis, quàm litteris clari evaserunt, quorum ipse imagines ad vivum expressas Comi in suo Musæo servabat. Ad Historiam itidèm scribendam animum adplicuit *Polydorus Virgilius*, sive ut alii dicunt, *Vergilius*, Natione Italus, patriâ Urbinas, qui prætèr libros octo, quos edidit, *De Rerum Inventoribus*, & librum *De Prodigiis*, concinnavit etiam *Historiam Anglicanam* libris XXVI. comprehensam, in qua tamen doctiores Angli parùm fidei ei tribuunt. Inter Historicos haud postremum locum occupare debet

Raphael Maffeus, dictus *Volaterranus*, eò quòd Volaterris, Hetruriæ in Italia Urbe, natus sit. Libros triginta octo *Commentariorum Urbanorum* composuit, ac *Julio II.* Pontifici Maximo nuncupavit, quos *Urbanos* vocavit, quòd eos in Urbe Roma conscripsisset. In tres verò Tomos partitus est ejusmodi libros. Primus Tomus *Geographiam Veterem* complectitur: Alter *Antropologiam*, sive Viros Illustres: Tertius *Philologiam*, sive Artium rudimenta. Nonnulla etiam Scriptorum Græcorum Opera in Latinum sermonem convertit idem *Volaterranus*. Optimi ac præstantissimi inter Italos Historici laudem consecutus est *Carolus Sigonius*, patriâ Mutinensis, qui Venetiis, Patavii, & Bononiæ litteras elegantiores docuit, scripsitque *De regno Italiæ* — *Commentarios in Fastos & Triumphos Romanorum* — *Notas in Severum Sulpitium* — Librum *De Republica Hebræorum* — Librum *De Republica Atheniensium* — *Scholia in Titi Livii Historiam*, & *elegantissimas Orationes Latinas*. Clarissimis Italiæ Historicis Scriptoribus jure optimo accenseri debet *Michael Ritius*, Neapolitanus, qui libros tres *De Regibus Francorum* Romæ edidit. Totidèm libros scripsit *De Regibus Hispaniæ*: librum *De Regibus Hierosolymorum*: libros quatuor *De Regibus Neapolis & Siciliæ*: libros duos *De Regibus Angliæ*. Verùm, ut candidè fatear, omnes illos, quos hactenùs laudavi, Italiæ Historicos Scriptores longo post se intervallo reliquit Eminentissimus Cardinalis *Cæsar Baronius*, Romanæ Congregationis Oratorii Presbyter eruditissimus, *Soræ* in Regno Neapolitano anno MDXXXVIII. natus, qui contra Centuriatores Magdeburgenses, infen-

insensimos Ecclesiæ Romanæ hostes, scripsit Annales Ecclesiasticos duodecim Tomis in Folio comprehensos, in quibus operam in concinnanda Historia Ecclesiastica adeò insignem posuit, ut omnibus suâ diligentiâ palmam præripuerit, & apud omnes doctissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens audiat. Primus quippè omnium Cardinalis *Baronius* fuit, qui totius Orbis Christiani res gestas, præsertim autem quæ ad Ecclesiasticam Historiam pertinebant, in continuam seriem annorum incredibili labore digessit, multa locupletissima monumenta antehàc penitùs ignota primus prompsit in lucem, Antiquorum Episcoporum in magnis Urbibus successiones; Veterum Hæresum originem, progressum & finem; tempora Ecclesiæ sive tranquilla, sive turbulenta, tam accuratâ diligentiâ explicuit, ut dignus sit absque ulla controversia, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem attigerunt, assurgant, fascesque submittant. In hoc sacro Ecclesiæ Annalium arduo Opere lucubrando posteaquàm Cardinalis *Baronius* triginta annos insumpsisset, & in eo perpoliendo insudasset, præmissis, auspicii vice, *Notationibus ad Martyrologium Romanum*, primum Annalium Ecclesiasticorum Tomum publicâ luce donavit, tanto omnium applausu, ut fuerint etiam ex Heterodoxis, qui ejus diligentiam, fidem, eruditionem ac judicium commendarint. Et reverà tàm in eo Tomo, quàm in sequentibus undecim innumeras difficultates, quæ anteà dissolvi non posse credebantur, enodavit, complanavit, membra Historiæ, priùs discerpta, passimque jacentia, in unum Corpus scitè coaptata collegit,

disparatis locum suum dedit, obscuris lucem, dubiis fidem, præposteris ordinem conciliavit, tantùmque rerum Ecclesiasticarum cognitionem promovit, quantùm ante eum nemo. Hoc insigne Cardinalis *Baronii* Opus *Sixtus* hujus nominis *Quintus* in Diplomate, Annalibus Ecclesiasticis ejusdem *Baronii* inserto, exornat isto singulari elogio: *Opus non minus doctè, quàm fidelitèr scriptum, & ad totius Antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam comparandam valdè utile; quo nimirùm non tantùm res gestæ per annos singulos recensentur, & quæ de iis obortæ sunt, Controversiæ elucidantur; sed etiam ipsi Apostolicarum Traditionum fontes purissimi aperiuntur, atque hæreticorum mendacia confutantur &c.* Gloriosè huic conscribendo utilissimo Ecclesiæ Operi immortuus est Cardinalis *Baronius*, cùm pervenisset ad annum à Christo nato millesimum centesimum nonagesimum octavum, illudque continuarunt *Abrahamus Bzovius* Ordinis Prædicatorum, *Henricus Spondanus*, Gallus, Episcopus Appamiarum, *Odoricus Raynaldus*, Italus, Congregationis Oratorii Presbyter, de quibus in Colloquio quinto in Historiam Sæculi decimi septimi, quo floruerunt, disseremus.

Productis in medium celebrioribus Historicis Scriptoribus, qui Sæc.XVI. Italiã illustrarunt, nunc brevitèr me expediam ab aliis Scriptoribus, qui eodem Sæculo in cæteris Orbis Christiani Nationibus libros de Historia cum aliqua nominis celebritate ediderunt. Et primò quidèm in Gallia *Florimundus Ræmundus*, Senator Burdigalensis, aliqua Opera sermone Gallico lucubravit, quibus laudem apud eruditos haud mediocrem consecutus est.

Fabu-

Fabulam quoque *de Joanna Papissa* egregiè confutavit, & scripsit librum *De Antichristo*, item aliud Opus *De ortu, progressu, ac ruina Hæresum nostri ævi.* In Anglia *Nicolaus Harpsfeldius*, Archidiaconus Cantuariensis, eximius Fidei Catholicæ, temporibus *Elizabethæ* Angliæ Reginæ, Confessor, scripsit *Historiam Anglicanam Ecclesiasticam*, necnon *Historiam Wicleffianam*. Eodem Sæculo decimo sexto duo Angli Scriptores *Joannes Balæus*, & *Joannes Pitseus* libros *De Illustribus Britanniæ*, seu *Angliæ Viris* in lucem emiserunt, quos hìc indigitasse abundè sufficiet, quia in Romano Indice librorum prohibitorum inter Hæreticos primæ Classis recensentur. In Aragonia *Hieronymus Surita*, omnis Antiquitatis peritus, *Rerum Aragonensium* libros xxx. magnâ sinceritate, moderatione, diligentiâ & gravitate elaboravit. In Hispania *Joannes Margarinus*, Gerundensis Episcopus, *Paralipomena Hispaniæ* libris x. complexus est ab adventu *Herculis* in Hispaniam usque ad *Theodosium Seniorem* Imperatorem, & filios ejus *Arcadium* & *Honorium*, quorũ temporibus Gothi in Hispaniam irruperunt. *Franciscus Tarapha*, Civis & Canonicus Barcinonensis, Regum Castellæ & Aragoniæ seriem contexuit: Et *Stephanus Garibajus*, Catholici Regis Historicus, *Annales Regnorum Castellæ, Lusitaniæ, Aragoniæ, Navarræ* Hispano idiomate composuit. In Bohemia *Joannes Dubravius*, Olomucensis in Moravia Episcopus, *Historiam Bohemicam* libris xxxiii. conscripsit. In Suecia *Joannes Magnus*, Gothus, Archiepiscopus Upsaliæ, Sueciæ, Gothiæ, Wandaliæ Primas, librum edidit *De Episcopis Sueciæ*, & alterum Opus *De omnibus Regibus*

Gothorum, *& Suecorum*. In Germania *Wolfangus Lazius*, Ferdinandi I. Imperatoris Historicus, Rerum Viennensium libros IV. composuit, & alia Opera Historica. *Albertus Krantzius*, Hamaburgensis, scripsit *Metropolim*, seu Historiam Ecclesiasticam de Ecclesiis *Caroli Magni* ætate constitutis, vel instauratis, item *Saxonicam*, & *Wandalicam*, necnon Chronicon rerum aliarum Septentrionalium, Daniæ, scilicèt, Sueciæ, & Norvergiæ. Denique, in Belgio *Joannes Vasæus*, Brugensis, Salmanticę publicus Eloquentię Professor, condidit *Chronicon Rerum Hispanicarum*, quod in pretio est apud Viros eruditos. Consultò prætermitto *Joannem Sleidanum*, Natione Belgam, elegantem quidem Historicum Lutheranum, cujus libros *De Religione & Republica* undeciès mille falsitatibus inquinatos esse ostendit *Bartholomæus Latomus*, & eâ de causâ *Joannes Sleidanus* unà cum suis libris inter Hæreticos primæ Classis rejicitur in Indice Romano librorum prohibitorum.

D. In hac quarta, quæ nunc sequitur, Clarissimorum Sæculi XVI. Authorum Classe Scriptores Gallos collocasti, quos proindè hìc recensere debes, & de Operibus, quibus maximum Ecclesiæ & Reipublicæ Litterariæ splendorem contulerunt, pauca delibare.

M. Præcipuos hìc percensebo Scriptores Gallos, qui Sæculum XVI. doctrinâ & pietate nobilitarunt. His tamen exceptis, qui de rebus ad Grammaticam & Historiam attinentibus scripserunt, quorum jam in superioribus Classibus meminimus; vel qui periti Jurisconsulti fuerunt, aut Monasticam, sive Regularem Vitam professi sunt,

sunt, de quibus in sequentibus Classibus, juxta præscriptum ordinem, sermonem sumus habituri. Decem verò præcipui tùm in Theologia perdoctis suis Operibus illustrandâ, tum in Scripturis Sacris interpretandis, & in refellendis Hæreticorum erroribus celebrantur Sæculi XVI. Scriptores Galli, quorum primus est *Jacobus Faber*, dictus *Stapulensis*, quòd ad *Stapulas*, maritimum Picardiæ pagum, natus esset. Fuit Vir humanis divinisque litteris excultissimus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, quem *Erasmus* appellat *magnum bonarum Litterarum Antistitem*. Præter alia Opera, scripsit *Jacobus Faber Stapulensis* Commentaria in Evangelia, in Epistolas *S. Pauli*, & in septem Epistolas Canonicas & in Psalmos, necnon Tractatum *De tribus Magdalenis*. Hìc tamen obiter advertere debes, hunc *Jacobum Fabrum Stapulensem*, nimio novitatis studio abreptum, quibusdam erroribus sua respersisse Opera, quæ subinde jussu *Clementis VIII.* Pontificis Maximi in Librorum prohibitorum Indicem relata sunt, donec alicujus Catholicæ Facultatis studio, vel præcipiente Inquisitione Generali, emendata in lucem prodirent. Ejusdem *Jacobi Fabri Stapulensis* errores confutavit *Natalis Bedda*, Sacræ Facultatis Parisiensis Syndicus, Vir doctissimus, qui etiam calamum strinxit in *Desiderium Erasmum*, quem multorum errorum insimulavit, à quibus ut se purgaret *Erasmus* prolixam adversùs ipsum adornavit Apologiam, quæ extat in Tomo IX. recentis Operum *Erasmi* Editionis Lugduni Batavorum anni MDCCVI. Eamdem ferè sortem nactus est alter celebris in Galliis Regius Linguæ Hebraicæ Pro-

Professor *Franciscus Vatablus*, patriâ Ambianensis, Vir insignis doctrinæ & in Sacris Litteris exercitatissimus, qui licèt morte præventus, nihil omninò in publicam lucem emiserit, *Annotationes* tamen, quas ipse in Scripturam Sacram in suis publicis Lectionibus tradiderat, sed ab hæreticis depravatas, evulgavit *Robertus Stephanus*, Typographus Hæreticus Calvinista. Quò factum est, ut, statim ac ejusdmodi *Notæ*, seu Annotationes in Scripturam Sacram in publicum prodierunt, à Doctoribus Sacræ Facultatis Parisiensis fuerint tanquam Hæreticæ proscriptæ, & Romæ in Indicem Librorum prohibitorum relatæ, donec ab aliqua Facultate Theologica, aut Inquisitione Generali expurgatæ publicâ luce donarentur. Id Beneficii Christiano Orbi cumulatissimè præstiterunt Salmanticenses & Complutenses Theologi, qui *Francisci Vatabli* nomine inscriptum Opus castigatum atque penitùs emendatum, Salmanticæ apud *Gasparem de Portonariis* edi curaverunt. Cæterùm, *Franciscum Vatablum* fuisse virum cumprimis Catholicum & doctum testatur *Cornelius à Lapide* Prolegom. In Epistolas Apostoli *Pauli* his verbis: *Franciscus Vatablus Catholicus fuit, sed ejus scripta ab Hæreticis excusa & depravata sunt: Alioqui Vir ipse fuit egregiè doctus tam in Hebræis, quàm in Græcis*. Inter peritos Scripturæ Sacræ Interpretes jure merito censeri debet *Joannes Gagnæus*, Theologus Parisiensis, ejusdemque Academiæ Cancellarius, *Francisco I.* Galliarum Regi à Concionibus & eleemosynis, qui eximiâ eruditione, Linguarum peritiâ, & singulari pietate præditus, perutiles in novum Testamentum edidit Com-

Commentarios, aliisque etiam perdoctis lucubrationibus Clarissimus apud Viros Litteratos evasit. In confutandis Lutheranorum & Calvinistarum erroribus præclaram Ecclesiæ operam navarunt quinque insignes Sacræ Facultatis Parisiensis Theologi, videlicèt *Claudius Espencæus*, *Claudius Sanctesius*, *Jodocus Clictoveus*, *Jacobus Merlinus*, & *Hermannus Lethmatius*, quorum primus, seu *Claudius Espencæus* illustri genere natus, eruditione, facundiâ & pietate, nobilitatis decus cumulavit. Concilio Tridentino interfuit, & in Colloquio Poissiacensi *Theodorum Bezam*, cæterosque Sectæ Calvinianæ Ministros confutavit, atque ad illorum errores penitùs profligandos edidit libros quinque *De Eucharistia & ejus Adoratione*: sex libros *De Continentia*: *Apologiam adversùs Ministros Hæreticos*: Tractatum *De Missa privata & publica*, & alia complura utilissima Opuscula. Ad Concilium Tridentinum unà cum *Carolo Lotharingo* Cardinali profectus est *Claudius Sanctesius*, & in eo elegantem Orationem habuit, quæ sic incipit: *Illustrissimi Domini*. Adfuit quoque Colloquio Poissiacensi, ubi avitam Sacro-Sanctæ Eucharistiæ Fidem invictè propugnavit, atque contra Sectæ Calvinianæ Pseudo-ministros Scriptis doctissimis vindicavit. Ex Ordine Canonicorum Regularium, cui nomen dederat *Claudius Sanctesius*, ad Ebroicensem Episcopatum assumptus est. Contra Hæreticos Lutheranos *Jodocus Clictoveus*, Carnutensis Ecclesiæ Canonicus, varios Tractatus edidit, videlicet *Propugnaculum Ecclesiæ contra Lutheranos*: *Antilutherum*: *De Sacramento Eucharistiæ contra Oecolampadium*, aliaque ejusmodi de Dogmatibus nonnullis

Catho-

Catholicos inter Hæreticos controversis Opuscula. Edidit quoque ac eruditis Notis illustravit Decreta Concilii Senonensis, in quo, uti in superiori Colloquio diximus, nefanda *Lutheri* doctrina fuit profligata. De aliis, quæ *Jodocus Clictoveus* lucubravit, Operibus, legendus est *Possevinus* in Apparatu. Non minori zelo Hæreticorum errores oppugnavit *Jacobus Merlinus*, qui, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarii munere fungens, cùm intelligeret, nihil ad retundendos Hæreticorum conatus efficacius esse armis, quibus dudùm Sancti Patres eorum errores contriverunt, Sacrorum scilicèt Conciliorum, & Catholicorum Antistitum Decretis, in duos Tomos ea collegit ac publici juris fecit. Scripsit etiam Apologiam pro *Origine*. Ecclesiam suis perdoctis Operibus haud parùm illustravit, & adversùs hæreticos communivit *Hermanus Lethmatius*, Theologus Parisiensis, & Episcopi Ultrajectensis Vicarius Generalis, qui, ut testatur coævus quidam Scriptor, *cùm, antequàm studium Theologicum ingrederetur, feliciter esset auspicatus Græcarum ac bonarum litterarum notitiam, ita se gessit in hoc cursu Sorbonico Theologiæ, ut omnium punctis primas meruerit, idque in ea Schola, quæ sine controversia in hoc studiorum genere semper primas tenuit..... Nihil Conciliorum, nihil historiarum, nihil veterum Theologorum non excussit, atque adeò habet in promptu. Ingenium velox ac rapidum, discendi aviditas inexplebilis, judicium præsens & expeditum; quodque in hoc genere rarum est, nihil habet arrogantiæ, nihil bilis, nihil supercilii. Mira comitas, mira modestia &c.* Scripsit *De Instauranda Religione* libros novem. His Clarissimis

Viris,

Viris, Facultatis Parisiensis alumnis, duos alios adjungam Scriptores in Gallia illustres, videlicèt *Jacobum Almainum*, celebrem Theologum Parisiensem, qui multa Opera Philosophica, Moralia, & Theologica edidit, & *Joannem Mercerum*, Lutetiæ Parisiorum Linguæ Hebraicæ Professorem, qui egregios Commentarios adornavit in *Genesim*, in *Job*, in *Salomonem*, & sex *minores Prophetas priores*. De aliis eruditis Gallis Scriptoribus, & præsertim de celeberrimæ Universitatis Parisiensis Academicis consule *Egassium Bulæum*, qui ad calcem Tomi VI. *Historiæ Universitatis Parisiensis* illustriorum ejus Academicorum, qui Sæculo decimo sexto floruerunt, amplum satis Catalogum exhibet. Hìc tamen prætermittere haud debeo unum, qui mihi penè exciderat, doctissimum Scriptorem Gallum, *Gilbertum Genebrardum*, qui in Arvernia, Galliæ Provinciâ, natus, Hebraicarum litterarum apud Lutetiam Parisiorum primùm Regius Professor fuit, deindè Romæ Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, postremò Aquensis in Galliis Archiepiscopus, diversa reliquit ingenii sui monumenta *De sacra Liturgia*, *De Ecclesiasticis Electionibus*. Plures etiam libros ex Hebræo in latinum convertit, *Josephi* quoque Judæi Opera ex Græco in Gallicum sermonem transtulit. Luculentum *Chronicon* ab Orbe condito ad sua usque tempora productum contexuit; & doctissimum in Psalmos Commentarium emisit in lucem, ex quo Cardinalis *Bellarminus* plurima hausit, & in suos Psalterii Commentarios derivavit.

D. Pratèr eximios illos Scriptores Italos, Grammaticos videlicèt & Historicos, Cardinales & Epi-

& Episcopos, quos jam in superioribus Virorum Sæculi decimi sexti eruditorum Classibus laudasti, fueruntne in Italia eodem Seculo decimo sexto alii Scriptores, eruditionis famâ conspicui, & omnium Gentium commendatione celebrati, atque subindè Sæculorum memoriâ digni?

M. Pratèr insignes Scriptores Italos, quos jam in medium produximus, extiterunt Sæculo decimo sexto alii longè plures, tùm periti Jurisconsulti, tùm perdocti Authores, qui è Statu vel Monastico, vel Regulari, tanquàm ex equo Trojano prodeuntes, præclarum Italiæ decus conciliarunt, sibique immortale nomen pepererunt. Verùm, de Jurisconsultis, & de Scriptoribus, qui Sæculo decimo sexto Monasticam, vel Regularem Vitam professi sunt, cùm simus dicturi in sequentibus Virorum illustrium Classibus, in quas, velut totidem alvearia, illos distribuimus, in hac quinta Virorum Sæculi decimi sexti eruditorum Classe duos dumtaxàt proferam egregios Scriptores Italos, qui ad sequentes reduci non possunt. Primus nobilissimus Scriptor, est *Flaminius Nobilius*, patriâ Lucensis, Vir Græcè Latinèque doctissimus, qui pratèr alia Opera, in Editione Versionis LXX. Interpretum, quæ Romæ *Sixti V.* Pontificis Maximi auctoritate in lucem prodiit, egregiam, unà cum *Antonio Carafa* Cardinali, navavit operam, & Editionem Latinam, Vulgatam & veterem Scripturæ Sacræ, dictam *Italam*, quæ ex Versione LXX. Interpretum erat expressa, quæque ante Hieronymianam Editionem, quam nunc Vulgatam nuncupamus, publicè in Ecclesia legebatur, sed jam à mille & ampliùs annis evanuerat, luci denuò, quoad

ejus fieri potuit, restituit, interpretationem textus LXX. Interpretum Græci ex variis Sanctorum Patrum Sententiis hàc illàc dispersis, collegit, & in his, quæ ex Sanctis Patribus excerpere haud potuit, transferendis, veteris illius, seu *Italæ*, Editionis stylum & simplicitatem exprimere pro viribus studuit. Sic antiquam illam Scripturæ Sacræ Versionem ad normam Versionis LXX. Interpretum factam, jamque extinctam, nobis quasi redivivam exhibuit, edique curavit Romæ anno MDLXXXVIII. Contendunt attamen duo perdocti Critici, antiquam Versionem Scripturæ Sacræ, dictam *Italam*, non fuisse à *Flaminio Nobilio* omninò restitutam. Quanquàm enim (inquit doctissimus *Daniel Huetius*, Episcopus Abrincensis in libro De Claris Interpretibus pag. 110.) *Italam illam Scripturæ Sacræ Editionem totam ex Latinorum Scriptis maximo labore collectam consarcinare, & renovare studuerit Flaminius Nobilius, attamen cùm pannos illos è Patribus undequàque corraserit Nobilius, & non Italam unam, sed complures alias, passim tunc temporis emergentes, & omnium usui permissas, promiscuè Patres usurparent, immò pro captu suo loca ex tempore sæpè converterent, vel ab aliis conversa memoritèr recitarent, cùmque è lxx. Senum Editione Κοινῆ profecta sit Italica; Sixtinæ autem, quam illam esse Hexaplis intextam, eruditi propugnant, Nobiliana consentiat; certissimum est, non faciliùs in Nobiliana Italam, quàm aliam quamlibet reperiri posse.* Idem judicium profert alter peritus Criticus, seu *Richardus Simonius*, Congregationis Oratorii Presbyter, capite 19. *Disquisitionum Criticarum de variis Bibliorum Editionibus*, ubi hæc habet: *Hanc puram*

puram putam esse Ecclesiæ Latinæ Versionem, quæ ante Hieronymum sola in Occidente legebatur, nemo rei Criticæ peritus affirmaverit. Fieri siquidem non poterat, ut Nobilius illam modis omnibus absolutam & perfectam ex Patrum testimoniis hauriret, qui eam non exactè secuti fuerant, & si qui eorum Græcè docti fuerunt, Versionem novam ad Græcum sermonem LXX. Interpretum condere non ipsis fuit religio. Alius Scriptor Italus, qui Sæculo decimo sexto floruit, quemque singulari laude dignum esse autumo, est *Albertus Pius*, Carporum in Italia Princeps, qui non solùm præclaris Legationibus apud Summos Pontifices *Julium II. Leonem X.* & *Clementem VII.* summâ cum laude perfunctus est, sed etiam singulari doctrinâ conspicuus doctissimis libris impia *Lutheri* dogmata confutavit, & cum *Desiderio Erasmo* Litterarias Concertationes habuit, ut liquet ex libris, quos ultrò citròque scripserunt.

D. Veniamus nunc ad Scriptores Hispanos quos in sexta Virorum eruditorum Sæculi decimi sexti Classe collocasti, & prætermissis Monachis ac Regularibus, necnon peritis Jurisconsultis, de quibus in sequentibus Classibus in quas eos ordinatè disposuisti, opportuniùs differemus; illos tantùm selige Classicos Scriptores, qui majori eruditione in Hispania præfulserunt, & Ecclesiæ novum splendorem perdoctis suis lucubrationibus contulerunt.

M. Duos in primis laudabo Scriptores Hispanos, linguarum peritissimos, & in Sacrarum Litterarum notitia omni exceptione majores, videlicèt *Benedictum Ariam Montanum*, & *Andream Masium*, quorum primus, patriâ Hispalensis, Do-

Doctor Theologus, omnium penè gentium linguis atque litteris apprimè excultus, à *Philippo II.* Hispaniæ Rege in Aulam adscitus, & in Ordinem Militiæ Sancti *Jacobi* cooptatus est, missusque Antuerpiam, ubi incredibili labore Regiam Sacrorum Bibliorum Editionem, magno Ecclesiæ & Reipublicæ litterariæ commodo, quinque Linguis, Hebraicâ, Chaldaicâ, Græcâ, Syriacâ, ac Latinâ, Tomisque octo comprehensam, adornavit, & Typis Plantinianis edi curavit anno MDLXXII. Immensum illud ac verè Regium Opus à Theologis Hispanis, Parisiensibus, Lovaniensibus, & aliis Viris eruditione & pietate conspicuis fuit approbatum & eximiè laudatum, à quibusdam etiam *Orbis miraculum* dictum, teste *Waltono* in Præfatione ad Biblia Polyglotta Londinensia, Prolegomeno IV. pag. 33. Certè, hæc Biblia *Polyglotta Antuerpiensia* indefesso labore, summâque fide ac diligentiâ fuisse excusa, asserit ipsemet *Benedictus Arias Montanus* in Epistola ad *Gregorium XIII.* Pontificem Maximum his verbis: *Fuimus in labore per quatuor integros annos à xv. mensis Maji, quo ego in Belgium perveni, anni* 1568. *usque ad ultimam Martii hujus anni* 1672. *Tandèm structura omnis, magnis quidem sumptibus, sexaginta perpetuis Operis magnis Virorum doctorum laboribus est absoluta . . . . . Quod verò ad Operis integritatem attinet, ego Benedictus Arias Montanus offero sanctitati vestræ Biblia ipsa à me à prima pagina ad ultimã usque diligenter Græcè & Chaldaicè perlecta, & cum exemplaribus fidelissimè collata, tanta fide ut non solùm si verbum aliquod depravatum deprehendatur, sed si vel unus apex aut jota in illis meritò desideretur, cæteris coadjutoribus meis*

meis exceptis, & à culpa liberatis, ipse perpetuam ignorantiæ & negligentiæ notam subire velim...... *Tertium Tomum* (in quo continetur Apparatus ad Sacra Biblia (*totum ferè ipse conscripsi*. Pratèr hoc non minùs arduum, quàm eruditum & Ecclesiæ utile Opus, edidit insuper *Benedictus Arias Montanus* Commentarios in libros *Josue* & *Judicum*, in duodecim Prophetas Minores, in *Isaiam* Prophetam, in quatuor Evangelia, & in Acta Apostolorum. *Benedicto Ariæ Montano* ad Regiam Sacrorum Bibliorum Antuerpiensium Editionem adornandam *Philippus II.* Hispaniarum Rex socium adjunxit *Andream Masium*, in Brabantia, seu in Belgio Hispanico, natum, qui prætèr Italicam, Gallicam, Hispanicam, cæterasque Europæ Linguas, quas optimè callebat, etiam Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, atque Syriacæ cognitione haùd vulgari præditus erat. Multa egregia edidit Opera, inter quæ præsertim eminent *Disputatio de Cæna Domini* adversùs Calvinistas, & eruditus in librum *Josue* Commentarius. In explicandis quoque litteris Sacris nomen inter Ecclesiasticos Authores promeriti sunt tres alii Scriptores Hispani, videlicèt *Petrus Serranus*, Cordubensis, Doctor Theologus, & Canonicus Complutensis, qui Commentaria in *Leviticum*, in *Ezechielem*, & *Apocalypsin* edidit: *Paulus Palacius*, Granatensis, Theologus Conimbricensis, qui Commentarios scripsit in XII. Prophetas Minores, & in Evangelium Sancti *Matthæi*, necnon Catenam Patrum in eumdem Evangelistam: *Leo Castrius*, in Academia Salmanticensi Doctor Theologus, qui Commentarios concinnavit in *Isaiam*, & *Oseam* Prophetas, *Apologiam* ador-

adornavit *pro Vulgata Scripturæ Sacræ Editione, & lxx. Interpretum Versione*. Postremò, inter illustres Sæculi decimi sexti Scriptores Hispanos jure optimo censeri debent *Joannes Medina*, Theologus Complutensis, qui librum edidit *De Pœnitentia, Restitutione & Contractibus*: *Jacobus Payva de Andrada*, Lusitanus, inter Concilii Tridentini Theologos celebris, qui Explicationes omnium ferè Capitum de Religione Controversorum perdoctè scripsit, & adversùs Hæreticorum, præsertim *Martini Kemnitii* calumnias, egregiam publici juris fecit Tridentinæ Fidei defensionem: *Joannes Ludovicus Vives*, patriâ Valentinus, Græcis Latinisque litteris excultus, qui, multis editis Operibus, præsertim quinque libris *De tradendis Disciplinis*, & commentariis in libros Sancti Augustini *De Civitate Dei*, immortalis famæ gloriam est adeptus, & *Magister Joannes Avila*, qui Vitæ Sanctimoniam cum doctrina & zelo animarum conjungens, aliquot Opera Ascetica, & spirituales variis de argumentis reliquit Epistolas, ut videre est in ejus Vita, quam tribus libris conscripsit noster *Luduvicus Granatensis*.

D. Quò pleniorem peritorum Sæculi XVI. Scriptorum Hispaniæ notitiam habere possim, optarem vehementèr, ut ad illorum classem hic etiam eos referres viros eruditos, qui eodem Sæculo in Belgio Hispanico floruerunt, suisque lùcubrationibus Ecclesiam, ac Rempublicam litterariam illustrarunt.

M. In Belgio Hispanico plures celeberrimi fuerunt Scriptores, quos inter, isti, quos laudabimus, in maximo honore apud viros eruditos ha-

bentur, videlicet *Jacobus Latomus*, *Ruardus Tapperus*, *Thomas Stapletonus*, *Joannes Driedo*, *Jansenius Gandavensis*, *Guillelmus Estius*, *Henricus Gravius*, *Christianus Adricomius*, *Albertus Pighius*, *Justus Lipsius*, *Joannes Molanus*, & *Guillelmus Lindanus*, de quibus pauca hìc attingemus. In primis, *Jacobus Latomus*, inter Lovanienses Theologos insignis, multa scripsit adversùs *Lutherum*, *Oecolampadium*, aliosque huius furfuris Novatores. *Ruardus Tapperus*, Lovaniensis Academiæ Doctor & Cācellarius, interfuit Concilio Tridentino, & *Articulos Lovanienses* contra *Lutherum* erudito Opere explicuit ac defendit. Author est etiam libri De Providentia & Prædestinatione. *Thomas Stapletonus*, in Lovaniensi Accademia Regius Sacræ Scripturæ interpres, multa adversùs Hæreticos Lutheranos & Calvinistas edidit Opera, de quibus legendus est *Aubertus Miræus*, in suis Illustrium Belgii Scriptorum Elogiis. *Joannes Driedo*, Lovaniensis Academiæ Doctor Theologus, complura itidem scripsit Opera, quibus Lutheranorum errores impugnavit, & Catholicæ Fidei dogmata doctissimè propugnavit. *Jansenius*, Gandavensis Episcopus, scripsit utilissimam *Concordiam in IV. Evangelia*, doctissimum *Commentarium in Psalmos*, & alia Opera. *Guillelmus Estius*, in Academia Lovaniensi Doctoris Theologi laureâ donatus, ac deindè Academiæ Duacensis Cancellarius, Censuram, nomine ejusdem Academiæ, contra novam *Leonardi Lessii*, & *Joannis Hamelii* doctrinam adornavit, variaque reliquit ingenii sui monumenta, in quibus, præter eruditos *Commentarios in quatuor Magistri Sententiarum libros*, eminent *Commentarii in Beati*

Beati Pauli & aliorum Apostolorum Epistolas & *Notæ in præcipua ac difficiliora Scripturæ Sacræ loca*, quibus toti Orbi Christiano eruditionis famâ notissimus evasit. *Henricus Gravius*, Academiæ Lovaniensis Doctor, composuit, ejusdem Academiæ nomine, Censuram Lovaniensem contra jam laudatos *Lessium*, & *Hamelium*, & Romam posteà ob summam eruditionem à *Sixto V.* Pontifice Maximo adscitus, à *Gregorio XIV.* ejus Successore, honorificè in Aulam exceptus ac Bibliothecæ Vaticanæ, & Apostolicæ Typographiæ Præfectus est institutus, atque Eminentissimis Cardinalibus, præsertim Sancto *Carolo Borromæo* & *Cæsari Baronio* charissimus fuit. *Christianus Adricomius* accuratissimam Tabulam Geographicam Terræ Sanctæ descripsit, & Historiam Sacrorum Bibliorum Chronologicam contexuit. *Albertus Pighius*, Academiæ Coloniensis Doctor Theologus, *Hadriano VI.* Pontifici Maximo, à quo in Italiam fuerat evocatus, ac deinde *Clementi VII.* & *Paulo III.* acceptissimus fuit. Præter nonnulla, quæ *de tempore celebrandi Pascha*, & *de Reformatione Kalendarii* edidit Scripta Mathematica, pluribus etiam Theologicis Operibus Catholicam Fidem adversùs Hæreticos defendit, quæ *Possevinus* & *Miræus* accuratè recensent. *Justus Lipsius*, diligentiâ, judicio, ac multiplici lectione clarissimus, egregia edidit Opera, inter quæ præcipuam laudem merentur ejus *Commentarius in Tacitum*: *Civilis doctrina*: *Monita Politica*: *Manuductio in Philosophiam Stoicam*: *Notæ in Senecam*. Quoddam novum, & nimis concisum dicendi genus affectavit, quod interdùm ejus orationem reddit obscuram, & pu-

rioris latinitatis cultoribus meritò non probatur. *Joannes Molanus*, Lovanienſis Academiæ Theologus, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus, perdoctis de Hiſtoria, & de Theologia Operibus nomen ſuum celebravit. Denique, *Guillelmus Lindanus*, Religionis Catholicæ, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ zelo accenſus, ex Doctore Lovanienſi Ruremundenſis primò, deindè Gandavenſis, poſt *Cornelium Janſenium*, Epiſcopus, ſcripſit *Panopliam Evangelicam*, & *Tabulas Analyticas omnium Hæreſum* ſui Sæculi.

D. Cùm *Lutheri*, & *Zuinglii* Hæreſes in Germania & in Septentrionalibus Regionibus fuerint Sæculo XVI. latè propagatæ, præſtat, ut in hac ſeptima illuſtrium Virorum ejuſdem Sæculi Claſſe, celebriores inſeras Scriptores, qui tàm in Germania, quàm in aliis vicinis Regionibus voce & Scriptis adversùs illas Hæreſes acritèr decertarunt, & ſtantes invicti in prælio pro domo Domini, nomen ſuum immortalitati conſecrarunt. De aliis verò Germaniæ Scriptoribus, qui aut periti Juriſconſulti fuerunt, aut Monaſticæ, & Regulari Vitæ addicti, in omni ſcientiarum genere excelluerunt: commodiùs in aliis ſequentibus Claſſibus, in quas illos, majoris claritatis ergò, diſtribuimus, differemus.

M. Quinquè potiſſimùm inſignes Authores ad hanc ſeptimam Virorum Sæculi XVI. eruditorum Claſſem referri poſſunt, qui ad debellandas *Lutheri*, *Zuinglii*, & aliorum eâ ætate ſerpentes Hæreſes ſtrenuè allaborarunt, omneſque ſuas curas ac ſtudia contulerunt, videlicèt *Fredericus Nauſea*, *Joannes Ekius*, *Joannes Cochlæus*, *Joannes Grop-*

Gropperus, *& Joannes Noguera*, de quorum patriâ, dignitate, & Operũ præstantiâ pauca hic dicemus. Primus, seu *Fredericus Nausea*, Natione fuit Germanus & Viennensis in Austria Episcopus, qui pręter Expositiones librorum *Tobiæ & Judith*, variasque Homilias, & Metaphrasim in Evang. S. *Matthæi*, scripsit *Expositionem* XII. Articulorum Fidei contra Hæreticos: *Censuras & Solutiones Quæstionum contra Zuinglium*: Librum *De Sacramento Eucharistiæ*; Librum *De Christiani Sacerdotii dignitate*: Librum *De Cælibatu Sacerdotum & Votis Monasticis contra Lutherum*: *De ineunda in Christiana Religione Concordia*: *De Concilio Tridentino*, & alia de controversis Capitibus Opuscula. Non minùs in Concionatorio genere, quàm in Dogmatico excelluit perdoctus ille Episcopus, cujus Conciones, sicut & alia Opera fuerunt Coloniæ typis excusa anno MDLXXVI. *Joannes Ekius*, Natione Suecus, Sacrarum Litterarum in Academia Ingolstadiensi Professor, *Luthero*, *Carlostadio*, *Oecolampadio*, *Melanctoni*, *Pomerano*, aliisque pestibus & vivâ voce & scriptis voluminibus disputando strenuè sese velut murum æneum opposuit, præsertim in Disputatione Lipsica, utì in superiori Colloquio jam observavimus. Edidit *Enchiridion*, in quo Fidei Controversias brevitèr ac eruditè dirimit; duos libros *de Missæ Sacrificio*; tres etiam alios *De Primatu Petri*; Librum quoque *de Pœnitentia*, & plures Homilias tùm de Tempore, tùm de Sanctis, ut nihil in præsentia dicam de ejus Operibus Philosophicis, seu Commentariis in libros octo Physicorum *Aristotelis*, & in libros de Cœlis, & Anima, & de Meteoris. *Joannes Cochlæus*, Norimber-

gensis, Vir doctissimus, & Fidei Catholicæ propugnator acerrimus, plurima contra *Lutherum*, *Bullingerum*, *Osiandrum*, *Melancthonem*, *Bucerum*, *Calvinum*, & alios ejusdem farinæ impiarum Sectarum Magistros scripsit Opera, & inter alia, librum *De Actis & Scriptis Lutheri*, qui ad detegendas versipellis hæresiarchæ *Lutheri* artes, ejusque Sectarios confundendos utilissimus est. Scripsit insuper *Joannes Cochlæus* librum *De Septicipiti Luthero*, ut ostenderet illius Hæresiarchæ libros à capite ad calcem antilogiis, seu manifestis contradictionibus scatere, eumque nunquàm sibi constare. Non minori constantiâ & animi ardore *Joannes Gropperus*, Natione Germanus, ex Susato Westphaliæ Oppido ortus, Fidem Catholicam propugnavit, tùm in Conventu Ratisponensi coram *Carolo V.* Imperatore, tùm Coloniæ contra *Hermannum*, nefarium ejusdem Civitatis Archiepiscopum Apostatam, tùm denique pluribus adversùs Hæreticos conscriptis Operibus, quæ recenset *Possevinus* in Apparatu sacro, & ab omnibus Viris eruditis impensè laudantur, potissimùm ejus *Institutio Catholica*: *Liber De Eucharistia*: & Tractatus *De Communione sub altera tantùm specie*, Germanicè scriptus, & à *Surio* latinitate donatus. Inter S. R. E. Cardinales *Joannes Gropperus*, ob præclara merita, fuit à *Paulo IV.* Pontifice Maximo cooptatus. Demùm, *Jacobus Noguera*, Viennensis Ecclesiæ in Austria Decanus, & *Ferdinando I.* Imperatori à Sacris, eodem zelo Fidei Catholicæ succensus, libros duos *De Ecclesia Christi ab Hæreticorum Conciliabulis dignoscenda in lucem emisit*.

D. Profligatâ penitùs Sæculo XVI. in An-

glia

gliæ Regno, sub *Henrico VIII.* & *Elizabethâ* ejus filiâ, Religione Catholicâ, facilè mihi persuadeo, paucos admodùm eodem Sæculo extitisse celebres Catholicæ Communionis Scriptores Anglos, præter illos, quos jam in superioribus Classibus laudasti, videlicèt *Reginaldum Polum*, *Joannem Fischerum*, *Thomam Morum* & *Nicolaum Harpsfeldium*. Quapropter, nos breviter expedire debemus ab his Scriptoribus Anglis, quos in octava Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classe reposuisti.

M. His Catholicis atque Clarissimis Scriptoribus Anglis, quorum jam in superioribus Classibus meminimus, tres alios in hac octava Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classe addam illustres ejusdem Nationis Scriptores, qui Schisma Anglicanum detestantes, nihil tàm curæ ac cordi habuerunt, quàm ut Fidei Catholicæ dogmata contra Hæreticos, Angliæ Regnum miserè infestantes, linguâ & calamo tutarentur. Primus est *Joannes Major*, Natione Scotus, Doctor Theologus Facultatis Parisiensis, ubi celebri famâ & Auditorum frequenti concursu Theologiam Professus, scripsit *Commentaria in IV. Libros Magistri Sententiarum, & in IV. Evangelia*. Concinnavit etiam *Historiam majoris Britanniæ*, seu *Angliæ*, in sex libros partitam. Alter Scriptor Anglus, est *Guillelmus Alanus*, Lancastriæ in Anglia natus, Doctor Theologus Academiæ Duacensis, qui plura scripsit de Quæstionibus controversis contra Hæreticos Opera, quæ *Possevinus* in Apparatu, & *Pitseus* in libro *De Illustribus Angliæ Scriptoribus* enumerant. Nec solùm perdoctis suis lucubrationibus Fidem Catholicam egregiè tuitus est *Guillelmus*

Alanus,

Alanus, sed etiam multis pro Orthodoxâ Religione & Romani Pontificis Primatu, in Anglia Regnante *Elizabetha*, laboribus ac periculis perfunctus est, solumque vertere coactus. Restaurandæ tamen in Anglia extinctæ penè Religionis Catholicæ percupidus, plura Seminaria variis in locis erexit, tùm ad fovendos Anglos propter Fidem Catholicam exules, tùm etiam ad erudiendos ejusdem Nationis juvenes, qui ad Hæresim debellandam idonei & pro Fidei Catholicæ, atque pro Romani Pontificis Primatus veritate magno animi ardore propugnandâ parati, in Angliam identidèm transmitterentur. In præmium tot laborum, quos pro Fide Catholica constanti animo exantlavit *Guillelmus Alanus*, in Cardinalium Collegium à *Sixto V.* Pontifice Maximo adlectus est. Denique *Nicolaus Sanderus*, rebus, propter schisma Regni Angliæ, cujus Historiam scripsit, turbatis, Romam sese recepit, ubi laureâ Doctoris Theologi donatus, ad Tridentinum Concilium mox perrexit, & in eo augustissimo Patrum Consessu præclara ingenii & eruditionis suæ prodidit argumenta. Cardinalis *Stanislai Hosii*, cujus superiùs mentionem fecimus, per Poloniam, Prussiam ac Lituaniam comes individuus fuit, & inde Lovanium secedens, librum *De Visibili Monarchia* ibidem conscripsit. Sed de eximiis Scriptoribus, quos in octo priores Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classes tribuimus, satis hactenùs, pro eâ, quam in hisce in Historiam Ecclesiasticam Colloquiis nobis præscripsimus, brevitate, dictum sit. Nunc in aliis sequentibus Classibus disserendum nobis incumbit de Clarissimis Scriptoribus, qui Vitam

Mona-

Monasticam aut Regularem professi, locum inter peritos Scriptores Ecclesiasticos, summo omnium Virorum eruditorum consensu promeriti sunt.

D. Protulitne Ordo Monasticus Sæculo XVI. insignes Scriptores, qui doctrinâ & pietate Ecclesiam illustrarint?

M. Ex Sanctissimo Carthusianorum Ordine quatuor celebres prodierunt Sæculo XVI. Scriptores videlicèt *Joannes Picus*, *Godefridus Tilmanus*, *Laurentius Surius*, *& Petrus Sutor*, quorum primus, Carthusiæ Divionensis in Galliis Prior, scripsit Commentarium in *Cantica*, quem *Ascensius Badius* edidit anno MDXXIV. Alter, seu *Godefridus Tilmanus*, Carthusianus Parisiensis, pratèr aliqua Græcorum Patrum Monumenta in latinam linguam versa, edidit *Allegoriarum & Tropologiarum in locos selectos utriusque Testamenti* librum. Tertius, seu *Laurentius Surius*, natione Germanus, præter nonnulla aliorum Opera, quæ ex Germanico idiomate in latinum transfudit, Collectionem etiam Conciliorum multis in locis emendatam, & septem Tomis comprehensam, edidit in lucem. Historiam Ecclesiasticam ab anno MD. ad suam usque ætatem deduxit, & Sanctorum Vitas collegit ac descripsit. Quo in ultimo Opere *Laurentius Surius* benè meritus est de Sanctis Ordinis Prædicatorum, quorum Vitas accuratiùs ac elegantiùs scripsit, quasi ad Carthusianorum Ordinem pertinuissent, & eam ob rem, Comitia Ordinis FF. Prædicatorum Generalia ad illum litteras scripserunt, quibus grates egerunt maximas pro hac singulari in Dominicanos benevolentia, quam testatam voluit effusis illis laudibus in viros

ros hujus Ordinis sanctitate illustres. Ipse etiam S. *Pius V.* Pontifex Maximus, *Laurentium Surium* pro suis in Ordinem Prædicatorum, & in totam Ecclesiam meritis impensè laudavit, & ad prosequendam Historiam Ecclesiasticam hortatus est. Quartus denique, seu *Petrus Sutor*, Natione fuit Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & posteà Monachus Carthusianus, atque in pluribus Cœnobiis Prior. Scripsit *Apologiam pro Editione Vulgata*: Tractatum *De Potestate Ecclesiastica*: Duos libros *De Vita & Disciplina Carthusianorum*, & alia Opera Critica & Polemica, præsertim contra *Desiderium Erasmum*, quem acerrimè Scriptis suis exagitavit. Sed eum vicissim *Erasmus* acerbiori stylo perstrinxit in prolixa Apologia, quam in sui defensionem adornavit, quæque inserta est Tomo IX. Operum ejusdem *Erasmi* postremæ Editionis Lugduni Batavorum. Hìc necessario inserendum esse putavi Clarissimum ejusdem Carthusianorum Ordinis Scriptorem, videlicèt *Dionysium* vulgò dictum, *Carthusianum*, vel *Doctorem Ecstaticum*, quem in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum Sæculi decimi quinti, in quo vixit, memoriæ lapsu prætermisi. Fuit autem *Dionysius Carthusianus* Natione Belga, sanctitatis & eruditionis laude præstantissimus, qui omnes Divinæ Scripturæ Libros egregiis Commentariis elucidavit, scripsit etiam in IV. Libros Sententiarum, variosque Tractatus perindè eruditos emisit in lucem. Hunc religiosissimum Carthusianorum Ordinem semper ipse à teneris annis singulari affectu prosecutus sum, & nunc plurimùm gaudeo, quòd Divina misericordia me, omninò immeritum, addixerit

sacro

facro Ordini Prædicatorum, qui initam à S. Patre *Dominico* amicitiam cum Carthusianis, quasi partem patrimonii sui, diligentissimè custodierunt, & perpetuam hactenùs servaverunt, tùm beneficiis ultrò citròque receptis, tùm similitudine morum & Instituti, quod ferè ejusdem generis est, easdem penè Leges statuit de jejuniis per septem anni menses, de jugi à carnibus abstinentia, de silentio, & de reliquis disciplinæ partibus, quæ adeò intimè utrumque Ordinem devinxerunt, additis etiam ferè eisdem vestibus, ut Dominicanus videatur Carthusianus, qui charitatis causâ, paululùm à solitudine secedit; Carthusianus etiam Dominicanus fit, qui, actione intermissâ, totum se contemplationi tradit. Sed jam ad id, undè paululùm digressi sumus revertamur, & de cæteris aliis illustrioribus Sæculi XVI. Scriptoribus Monachis aliquid breviter strictimque dicamus. Dedit Ecclesiæ Sæculo XVI. Ordo S. *Benedicti* quinque Scriptores Ecclesiasticos, quorum primus fuit *Gregorius Cortesius*, patriâ Mutinensis, Abbas Cassinensis, à *Paulo III.* Pontifice Maximo in Collegium Cardinalium adscriptus, qui Theologiæ, & utriusque juris peritissimus Commentarios exaravit in IV. Sententiarum Libros, aliosque edidit, *De Theologica Institutione: De peccato Originali: De potestate Ecclesiæ: De adventu S. Petri Romam &c.* Secundus Scriptor Monachus Benedictinus, est *Jacobus Billius Brunæus, Abbas S. Michaelis in Eremo*, Guisiæ natus, proximo Hannoniorum finibus Oppido; Vir Græcè ac Latinè doctissimus, qui plurima ex Patribus Græcis, *Gregorio Nazianzeno, Basilio, Chrysostomo, &* Joanne *Dama-*

Damasceno, doctissimè, fidelissimèque latinè reddidit. Latinam suam Lucubrationum S. Joannis *Damasceni* Versionem, quæ Parisiis anno MDLXXVII. Parisiis publici juris facta est, eo potissimùm nomine agressus est *Jacobus Billius*, ut effrænem Hæreticorum, in contemnendis Sanctorum Patrum, & Veterum Theologorum Operibus audaciam retunderet, quemadmodùm ipsemet testatur in Epistolâ nuncupatoriâ ad Cardinalem *Carolum Borbonium*, Rothomagensem Archiepiscopum, his elegantissimis verbis, quæ hìc ad excitandos Juvenes ad lectionem Operum Sanctorum Patrum & Veterum Theologorum inserere operæ pretium duxi: *Inter plurimas Notas*, inquit ille doctissimus Abbas, *quæ Orthodoxos ab Hæreticis dirimunt, hanc vel in primis numerandam haud immeritò quispiam censuerit, quòd illi Veteres Theologos, tanquàm parentes colunt ac suspiciunt, eorum vestigiis hærent, in eorum lucubrationibus, ingeniique monumentis libenter versantur, ab eorum placitis vel transversum unguem sibi minimè discedendum putant. Hi contra celeberrimos etiam quosque Patres, atque tùm doctrina, tùm admirabili vitæ sanctitate, ac pietate præditos, inaudito quodam supercilio aspernantur, ac velut de ponte deiiciunt, eos nunc probris & maledictis incessunt, nunc sannis ac dicteriis impetunt, id denique omnibus modis agunt, ut eos, quos errorum suorum laqueis implicitos tenent, à præstantissimorum Authorum lectione dehortentur. Quos enim errores hac miserrimà tempestate ab orco revocarunt, hos à veteribus Theologis confossos, & jugulatos esse minimè ignorant, ut jam non tàm Hæresum inventores, quàm sepultarum effossores dici possint. Cùm igitur*

tur in Sanctissimorum Virorum scriptis nobis certissimum præsidium constitutum, sibi Crucem defixam, paratamque ruinam esse perspiciant, idcircò eos tanquàm firmissimos Catholicæ Fidei propugnatores infensissimo animo aversantur, ac de omnium manibus sublatos cupiunt &c. Utinam omnes Theologi semper præ oculis haberent hæc, & alia id genus præclara documenta, quæ in hac Epistola Nuncupatoria Operum S. *Joannis Damasceni* suppeditat clarissimus ille Scriptor *Jacobus Billius Brunæus*, qui ob singularem linguæ Græcæ peritiam, & omnigenam eruditionem, Doctorum Virorum Sæculi XVI. maximam sibi venerationem comparavit. Tertius Scriptor Monachus Benedictinus, est *Othomarus Luscinius*, patriâ Argentoratensis, qui edidit *Allegorias Psalmorum*, & Author est Libri, cui titulus: *Pelagus humanæ miseriæ, &c.* Quartus Scriptor Monachus Benedictinus, est *Ludovicus Blosius*, ex illustri prosapia in Belgio oriundus, qui Latinis, Græcis, Hebraicisque Litteris, necnon Philosophiâ & Theologiâ sub optimis Magistris in Academia Lovaniensi imbutus, Regulam S. *Benedicti* in Cœnobio Lætiensi professus est, & posteà, ob vitæ innocentiam, & Regularis Disciplinæ zelum, Abbas ejusdem Monasterii electus, libros Asceticos edidit, qui clarissimum nomen, & magnam sanctitatis opinionem ei pepererunt. Ejus Vitam ex Monasterii Lætiensis Archivis & aliis documentis descriptam exhibet *Bollandus* inter Acta Sanctorum ad diem VII. mensis Januarii, eique Scriptorum pii illius Monachi Catalogum Chronologicum præmittit. Agmen Scriptorum Ordinis S. *Benedicti* claudet *Joannes Docæus*, ex Mona-

Monacho Benedictino Laudunensis in Gallia Episcopus, qui præter libros duos *De æterna Filii Dei Generatione, ejusque temporali nativitate*, Homilias per totum anni curriculum evulgavit. His celebrioribus Ordinis Monastici Scriptoribus unum alium dumtaxat famigeratissimum Cistercìensem Monachum addam, videlicèt *Cyprianum*, appellatum *Phœnicem Hispaniæ*, Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, Latinæque linguarum peritissimum, & Sacrarum Litterarum in Academia Complutensi Professorem eximium, qui Commentarios in *Job*, *Isaiam*, *Jeremiam*, *Nahum*, *in Evangelia S. Matthæi*, & *S. Joannis*, & *Apocalypsin* adornavit, ac tres prætereà libros in Cantica *Salomonis*, deque Mundi Opificio conscripsit. Istos illustriores Scriptores Monachos, quos in nona Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classe constituimus, hìc indigitasse sufficiat, maximè, cùm de aliis Scriptoribus, qui eodem Sæculo Vitam Regularem amplexi sunt, in sequentibus Classibus simus copiosè dicturi.

D. Illustrium Scriptorum Sacri Ordinis Prædicatorum in defensione Fidei Catholicæ constantiam, ardentissimum in proterendis hæresibus zelum, reverentiam ergà Sedem Apostolicam, & in ea colendâ tutandâquæ turbulentissimis temporibus probatam fortitudinem invictam, ac denique illibatam Doctrinam, germanam pietatem, aliaque id genus præclara merita, quibus Ecclesiam illustrarunt, & omnium salutem ubique promoverunt, jam in præcedentibus Colloquiis fuisti latè prosecutus; nunc in ista decima Classe Scriptorum, qui Sæculo XVI. primum inter viros

eru-

eruditos locum obtinuerunt, texere debes elogia clarissimorum Scriptorum Ordinis FF. Prædicatorum, qui eodem Sæculo doctrinâ & pietate inclaruerunt, atque eorum Opera,ac res gestas maximè memorabiles, præsertim ad Ecclesiæ & Reipublicæ litterariæ statum pertinentes, brevitèr annotare.

M. Dominicani,perpetuâ & nunquàm interruptâ serie à S.Patre *Dominico* ad hæc usque nostra tempora, illustrandæ Ecclesiæ, veritati doctissimis suis lucubrationibus propugnandæ, luci Fidei per totum Orbem Gentibus infidelibus inferendæ, atque evertendis enatis Hæresibus tàm egregiam operam navarunt, ut meritò dicta sit Dominicana Religio,*Ordo Veritatis*, quam velut à bicipiti fonte, Sancto *Dominico*, & Doctore Angelico *Thoma Aquinate*, ità copiosè hausit, ut *Marcus Antonius Coccius Sabellicus* Sæculi XVI. Scriptor Italus undecunque doctissimus, *Enneade* nonâ libri quinti *Historiæ* referat, suâ ætate, anno videlicèt millesimo quadrigentesimo nonagesimo, quo florebat, è Sacro FF. Prædicatorum Ordine mille quingentos Sacræ Theologiæ Magistros floruisse. Ex hac immensa Scriptorum messe plures, eosque celebriores in Colloquiis in Historiam superiorum Sæculorum XIII .XIV. & XV. jam produximus, aliosque, qui Sæculo XVI. ore famæ, omniumque gentium commendatione fuerunt celebrati, in hac decima virorũ eruditorum Classe proferemus in medium. Sed ne eorum numerus, qui propemodùm infinitus est, ordini ac perspicuitati, cui potissimùm studere satagimus, officiat; eos sic disponemus, ut primo loco recenseamus doctissimos Cardinales & Episcopos Ordinis Prędicato-

rum, qui Sæculo XVI. floruerunt, deindè insignes Theologos, & Scripturę Sacræ Interpretes: Denique eximios Concionatores, & Scriptores cùm Asceticos, tùm Historicos. Eminuit Sæculo XVI. inter Cardinales Ordinis FF. Prædicatorum *Thomas de Vio*, patriâ *Cajetanus*, undè illi *Cajetani* nomen adhæsit. Eum Cardinales *Palavicinus*, *Bellarminus*, necnon *Possevinus*, Societatis Jesu Scriptores, aliique mirè laudant ab ingenio, à summa eruditione, à maximis in Ecclesiam meritis, quæ *Leonem X.* Pontificem Maximum impulerunt, ut anno ætatis suæ trigesimo octavo in supremum totius Ordinis sui Magistrum Generalem electum, aliquot post annos ad purpuram eveheret, ad difficillimas, & juxtà honorificentissimas Legationes admoveret, & in Controversiis, quæ circa Religionem emergebant, præ cæteris consuleret. Nec in minori pretio doctissimum illum Cardinalem habuit *Clemens VII.* Pontifex Maximus, qui in expugnatione ac direptione Urbis Romæ, cuius mentionem fecimus in superioribus Colloquiis, cùm vix cuiquam suis malis & periculis implicito liceret de alienis meminisse, non potuit attamen Summus ille Pôtifex, tantâ ruinâ oppressus, Cardinalem *Cajetanum* oblivisci, & in ea totius Urbis calamitate sollicitè inquisivit, quid illi mali accidisset? omnemque sollicitudinem adhibuit, ne ab hostilibus copiis Romam deprædantibus occideretur: *Cavete*, inquiebat, *ne extinguatis Lumen Ecclesiæ.* Quàm amplâ eruditione præditus esset Cardinalis *Cajetanus*, apertè probant commentaria in totam Summam tripartitam S. *Thomæ*, Commentaria in *Scripturam universam*, præter quàm in Canticum,

Pro-

Prophetas, & Apocalypsin: Summula de peccatis, & alia Opuscula tùm Moralia, tùm Theologica, *de Fide & Operibus*, *De Indulgentiis*, & aliis quæstionibus controversis contra Hæresiarcham *Lutherum*. Verùm, cùm nihil sit ex omni parte beatum, ultrò fateri debemus, nullum Cardinali *Cajetano* ab omni errore remotiorem fuisse, quandiù S. *Thomæ*, Doctori Angelico, velut Sacræ anchoræ adhæsit; nullum ad lapsus magis præcipitem, cùm ducem deseruit, & sibi fidit, maximè in Scripturæ Sacræ interpretatione, in qua parùm felicitèr versatus est, sicut observat doctissimus *Melchior Canus*, eiusdem Ordinis Prædicatorum elegantissimus Scriptor libro 2. *De Locis Theologicis* Cap. 13. & libro 8. Cap. 3. ubi hæc habet: *Ego Virum hunc* (ceù Cardinalem Cajetanum) *ut sæpè aliàs testatus sum, semper feci maximè, Plurimùm enim Ecclesiam Christi suis litteris iuvit. Longum est autem hominis commendare sive eruditionem, sive ingenium: molestum etiam universa ipsius Opera commemorare. Illud breviter dici potest: Cajetanum summis ædificatoribus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cujusdam lepræ admixtione, fædasset, & vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confisus, litteras demùm sacras suo arbitratu exposuisset, felicissimè quidem ferè, sed in paucis quibusdam locis acutiùs sanè multò quàm feliciùs &c.* Huic judicio, quod noster *Melchior Canus* tulit de Cardinali *Cajetano*, lubens quidem subscribo, at probare hàud possum acriorem illũ stylum, quo *Ambrosius Catharinus*, eiusdem Ordinis Prędicatorum Scriptor, invectus est in Cardinalem *Cajetanum*, contra

 quem

quem sex libros scripsit, & in his plures profectò calumnias, quàm illius Cardinalis errores, inseruit. Sed magis, mehercle, culpandus est *Alphonsus à Castro*, qui libro 2. *adversùs Hæreses*, omninò inconsiderate Cardinalem *Cajetanum* numero Hæreticorum accensuit. Quam certè atrocem injuriam necesse non est pluribus depellere, post vindicias Inquisitionis Hispanæ, quæ majoris in Cardinalem *Cajetanum* æquitatis, utì est authoritatis in Fidei judiciis, hæc folio 37. *Expurgatorii* pronunciat: *Ex Alphonsi à Castro Indice Operis De Hæresibus, ex quacumque editione, expunge ex numero & catalogo Hæreticorum Thomam Cajetanum, qui potiùs inter summi ingenii viros pietate præclaros, atque optimè de Ecclesia Catholica meritos numerandus est*. Obiit eruditissimus ille Cardinalis die IX. mensis Septembris anni MDXXXIV. & apud FF. Prædicatores in vestibulo Ecclesiæ S. *Mariæ super Minervam*, humili Sepulchro condi voluit. Ejus Vitam scripsit *Antonius Fonseca* Lusitanus. Præter *Thomam Cajetanum*, Cardinalem S. *Sixti*, prodierunt etiam Sęculo XVI. ex Ordine Prędicatorum novem insignes Scriptores, qui ad Episcopatum assumpti Ecclesiam doctrinæ suæ splendore mirum in modum illustrarunt, nimirùm *Augustinus Justinianus, Didacus Deza, Jacobus Naclantus, Joannes Faber, Melchior Canus, Ambrosius Catharinus, Guillelmus Parvi, Bartholomæus Carranza, & Bartholomæus à Martyribus*, de quibus pauca hìc dicemus, ut in hac amplissima Clarissimorum Scriptorum Ordinis Prædicatorum Sylva aliquis statuatur orationi modus. In primis, *Augustinus Justinianus*, patriâ Genuensis, Nebiensis in Corsica Episcopus,

ſcopus, Sacrarum Litterarum, linguarumq; Orientalium peritiſſimus fuit & alter ſui Sæculi *Origenes*, quippè qui vetus & novum Teſtamentum unà cum Verſionibus in unum Corpus redegit, quod *Biblia Octapla* inſcripſit, quia in ſingulis paginis octo columnas diſpoſuit, quarum prima, Textum Hebraicum; Altera, latinam ejuſdem Textus interpretationem; Tertia, Latinam Verſionem Vulgatam; Quarta, Grecam; Quinta, Arabicam; Sexta, Chaldaicam; Septima, Latinam Caldaicæ Paraphraſeos interpretationem; Octava, Scholia, ſeu breves continet Annotationes, quibus Judæorum potiſſimùm errores refellit. Naufragio periit *Auguſtinus Juſtinianus*, dùm anno MDXXXVI. in Corſicam ad Eccleſiæ ſuæ adminiſtrationem rediret. Ejus cum laude meminerunt *Vghellus* Tomo IV. Italię Sacræ, *Miraus* in Auctario, *Poſſevinus* in Apparatu Sacro, & qui de Viris Illuſtribus Ordinis FF. Prædicatorum ſcripſerunt, *Fontana*, *Sixtus Senenſis* & *Altamura*. Alter, quem laudavimus, ex Ordine Prædicatorum ad Epiſcopatum aſſumptus, eſt *Didacus Deza*, Doctor Salmanticenſis, *Ferdinando* Regi Hiſpaniæ à Sacris Confeſſionibus, Inquiſitor Supremus Fidei in Hiſpaniarum Regnis inſtitutus, & Archiepiſcopus Eccleſiæ Hiſpalenſis, quam per novemdecim annos cùm ſanctiſſimè rexiſſet, & Collegium S. *Thomæ* Dominicanis Hiſpali erexiſſet, tandèm ad Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopatum à *Carolo V.* Imperatore, & Hiſpaniarum Rege, deſignatus, & ab *Hadriano VI.* Pontifice Maximo confirmatus, dum ad illam Eccleſiam accederet, in itinere obiit anno MDXXIII. & in ſuo Conventu S. *Thomæ* Hiſpalenſi ſepultus eſt. Plurimas reliquit

doctrinæ suæ monumenta, præcipuè *Monotessaron Evangelicum* præclaris Commentariis illustratum, quod quidem Opus in Bibliotheca ejusdem Collegii S. *Thomæ* Hispalensis magno volumine & elegantibus characteribus descriptum etiamnùm asservari testantur *Sixtus Senensis* lib. IV. Bibliothecæ Sanctę, & *Ambrosius De Altamura* in Bibliothecâ Dominicanâ, Centuriâ IV. ad ann. MDXXIII. In Italia floruit *Jacobus Naclantus*, patriâ Florentinus, Conventus S. *Mariæ Novellæ* Ordinis Prædicatorum alumnus, qui dùm Romæ Theologiam in Conventu Minervitano doceret, à *Paulo III.* Summo Pontifice creatus est Episcopus Clodiensis, seu Clugiensis, in Patriarchatu Veneto: interfuit Concilio Tridentino, & Ecclesiam suam iuxta Sacri illius Concilii leges per viginti quinque annos sapientissimè rexit, composuit ac reformavit. Enarrationes composuit pias & doctas in Epistolas S. *Pauli* ad Romanos & Ephesios; scripsit etiam *Medullam Scripturæ Sacræ*, variosque Tractatus cùm Theologicos, tùm Philosophicos, & alia Opuscula, quæ omnia in unum volumen collecta S. *Pio V.* tum temporis Pontifici Maximo nuncupavit. In Germania strenuè restitit Hæreticis Lutheranis, Zuinglianis, Anabaptistis, & Calvinistis, atque doctissima adversùs illos Opera scripsit *Joannes Faber*, Natione Germanus, & ex Ordine Prędicatorum ad Episcopatum Viennensem assumptus, quē celebrat *Georgius Crugerius*, Societatis Jesu Scriptor, in libro, cui titulus est: *Pulveres Sacri*, ubi sequens illius eruditi Episcopi Elogium refert ex *Nicolao Avancino*, ejusdem Societatis Professore, his verbis contextum: *Fuit* Joannes Faber *Ordinis*

nis Prædicatorum illustre ornamentum .. Hic cum candida veste, virtutis & cæli factus est Candidatus; vir non minus eruditione ac Sapientia instructus, quàm vitæ integritate spectandus...... Animi supra ejus Sæculi Sapientes eruditio, supra illecebras eminens magnitudo, supra minas & terrores constantia, supra fortunam virtus, latere volentem extraxerunt in lucem. Adlectus Conscientiæ Cæsareæ (seu *Ferdinandi I.* Imperatoris) *Arbiter, Aulæ vetusta probra extinxit, cùm eam fecit virtutum magistram. Nulli placere studens, nulli displicuit; nulli displicere volens, omnibus placuit. Virtutis ac Sapientiæ suffragio, Episcopus Viennensis creatur. Ingenium, stylum, linguam in Hæreticos acuit, sæpè cum eis conflixit publicè, semper vicit. Per ea prælia sibi famam & gloriam comparavit, Ecclesiæ manipulos dedit &c.* Ex hoc tam splendido Elogio facilè intelligere potes, clarissimum Scriptorem fuisse Joannem *Fabrum* Episcopum Viennensem Ord. FF. Prædicatorum, ac subindè plurimi fieri debere Opera tàm Moralia, quàm Dogmatica, quæ præsertim adversùs sui temporis Hæreticos lucubravit, & quorum Catalogum texunt hi, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis, & de Viris illustribus Ordinis FF. Prædicatorum scripserunt. Hos insignes jam à me laudatos Ordinis Dominicani Scriptores, pontificalibus infulis conspicuos, doctrinâ æquavit, & inter scribendum eloquentiâ superavit *Melchior Canus*, ejusdem Ordinis, natione Hispanus, & Episcopus Canariensis, qui in sacris Litteris, in SS. Patribus, in Historia Ecclesiastica, & in S. *Thomæ* doctrina, versatissimus, ingenii sui perenne reliquit monumentum, videlicèt pulcherrimum Opus *De Locis*

Theologicis, in quo cultissimo stylo, ornato verborum contextu, exquisito rerum apparatu, & multiplici argumentorum nexu res Theologicas pertractat, doctrinæ Ecclesiasticæ gemmas, & reconditos sacræ antiquitatis thesauros plenâ manu diffundit. Edidit quoque doctissimus ille Episcopus Relectionē De Sacramentis in genere, & aliam De Sacramento Pœnitentiæ, dùm publicè Theologiam doceret in celebri Universitate Salmanticensi. Adfuit *Melchior Canus* Concilio Tridentino, ubi Patribus admirationi fuit, & ab omnibus multo in pretio habitus. Egregia Virorum Illustrium tàm coævorum, quàm recentiorum de *Melchiore Cano* testimonia simùl collecta legesis in capite primo *Vindicationum* ejusdem *Melchioris Cani*, quas in fronte postremæ ejus Operum Editionis Patavii anno MDCCXIV. adornatæ præmisit doctissimus noster *Hyacinthus Serry*, Sac. Facultatis Parisien. Doctor, & in Academia Patavienſi Primarius Theologiæ Professor. Scio non defuisse æmulos obtrectatores, qui *Melchiorem Canum*, multis licèt eruditorum Virorum præconiis celebratum, variis accusationibus lacessere, ejusque nonnullas opiniones improbare tentarunt. Verùm, omnes ejusmodi accusationes dispunctas invenies, ac plenissimè confutatas cap. 2. & in aliis sequentibus *Vindicationum Melchioris Cani*, quas jam citatus *Hyacinthus Serry*, Ordinis Prædicatorum concinnavit. Inter Illustres ex Ordine Prædicatorum assumptos Episcopos locum habet *Ambrosius Catharinus*, natione Italus, Patriâ Senensis, Minorensis primùm Episcopus, deindè Compsanus Archiepiscopus in Regno Neapolitano inauguratus.

Vir

Vir fuit emendatissimis moribus, & animo robusto præditus, humanarum litterarum & juris Canonici peritus, in Theologicis studiis versatissimus, omnique disciplinarum genere excultus, sed ingenio suo plus æquo indulgens, à nonnullis communibus Scholæ Thomisticæ Placitis discessit, & in præcipuos Ordinis sui Theologos, præsertim Cardinalem *Cajetanum*, & *Dominicum Sotum*, calamum felle tinctum acuit, quò fit, ut in Schola Thomistica non benè audiat. Interfuit Concilio Tridentino, in quo elegantem orationem habuit, ac plura scripsit Opera, quorum Catalogum exhibet noster *Ambrosius de Altamura* in *Bibliotheca Dominicana*. Centuriâ IV. ad annum MDLIII. Ejusdem *Ambrosii Catharini* cum laude meminerunt Cardinalis *Palavicinus* in Historia Concilii Tridentini libro XIII. cap. VIII. *Ughellus* Tom. 7. & 8. *Italiæ sacræ*, *Bellarminus*, *Philippus Labbeus*, *Miræus*, de Scriptoribus Ecclesiasticis, quibus adjungi possunt *Sixtus* & *Antonius* Senenses, aliique Dominicani, qui de *Illustribus Viris Ordinis Prædicatorum* scripserunt. In Gallia Sęculo decimo sexto singulari doctrinâ & eximiâ pietate emicuit alter Episcopus, ex Ordine Prædicatorum assumptus, *Guillelmus Parvi*, Normannus, Theologus Parisiensis, Regibus Christianissimis *Ludovico XII.* & *Francisco I.* primùm à Confessionibus, posteà Episcopus Trecensis, deindè ad Sylvanectensem Ecclesiam translatus, Rempublicam illustravit tùm editis insignium aliquot Scriptorum Operibus, *Gregorii Turonensis*, *Pauli Diaconi*, *Luitprandi Ticinensis* & *Sigiberti*; tùm etiam perdoctis, quas proprio marte procudit, lucubrationibus, quibus

eximii

eximii Theologi nomen promeritus est apud Viros sui temporis eruditos, qui eum impensè laudant, præsertim *Claudius Seysellus*, Archiepiscopus Taurinensis, in vita, quam scripsit, *Ludovici XII.* Galliarum Regis, & *Guillelmus Budæus*, qui in Epistola ad *Erasmum*, quæ extat ordine CXCVII. Tomo III. Operum *Erasmi* in postrema Editione Lugduni Batavorum ann. MDCCIII. adornatâ, palàm facit, quàm præclarè de litteris, ac Viris litteratis *Guillelmus Parvi* meritus sit: *Heri*, inquit, *animi causa (id quod rarò soleo) tabernis bibliopolarum obeundis, pomeridianas aliquot horas consumere statueram: ad Joannis Parvi tabernam nobilis bibliopolæ offendi Guillelmum Parvum, isti, ut arbitror, gentilem: Virum eumdem magnum in primis, Theologumque eximium, eorum sodalium decus, quos Dominicales appellant, cognomento Prædicatores, qui nunc est à Sacro Sanctis confessionibus Regi. Haud alio concionatore Aula ac regius comitatus in magnis celebritatibus utitur, nec Ludovici Regis tempore usa est; Vir omninò ad Ecclesiasticos panegyrismos exactè à natura concinnatus. Is cùm mihi familiariter amicus est, amicosque meos amat, tum eo nomine eum præcipuè observo, quòd librorum reconditorum conquisitor est, atque investigator sagacissimus, ac bibliothecarum penè compilator. Sed nescias, utrùm omnia volumina avidiùs corroget, an benigniùs amicis impertiat & commodet &c.* Denique, alii duo, qui sequuntur Episcopi ex Ordine Prædicatorum assumpti, *Bartholomæus Carranza*, & *Bartholomæus à Martyribus*, velut duo Sydera in Concilio Tridentino effulserunt, & Ecclesiam perdoctis suis Operibus exornarunt. Primus, *Bartholomæus Carranza*,

ranza, patriâ Mirandensis in Regno Navarræ, in Angliam, sub Regno *Mariæ*, heu nimiùm brevi! Catholicæ religionis instaurandæ causâ vocatus, eo munere egregiè defunctus est, cùmque apud *Philippum* Austriacum, *Caroli V.* Imperatoris filium, & *Mariam*, ejus conjugem, summâ authoritate polleret, omnem adhibuit operam, ut Anglicanum Regnum ab Hæresibus purgaretur, & in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia permaneret. Archiepiscopus posteà Toletanus, ac totius Hispaniæ Primas consecratus, *Carolo V.* Imperatori morienti adfuit, eique Sacramenta administravit. At mortuo Imperatore, ab æmulis de Religione in Hispania postulatus est *Bartholomæus Carranza*, ac multis annis in carcere exagitatus, causamque è vinculis dicere cöactus, nunquàm sibi permisit vel minimum verbum hiscere adversùs Judices, sed potiùs nihilô inferior malorum patientiâ & vitæ innocentiâ Sanctissimo *Jobo*, sæpiùs testatus est, nihil contra se actum prætèr jura legum & fori. Romam deindè jussu Sancti *Pii V.* deductus *Bartholomæus Carranza*, illius causa sub hoc Pontifice, ejusque successore *Gregorio XIII.* maturo ac diligenti examine discussa est, nihilque solidi repertum, quod hæreseos damnaretur, sicut contra *Paulum Sarpium* (Scriptorem hæreticum, qui *Historiam Concilii Tridentini*, sub ementito nomine *Petri Suavis Polani* edidit, quique *Bartholomæum Carranzam* inter Hæreticos recensere ausus est) asserit Cardinalis Palavicinus in *Historia Concilii Tridentini*, Italicè primùm editâ, & posteà Latinè redditâ à *Joanne Baptista Giattino*, Parte 2. libro 14. sub finem Capitis undecimi, ubi hæc scribit

ſcribit Eminentiſſimus ille Cardinalis: *Quod ſpectat ad Carranzam, cur ſilentio Suavis obvoluit, expensâ per plures annos illius causâ, & anteà ab Hiſpanienſi Inquiſitione, & poſteà à Romana, ſedentibus Pio V. & Gregorio XIII. nihil ſolidi repertum fuiſſe, ut is manifeſtæ noxæ damnaretur; ſed ſolum ut obſtringeretur ad ejurandum, ob vehementem ſuſpicionem, quam excitaverat de fidei ſuæ pravitate, eumdemque carcere liberum obiiſſe, exhibitis non ſolùm intaminatæ Fidei, ſed ſingularis pietatis indiciis*. Egregiè etiam *Bartholomæum Carranzam* verbo & ſcripto defendit *Martinus Azpiculeta Navarrus*, Vir juris utriuſque Conſultiſſimus, ac eruditis Operibus toti Orbi notiſſimus, qui illum, octogenario licèt proximus, Romam comitatus eſt. Legenda quoque eſt luculenta Apologia, quam pro *Bartholomæo Carranza* concinnavit, & in *Diario Dominicano* inſeruit *Thomas Sonegius* Ordinis Prædicatorum. In Conventu Dominicanorum Minervitano, ad quem ab Inquiſitione Romana remiſſus fuerat, piè ritèque Eccleſiæ Sacramentis munitus obiit eruditus & probus ille Archiepiſcopus, ut ait *Spondanus* ad annum MDLIX. Num. XXIX. & in Eccleſia ejuſdem Cœnobii ſolemni pompâ in medio Chori ſepultus eſt, cum honorifica inſcriptione, quam legeſis apud noſtrum *Ambroſium de Altamura* in Bibliotheca Dominicanâ, centuriâ IV. ad annum MDLXXVI. Inter Opera, quæ ſcripſit *Bartholomæus Carranza*, recenſentur Tractatus *De neceſſaria Epiſcoporum Reſidentia*: *Summa Conciliorum*, *Catechiſmus*, & liber *De Patientia*, quem variis tempeſtatibus actus, & in carcere mœrore afflictus, ad ſui ſolatium compoſuit. Unus ſupereſt *Bartholo-*

mæus

mæus à Martyribus, natione Lusitanus, & ex Ordine Prædicatorum ad Archiepiscopatum Bracarensem assumptus, de quo hìc pauca dicemus, cùm tanti Viri laudes ac virtutes nec etiam immensæ molis libro exhauriri ac exæquari possint. Adfuit *Bartholomæus à Martyribus* Concilio Tridentino, & sacram in eo Reformationem totis viribus promovit. Disciplinam morum in Provincia Bracarensi instituit, Clerum, Populumque ad meliorem frugem reduxit, Ecclesiæ jura ac libertatem intrepidus defendit. In obeundis Pastoralibus officiis assiduus, singulis annis totam Diœcesim suam pedibus per invia montium juga, per abruptas cautes, per acervos nivium, per lapsus horrendos torrentium visitabat magnus ille venator aucepsque animarum, in egenos homines, in loca sacra opes suas effusissimâ liberalitate profundebat, & in ejus mensa, vestibus, familiâ, modestia summa & priscis Ecclesiæ temporibus consentanea relucebat. Oves suæ curæ concreditas postquàm per viginti tres & ampliùs annos doctrinâ, virtutibus, eleemosynisque enutrivisset, amplissimæ Archiepiscopatus dignitati nuncium remisit, ut exoptatæ Monasticæ cellæ dulcedine frueretur. Certè, ut breviter dicam, captivorum nullus, gravissimo servitutis jugo oppressus, unquàm miseriarum finem, libertatemque ardentiùs expetivit, aut magis anxiè, quàm *Bartholomæus à Martyribus* Pontificatus abdicationem, Religionis portum, primamque stationem quæsivit, idque testatus est uno responso ad *Ludovicum Granatensem* ejusdem Ordinis, quo agente, ad Archiepiscopatum Bracarensem à *Catharina*, Lusitaniæ Reginâ, invi-

invitus fuerat provectus. Sciscitanti enim ab ipso Ludovico Granatensi, *an esset tranquilliori animo, & formidines suscepti officii, turbationesque resedissent?* incunctanter respondit: *immò in dies invalescunt, & ut noris quàm sim miserandus, juranti crede, me deteriori statu esse, homine præfocato animam agente, quam nequeat ad dolorum finem emittere.* Tandèm votorum suorum compos factus *Bartholomæus à Martyribus*, in Conventum Vianensem, quem à fundamentis erexerat, sese recepit, ubi soli Deo & orationi vacans, inter manus & suspiria Fratrum suorum obiit, magnâ sanctitatis opinione posteris relictâ. Plura de heroicis virtutibus *Bartholomæi à Martyribus* legesis in ejus vita, quam Sæculo proximè elapso scripsit Gallicè stylo elegantissimo pius quidem Author, suppresso de industria proprio nomine, ut hujus Operis longè nobilissimi gloriam fugeret. Unum dumtaxàt addam testimonium Cardinalis Sancti *Caroli Borromæi*, qui in Epistola ad *Bartholomæum à Martyribus* hæc habet: *Quid de me dicam, cui in conspectu animi semper ades, & propter excellentem in omni genere virtutis laudem unus mihi ad imitandum propositus: mea quidem opinio & cum opinione consentiens hæc una est oratio, nihil esse in Archiepiscopo Bracarensi, quod absit à summis laudibus, ut non modò istius Provinciæ, sed multarum prætereà Regionum integritate, & virtute primarius videatur.* Multa, eaque Spiritus Sancti unctione perfusa, Opera scripsit *Bartholomæus à Martyribus*, præ quibus potissimùm à Viris eruditis commendantur *Stimulus Pastorum*, quem Sanctus *Franciscus Salesius* in Epistola XXXIV. libri primi ad quemdam sibi amicum Episcopum, foven-

fovendæ pietati, & omnibus curam animarum habentibus ad munus dignè obeundum informandis, cumprimis valdè utilem esse judicat, & *Compendium Spiritualis Doctrinæ*, cujus editionem noster *Ludovicus Granatensis*, vitę Spiritualis Magister, procuravit, eique Elogium tum Operis, tum Authoris præfixit. Sed de Scriptoribus Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui Sæculo decimo sexto Purpurâ, aut Pontificatus Infulis decorati floruerunt, plura non addam; nec enim mihi convenit Historiam Ecclesiasticam compendiosè describenti, & aliundè laboranti rerum copiâ, qualis ex præclaris illustrium illorum Virorum Gestis & Operibus abundè suppetit, singula minutatim prosequi, maximè, cùm mihi adhuc dicendum sit, de aliis Scriptoribus, qui eodem Sæculo in Ordine Prædicatorum in nulla Ecclesiastica dignitate constituti, velut splendidissima Theologiæ Sydera præfulserunt.

D. Ne longiùs, quàm par sit, nostrum protrahatur Colloquium, illos tantùm proferre hìc debes celebriores Theologos, & Scripturæ Sacræ Interpretes, qui Sæculo decimo sexto doctrinæ suæ famâ singulare aliquod Ecclesiæ & Ordini Prædicatorum contulerunt ornamentum.

M. inter Clarissimos Sæculi decimi sexti Ordinis Prædicatorum Theologos locum sibi vindicant *Franciscus à Victoria*, *Dominicus Soto*, *Petrus Soto*, *Franciscus Ferrariensis*, *Franciscus Forerius*, *Bartholomæus Medina*, *Dominicus Bannes*, & *Sixtus Senensis*. Horum primus, seu *Franciscus à Victoria*, à natali Regni Navarræ oppido sic cognominatus, Theo-

Theologiæ in ſacra Facultate Pariſienſi operam dedit, & in ea celeberrima Academia doctorali Laureâ donatus, in Hiſpaniam reverſus eſt, ubi in Salmanticenſi Univerſitate Primarii Theologiæ Profeſſoris munere perfungens, in totius Hiſpaniæ Magiſtrum evaſit, & Academiam Salmanticenſem ad maximum gloriæ faſtigium evexit. Nullus unquàm Magiſter *Franciſco à Victoria* fuit diſcipulis felicior, nec tot ex ullius Theologi Scholâ Heroes, virique præſtantes omnium Ordinum prodierunt, quot fuerunt, qui Magiſtro *Franciſco à Victoria* gloriabantur, quos inter ex ſolo Ordine Prædicatorum numerantur *Melchior Canus, Sotus, Medina, Bannes*, & alii doctiſſimi Viri. Tantam nominis exiſtimationem ſibi peperit *Franciſcus à Victoria*, ut *Matamorus* Hiſpalenſis, Vir ſapientiſſimus, cum in libro *De Academiis & Doctis Viris Hiſpaniæ*, appellet *Inſtituti Dominicani ſplendorem; decus & ornamentum Theologiæ, exemplar antiquæ religionis; Virum excellentem, divinum, incomparabilem, Clariſſimum lumen Hiſpaniæ*. Edidit *Relectiones Theologicas XIII.* ſtylo claro ac nitido ſcriptas, & *Commentaria in univerſam Summam S. Thomæ Aquinatis*. Diſcipulum *Franciſci à Victoria*, ſeu *Dominicum Sotum*, tanquàm Magiſtrum venerata eſt tota Hiſpania, illum in Confeſſarium ſuum elegit *Carolus V.* Imperator, eumque Concilium Tridentinum, cui interfuit, præ omnibus aliis Theologis audivit, & illi non ſolùm aſſensêre Patres graviſſimi, ſed etiam ſummis honoribus, ob egregiam Fidei Catholicæ navatam operam, illum ornarunt, & nomine totius Concilii hoc æterno Inſigni & Stemmate donarunt, nempè duabus mani-

manibus consertis, undè flamma emicaret cum hac Inscriptione: *Fides quæ per dilectionem operatur*. Spiritus paupertatem, quam Sanctus Patriacha *Dominicus* velut hæreditariam filiis suis moriens reliquit, ita tenacitèr servavit *Dominicus Soto*, ut Episcopatum Segobiensem sibi à *Carolo V.* Imperatore oblatum pertinaci modestiâ recusarit, & in hoc verè religioso dignitatum contemptu ad mortem usque constantissimè perseveraverit. Prætèr Commentarium in Epistolam *Pauli* ad Romanos, scripsit in IV. libros Magistri Sententiarum, Tractatum *De Natura & Gratia*, librum *De Justitia & Jure*, & Apologiam contra *Ambrosium Catharinum*. Alter ejusdem cognominis in Ordine Prædicatorum Sæculo decimo sexto fuit absolutissimus Theologus, videlicèt *Petrus Soto*, qui à *Maria*, Angliæ Regina, & *Reginaldo Polo*, Sedis Apostolicæ Legato, in Angliam adscitus, Oxoniensem Academiam à *Petro Martyre* hæretico sub *Eduardo* Angliæ Rege variis erroribus corruptam restauravit, doctrinamque Catholicam, ac Theologiam Scholasticam, indè malis hæreticorum artibus eliminatam, postliminiò revocavit, sicut testatur *Sanderus*, Scriptor Anglus, libro II. *De Schismate Anglicano* pag. 245. Sacro Concilio Tridentino, jussu *Pii IV.* Pontificis Maximi, interfuit, & in hoc gravissimo Ecclesiæ Consessu, omnium Conciliorum, quotquot post Apostolos habita sunt, doctissimo, summam solidæ scientiæ, contra Hæreticos disputando, eorumque errores refellendo, existimationem obtinuit. Obiit Tridenti *Petrus Soto*, dùm celebraretur Concilium, ejusque, *mors, conjuncta cum perfecto religiosæ pietatis exemplo, sum-*

moperè displicuit Concilio, inquit Cardinalis *Palavicinus* libro XX. *Historiæ Concilii Tridentini* cap. XIII. *Brentium*, aliosque Hæreticos Lutheranos quà verbo, quà scripto confutavit, ediditque etiam tres libros *De Institutione Sacerdotum*. Eodem Sæculo decimo sexto floruit *Franciscus Ferrariensis*, Ordinis FF. Prædicatorum Generalis Magister, & in Theologia Scholastica exercitatissimus, qui *Summam S. Thomæ contra Gentes* Commentariis illustravit, & Beatæ *Osannæ*, Virginis Mantuanæ ejusdem Ordinis, vitam sex libris complexus est. Maximam quoque laudem in Concilio Tridentino promeritus est *Franciscus Forerius*, ejusdem Ordinis Prædicatorum Professor, & Doctor Conimbricensis, pietate & eruditione præstantissimus, qui jussu Patrum Conc. Trid. Indicem librorum prohibitorum contexuit, & unus ex his fuit, quibus Patres *Catechismum* Concilii Tridentini concinnandi provinciam demandarunt, sicut in superiori Colloquio jam observavimus. Scripsit etiam *Franciscus Forerius* Commentarium in Prophetam *Isaiam*, primusque institutus est Sacræ Congregationis *Indicis* Secretarius. Quod perillustre officium, ob tanti Viri celeberrimam memoriam, datum est Dominicanis, sicut Officium Magisti Sacri Palatii ob merita S. *Dominici*, & aliud Generalis Commissarii sanctæ in Hæreticos Inquisitionis in gratiam Sancti *Petri* Martyris, & Sancti *Pii V.* Pontificis Maximi, qui Palatium Sancti Officii amplissimum Romæ extruxit, & Congregationem S. Officii ampliavit. Plura de *Francisco Forerio* legesis apud nostrum doctissimum *Thomam Souegium*, qui ejus Vitam edidit Tomo IV. *Anni Dominicani*.

Bar-

Bartholomæus Medina, natione Hispanus, & in Academia Salmanticensi Doctor ac Professor, egregios edidit Commentarios in Summam Tripartitam S. *Thomæ Aquinatis*. Dominicus Bannes, Hispanus Mandragonensis, perdocta Commentaria scripsit in 1. Partem, Secundam Secundæ Sancti *Thomæ*, necnon eruditum Tractatum *De Justitia & jure*. Denique, *Sixtus Senensis*, quem inter Clarissimos Sæculi decimi sexti Ordinis Prædicatorum Theologos retuli, Hebraicè, Græcè, Latinèque doctus, multa in Scripturam Sacram edidit volumina, sed præsertim octo scripsit libros *Bibliothecæ Sanctæ*, ubi sacros libros, eorum Authores, antiquas Scripturæ Sacræ Versiones & Commentaria percenset, necnon Sanctorum Patrum, & Virorum Illustrium Opera expendit, & genuina ac sincera à spuriis & dubiis accurato criterio secernit. Patre Hebræo natus erat *Sixtus Senensis*, & Franciscanæ Familiæ nomen dederat, sicut testatur noster *Vincentius Baronius* in Apologia pro Dominicanis libro IV. Sect. I. sub finem Paragraphi secundi, sed eum in gentilitiam impietatem semel & iterùm delapsum, cùm ultricibus flammis pertinax in errore esset addicendus, ad meliorem mentem revocavit S. *Pius V.* Pontifex Maximus, veniâque Apostasiæ cum facultate (quia id maximè optabat) mutandi Ordinis obtentâ, suis ipse manibus, & propriâ veste induit Sanctissimus Pontifex, & hoc æternum Ecclesiæ, & Reipublicæ Litterariæ, Ordinique Dominicano ornamentum, summâ prudentiâ ac clementiâ comparavit, ut ipsemet *Sixtus* Senensis præfatur in Epistola Nuncupatoria *Bibliothecæ suæ* ad *S. Pium V.* his verbis:

Tu me olim ab Inferis revocatum, & errorum tenebris erutum, sinceræ veritatis lumine illustrasti, & ad sublimioris Disciplinæ observantiam perductum, habitu sanctæ professionis tuæ, tuis ipse vestibus, tuis ipse manibus induisti, & in filium tuo renatum spiritu adoptasti, meque in hoc sacro Prædicatorum Ordine ita benignitate ac liberalitate tua semper in hanc usque diem fovisti, ut nulli magis in terris debeam, quàm Tibi. Obiit *Sixtus Senensis* Genuæ anno MDLXIX. in Cœnobio FF. Prædicatorum S. *Mariæ de Castello*, cujus erat Alumnus, & in medio Choro sepultus est. Præter hos insignes jam à me laudatos Sæculi XVI. Theologos Dominicanos, alii multò plures ejusdem Ordinis recensentur, quos hic breviter indicabo. *Silvester Prieras*, Natione Italus Pedemontanus, Sacri Palatii Apostolici Magister, sublimi Vir ingenio, primus omnium adversùs nascentem Lutheri Hæresim scripsit, *Commentarios* etiam *in IV Libros Sententiarum* elucubravit, & *Summam Conscientiæ*, quæ dicitur *Silvestrina*. Quid dicam de *Ludovico à Soto Majori*, natione Lusitano, & Theologo eruditissimo, sed in suis vulgandis Lucubrationibus adeò modesto, ac pertinaci, ut vix *Clementis VIII.* & *Philippi II.* Regis Hispaniarum, imperium extorquere potuerit Commentarium in Cantica Canticorum. *Bartholomæus de Spina*, patriâ Pisanus, & Sacri Palatii Apostolici Magister, varia de rebus Theologicis edidit Opuscula. *Vincentius Bandellus à Castro Novo*, Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, author est Tractatus *De singulari puritate & prærogativa Conceptionis Salvatoris nostri Jesu Christi*, seu *De Conceptione B. Vir-*

B. Virginis Mariæ. In Aragonia claruit *Cyprianus Benetus*, qui sub *Julio II.* & *Leone X.* Summis Pontificibus, scripsit eruditos Tractatus *De Prima Orbis Sede*, *De Concilio*, *De Ecclesiastica Potestate*, *De Auctoritate Pontificis Maximi*. In Gallia *Joannes Viguerius*, patriâ Tolosanus, edidit *Theologicas Institutiones*. In Belgio claruit *Joannes Bunderius* patria Gandavensis, & Hæreticæ pravitatis Quæsitor, qui varia scripsit adversùs Hæreticos Opera, videlicèt *Compendium Rerum Theologicarum, quæ ab Hæreticis in controversiam vocantur*: *Collationem quatuor Ecclesiæ Doctorum Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & Gregorii, super Articulis ab Hæreticis agitatis*: *Scutum Fidei Orthodoxæ adversùs quaslibet Hæreses*: *De Baptismo contra Mennonem Anabaptistam*: *Detectionem Nugarum Lutheri*: & *Confutationem Dogmatum Lutheranorum*, & alia hujusmodi Opuscula, de quibus legendus est *Aubertus Miræus* in Supplemento *Bellarmini De Scriptoribus Ecclesiasticis*. Eodem Sæculo XVI. floruerunt in Ordine Prædicatorum doctissimi Theologi, *Chrysostomus Javellus*, Canapitius Pedemontanus, toti Orbi Litterario suis Operibus notissimus: *Ambrosius Pelargus*, natione Germanus, Archiepiscopi Trevirensis in Concilio Tridentino Procurator, qui Symbolum Nicænum, & S. *Chrysostomi* Liturgiam Notis illustravit, *Oecolampadium*, aliosque Hæreticos, necnon *Desiderium Erasmum* eruditis Lucubrationibus exagitavit. *Joannes Ludovicus Vivaldus*, Insuber, in Monte Regali natus, scripsit Tractatus *De Vera Contritione*, *De XII. Ecclesiæ persecutionibus*, & alia Opuscula, quorum catalogum texit *Ambrosius de Altamura* in Biblio-

theca Dominicana Centuriâ IV. ad annum MDL. Denique, ut, brevitatis ergò, prætermittam alios eximios Theologos, qui Sæculo XVI. Ordinem Prædicatorum illustrarunt, unum tantummodò his, quos hactenùs laudavi, adjungam, videlicèt *Alnoldum Badetum*, Natione Gallum, qui edidit *Breviarium de Mirabilibus Mundi*. Item *Margaritam Virorum Illustrium de futura temporis dispositione prænoscenda*. Et *Margaritam adversùs Hæreticam pravitatem*. Plura de hoc Scriptore legesis apud nostrum *Ambrosium de Altamura*, & apud *Aubertum Miræum* De Scriptoribus Sæculi XVI. cap. XI. & *Antonium Possevinum in Apparatu sacro*.

D. Cùm de Scriptoribus aliorum Ordinum Regularium, necnon de Jurisconsultis, qui Sæculo XVI. floruerunt, adhùc in isto Colloquio dicturi simus, optarem, ut alios illustriores Ordinis FF. Prædicatorum Viros tùm Scripturæ Sacræ Interpretes, tùm Historicos, & Asceticos, seu Concionatores, hìc sub una serie exhiberes, teque ab illis breviter expedires, ut de aliis Scriptoribus, quos in sequentes Classes distribuisti, differendi nobis sat temporis suppetere possit.

M. Inter peritos Ordinis Prædicatorum Scripturæ Sacræ Interpretes primas tenent *Santes Pagninus*, & *Hieronymus Oleaster*, quorum primus, Natione Italus, patriâ Lucensis, Concionator Apostolicus, & trium Linguarum, sed Hebrææ potissimùm, longè peritissimus, novam totius Scripturæ Sacræ Versionem sub *Leone X.* Pontifice Maximo aggressus est, & Vetùs omne Testamentum ex Hebraica Veritate in Latinam Linguam trans-

transfudit. Ejus Editionem peritissimi quique Hebræorum Rabbini maximis laudibus efferunt, & de ea Illustrissimus *Daniel Huetius* Episcopus Abrincensis, in libro *De Clar. Interpretibus* hoc judicium profert: *Leonis Decimi Pontificis Maximi hortatu & ope, Bibliorum Versionem felicissimo successu tentavit Santes Pagninus Lucensis, Hebraicæ quidem Veritatis ubique ad verbum retinens, majoremque ejus, quàm Latinitatis rationem habens, perfectæ propemodùm & absolutæ Sanctorum Voluminum Interpretationis exemplum dedit. Attamen ut punctum omne ferre difficile est, quidam in eo nimiam diligentiam, ambitionem ac curam, tùm morosam minutarum quarumque rerum ac levium affectationem, inconcinnitatem etiam & obscuritatem culparunt, reclamantibus licèt Rabbinorum peritissimis, quibus summoperè probatur Interpretatio hæc, ac reliquis anteponitur*. Præter hanc Veteris Testamenti ex Hebraica Veritate Latinam Versionem, aliam quoque Latinam Novi Testamenti Versionem, juxta fidem Græci Textus, edidit *Santes Pagninus*, quam *Clementi VII.* Pontifici Maximo nuncupavit, & alia scripsit Opera ad Scripturæ Sacræ intelligentiam valdè necessaria, obiitque Lugduni in Galliis anno MDXLI. in Conventu FF. Prædicatorum. Ei defuncto Cives Lugdunenses, velut parenti suo, solemnes persolverunt exequias, quas *Spiritus Roterus*, Dominicanus, & Fidei Quæsitor Tolosanus, qui tùm Lugduni erat, eleganti stylo prosequitur in Libro, quem edidit contra Hæreticos Calvinistas, ubi hæc habet: *Aderam ego Lugduni, quandò suum feliciter diem clausit extremum* (Santes Pagninus) *cujus funus & exequias*

tanto honore & pietate celebravit Civitas Lugdunensis, ut non privatus aliquis homo, sed totius Civitatis parens defunctus putaretur: Nam pullati, nigrisque vestibus induti plurimi Cives, & potentes, feretrum illius prosecuti sunt, plusquàm trecentis ardentibus facibus prælucentibus. Hujus tanti honoris cùm causam requirerem, responsum accepi: Civitatem Lugdunensem Santi Pagnino perpetuò se fateri obnoxiam, eò quòd nisi illius sancta & magnifica tuba insonuisset, diligenterque illam admonuisset, Lutheranorum perniciosis dogmatibus tota forsitan seducta involutaque devenisset. Ad illustrandas itidem egregiis Commentariis Scripturas Sacras omnem curam, laborem ac industriam adhibuit *Hieronymus Oleaster*, Natione Lusitanus, Inquisitor Olysiponensis, Linguæ Hebraicæ peritissimus, qui summa cum laude interfuit Concilio Tridentino, & scripsit Commentarium in Pentateuchum juxta *Santis Pagnini* Versionem, addiditque suo erudito Operi septemdecim Articulos ad Sacrarum Scripturarum notitiam faciliùs comparandam. Edidit etiam *Commentarios in Isaiam* cum *Elucidationibus Moralibus*, & è vivis excessit Olysipone anno MDLXIII. His duobus Ordinis Prædicatorum omni exceptione majoribus Sacrarum Litterarum Interpretibus quidam alii ejusdem Ordinis jure meritò addi debent, videlicèt *Jacobus Magdalius*, Natione Batavus, Hebraicè & Græcè doctus, qui scripsit *Correctorium Bibliorum*, eorumque *Compendium* anno MDVIII. Coloniæ editum: *Damianus Crassus*, Ripolensis, qui, præter alios Tractatus, Commentarium in *Job* concinnavit: *Dominicus Buchius*, Catharensis, qui *Etymon*, seu *Expositionem in VII.*

VII. Psalmos Pœnitentiales in lucem emisit: *Joannes Udalricus* Basileensis, qui erudito Commentario *Epistolam S. Pauli ad Hebræos* interpretatus est: *Placidus Parmensis*, Natione Italus, qui Commentariis in Psalmos, & in Epistolam *S. Pauli* ad Romanos celebre suum nomen reddidit. Inter celebres Scriptores Historicos, qui Sæculo XVI. in Ordine Prædicatorum claruerunt tres dumtaxat impræsentiarum proferam, scilicèt *Leandrum Albertum*, *Bernardum Luxemburgium*, & *Thomam Fazellum*. Primus, seu *Leander Albertus*, patriâ Bononiensis, Vir fuit politioribus Litteris excultus, Philosophicis ac Theologicis Disciplinis imbutus, in Mathematicis clarus, in Historiis, atque in antiquis rerum monumentis diligentissimè versatus, ut liquet ex pluribus, quæ scripsit, Operibus, & inter quæ præcipuum locum tenent sex Libri *De Viris Illustribus Ordinis Prædicatorum*, & *Descriptio Italiæ*, quam *Henrico II.* Galliarum Regi dicavit. *Bernardus* dictus *Luxemburgius* à natali solo in Belgio, ubi natus est, *Catalogum Hæreticorum* Libris quinque comprehensum contexuit, & alia scripsit Opuscula, quæ refert noster *Ambrosius De Altamura* in Bibliotheca Dominicanâ Centuriâ IV. ad annum MDXXX. *Thomas Fazellus*, Natione Siculus, eximius fuit Historicus, perdoctus Theologus, & humanioribus Litteris apprimè instructus. Latinè edidit eleganti stylo *Volumen duas in Decades partitum De Rebus Siculis, & qualibet Decas continet decem Libros*. Scripsit etiam Librum *De Regno Christi*. Denique, ex innumeris penè Scriptoribus Asceticis, seu Concionatoribus, quos Sæculo XVI. protulit Ordo Prædicatorum, ali-

aliquos hìc referre sufficiet, ne, si singulos percensere vellem, dies, vox, viresque me omninò deficerent. Primus, isque omnium, qui hactenùs fuerunt Asceticorum Scriptorum parens ac facilè Princeps, fuit *Ludovicus Granatensis*, sic cognominatus à natali solo *Granata*, Hispaniæ Urbe celeberrimâ. Præter *Rhetoricam Sacram*, quam ad instituendos Concionatores miro artificio elaboravit, alios Tractatus edidit *De Duce Peccatorum*: *De Oratione & Meditatione*: *Memoriale Vitæ Christianæ*: *Catechismum*: *Plures Tomos De Concionibus*, & alia Opera Ascetica, Spiritus Sancti unctione perfusa, & quibus nihil solidius, altius, salubrius ad componendos mores, vel divinius & efficacius adciendos pietatis affectus haberi potest. Hinc *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus Opera *Ludovici Granatensis*, datis ad ipsum Apostolicis Litteris, laudavit, majoraque piis Libris ipsum edidisse miracula dixit, quàm *si cæcis visum*, *aut mortuis à Deo Vitam impetrasset*. Tanti etiam Opera *Ludovici Granatensis* faciebat S. *Franciscus Salesius*, ut Epistola XXXIV. Lib. I. ad quemdam Episcopum, author ei sit, ut *Ludovicum Granatensem* integrum habeat, non raptim, sed fructuosè, cum reverentia & devotione legat, ponderet, æxtimet, devoret, & in purum putumque succum convertat. Nec dubito ipse, ut obiter dicam, quin, si juvenes in *Ludovici Granatensis* Operum lectione assiduè versarentur, verum addiscerent Conciones habendi modum, & ea declinarent vitia, in quæ hodie frequenter impingunt nonnulli, qui inter concionandum Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum syllabas aucupantur, ut novas cogitatio-

tiones cudere & novum aliquem sensum extorquere possint, vel meras argutias perpetuò captant, & ita subtilitatibus capiuntur, ut videantur solida fugere & fastidire, vel denique pessimum dicendi genus imitati, inflato stylo, tumentibus verbis, & tinnulis utuntur, quos, ut liberè dicam, dùm aliquandò lego, vel audio, videor mihi videre homines, qui, abjecto more incedendi solito, extremis digitis pedum, quò altiores sint, affectatâ gravitate gradiuntur. *Quò enim*, ut appositè ait *Antonius Maria Gratianus* in Vita *Joannis Francisci Commendonis* Cardinalis) *de rebus maximis atque gravissimis, de Deo, de pietate, de religione, de Vitæ disciplina sacratis in locis ante aras, ante simulacra Dei, & veluti ipsius instinctu numinis dicentibus, inanis ille atque indecorus apparatus, sonitusque verborum? quò illa tanto artificio & varietate distincta, tanto delibuta fuco, tot flosculis conspersa, tot corrupta concinnis, tot denique coloribus illita atque picta oratio? Res sacræ, Divinæque puram, castam, simplicem orationem, quales mores desiderant: verba delecta, si vis, non tamen nimiâ cum curâ exquisita, & undique excerpta, ut dignitatis major, quàm gratiæ ac leporis ratio habita videatur. Sententiæ, quæ gravitate ac severitate laudentur, non tamen specie ac venustate placeant; quæ admirationis ac terroris audientibus, quàm delectationis plus incutiant, perrumpant pectora, unde noxios affectus expellant, non mollitèr influentes foveant, denique doceant ad probitatem pietatemque instituant, non ad levitatem, vanitatemque erudiant.* Hæc est vera & cum fructu concionandi norma, ad quam suas conciones, & quidquid scripsit de Vita

Vita Ascetica, exegit *Ludovicus Granatensis*, Orator Christianus omnibus suis numeris absolutus, Vitæ Religiosæ, paupertatis adeò amans, & in moribus suis ita simplex ac modestus, ut Archiepiscopatum Bracarensem à *Catharina*, Lusitaniæ Regina, sibi oblatum recusaverit, & Cardinalitias Infulas, quas ipsi *Sixtus V.* Pontifex Maximus destinaverat, humillimè deprecatus fuerit. *Ludovici Granatensis* in promovenda animarum salute zelum æmulatus est S. *Ludovicus Bertrandus*, ejusdem Prædicatorum Ordinis, Natione Hispanus, patriâ Valentinus, qui ad Occidentales Indos Evangelicus Prædicatòr missus, uno tantùm Hispanico usus Idiomate à diversis & dissonis nationibus intelligebatur, suisque fervidis concionibus innumeros Infideles Christianæ Fidei lumine illustravit. Miraculis clarus obiit VII. Idus Octobris anni MDLXXXI. & Fastis Sanctorum à *Clemente X.* Pontifice Maximo adscriptus est. Inter Scriptores Asceticos Ordinis Prædicatorum haud immeritò recenseri debet *Joannes Tabiensis*, sic dictus à *Tabia*, Liguriæ in Italia natali suo oppido, qui author est *Summæ Summarum de Casibus Conscientiæ*, quæ vulgò *Tabiena* dicitur. Prætermitto alios Scriptores Ordinis Prædicatorum Concionatores, Asceticos, Scripturæ Sacræ Interpretes, Historicos, Theologos, Polemicos, & in omni scientiarum genere illustres, qui Sæculo XVI. floruerunt, & quorum numerus propemodùm infinitus in hujusce Colloquii angustiis comprehendi minimè potest. Observat quippè noster P. *Petrus Louvet*, Gallus, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, in una ex octo Tabulis Graphicis, quibus

bus complexus eſt Sæculi XVI. Hiſtoriam Dominicanorum, edita eſſe ab anno milleſimo quingenteſimo uſque ad annum milleſimum ſexcenteſimum Volumina centum ſupra mille à quadringentis Scriptoribus Ordinis Prædicatorum, quos inter, unus Summus Pontifex, ſex Cardinales, ſeptem Archiepiſcopi, unus Patriarcha, viginti Epiſcopi, quindecim Inquiſitores, ſex Magiſtri Sacri Palatii, totidèm Præpoſiti Ordinis Generales, & ducenti Doctores numerantur. De his Scriptoribus latè diſſerunt domeſtici Authores, qui Virorum Illuſtrium Ordinis Prædicatorum Bibliothecas adornarunt, ſed præcipuè nuperus ac doctiſſimus ejuſdem Ordinis Scriptor *Jacobus Echardus*, cujus primus Tomus De Scriptoribus Familiæ Dominicanæ jam publicam lucem aſpexit, alter verò Tomus, qui ejuſdem Ordinis Scriptores Sæculorum Eccleſiæ decimi ſexti, & decimi ſeptimi complectetur, adhùc ſub prælo Pariſienſi ſudat, ac propedièm exibit in lucem.

D. Magna ſunt, ut video, Familiæ Dominicanæ Scriptorum in Eccleſiam promerita, & doctrina adeò immenſa, ut Prædicatorum Ordo nec Theologiæ peritiam, nec Linguarum, maximè Græcæ & Hebraicæ, notitiam, nec Librorum Spiritualium copiam ac excellentiam, nec illuſtrium in Scripturam Sacram Interpretum famam, nec Concionatorum eloquentiam, nec poſtremò Moralis Theologiæ uberrimam doctrinam aliis Religioſis Ordinibus, quibus nunc decoratur Eccleſia, invidere poſſit, aut debeat. Sed ne alios Regulares Ordines debitâ laude defraudemus, eos nunc perluſtremus nobiliores Ordinis S. *Auguſtini* Scri-

Scriptores, quos in undecima Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classe constituisti.

M. In Ordine S. *Augustini*, alii sunt, qui dicuntur *Eremitæ*, quique unum Mendicantium Ordinem cõstituunt; Alii vocantur *Canonici Regulares*, qui itidèm S. *Augustinum* patrem se habere gloriantur. Inter Eremitas Ordinis S. Augustini hi potissimùm Scriptores doctrinâ & pietate Seculo XVI. immortale sibi decus peperêre, *Ægidius Viterbiensis*, *Felix Pratensis*, *Hieronymus Seripandus*, *Joannes Garetius*, *Thomas à Villa Nova*, *Josephus Pamphilus*, *Jacobus Philippus Bergomas*, & *Onuphrius Panuinus*, quorum patriam, eruditionis genus, & Opera breviter hìc annotabimus. Primus seu *Ægidius Viterbiensis*, à natali Italiæ Civitate cognominatus, Prior fuit Generalis Ordinis Eremitarum S. *Augustini*, eloquentiâ, Linguarum peritiâ, Sacrarum Litterarum scientiâ, & Historiarum notitiâ cumulatissimè præditus. Cardinalis S. R. E. à *Leone X.* Pontifice Maximo creatus est, ac multa egregia edidit Opera, quæ Romæ in Bibliotheca Angelica adhuc Manuscripta asseruantur. *Felix Pratensis*, Natione Etruscus, genere Hebræus, & ex Rabbino factus Eremita Ordinis S. *Augustini*, *Psalterium*, secundùm Veritatem Hebraicam, Latinè transtulit, & *Leoni X.* Pontifici Maximo obtulit. Hanc *Psalterii* Latinam translationem à *Felice Pratensi* intra quindecim dies fuisse absolutam indicant hi Versus initio Voluminis præfixi:

Omnia testificor Felicis acumine nostri
Non plus ter quinâ facta Latina die.

Au-

Author est quoque idem *Felix Pratensis* Versionis libri *Job*, ac primus fuit (teste *Waltono* Prologomeno VIII. in Sacra Biblia parag. XXVII.) qui variantes Scripturæ Sacræ lectiones inter Judæos Orientales, seu Babylonios, & Occidentales, seu Palæstinos, publicavit in Bibliorum Venetorum Editione anni MDXVIII. Ecclesiam Sæculo XVI. plurimùm doctrinâ defendit, ac pietate illustravit *Hieronymus Seripandus*, Trojâ, quod est Apuliæ oppidum, oriundus, Ordinis Eremitarum S. *Augustini* Prior Generalis. Interfuit Concilio Tridentino, ubi eximiam eruditionem cum prudentia, & pietatis laude conjunctam, & ardentissimum ad profligandam Lutheranorum hæresim zelum in augustissimo illo Patrum Consessu prodidit, atque in præmium operæ, quam Ecclesiæ in defensione Fidei contra Hæreticos impendit, nominatione *Caroli V.* Imperatoris ad Archiepiscopatum Salernitanum provectus est, ac tandem à *Pio IV.* Pontifice Maximo Cardinalitiis Infulis exornatus, Sedis Apostolicæ Legatus, & Concilii Tridentini Præses fuit institutus. Quo in munere obeundo magnam gravissimorum Ecclesiæ negotiorum molem summâ cum omnium admiratione sustinuit, & Hæreticorum contra Fidem Catholicam impetus retudit, eorumque nefarios ausus feliciter dissipavit. Scripsit tres Libros *De Justificatione*: *Questiones adversùs Hæreses*: Commentarios doctissimos *in omnes S. Pauli, & in septem Canonicas Epistolas*: *Conciones*, & alia Opera, obiitque Tridenti anno MDLXIII. indèque Neapolim translatus, ubi apud Eremitas Augustinianos sepultus est. Ad exterminandos Hæreticorum errores omnem operam,

ram, studiaque sua itidèm magno cum Ecclesiæ emolumento contulit *Joannes Garetius*, patriâ Lovaniensis, & ejusdem Ordinis Eremitarum S. *Augustini* Professor, quippè qui eruditos Libros *De vera Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento præsentia*, necnon *De Sanctorum Invocatione*, & *De precibus pro Defunctis* scripsit contra Hæreticos. In Concionibus habendis, in promovenda in suo Eremitarum S. *Augustini* Ordine Disciplinæ Regularis observantiâ, in procuranda ubique animarum salute totus incubuit *Thomas à Villa Nova*, sic à patrio solo in agro Toletano cognominatus. Fuit *Carolo V.* Imperatori à Concionibus & Consiliis Conscientiæ, deindè Archiepiscopus Valentinus, tantâque in pauperes liberalitate, Vitæ sanctimoniâ, & beatissimâ cœlestium omnium donorum copiâ instructus, ut eum, in Vita, & post obitum miraculis illustrem, *Alexander VII.* Pontifex Maximus in Sanctorum numerum, plaudente totâ Ecclesiâ, retulerit anno MDCLVIII. S. *Thomæ à Villa Nova*, studio salutis animarum præstantissimi, Conciones, sacram facundiam, solidam pietatem, & zelum verè Apostolicum spirantes, in publicam lucem prodierunt. *Josephus Pamphilus*, Veronensis, Sacrario Pontificio à *Pio IV.* Summo Pontifice Præfectus & posteà Signinus Episcopus creatus, texuit *Chronica* Ordinis sui, seu Eremitarum S. *Augustini*, & alios egregios edidit Libros *De Origine multarum Ecclesiæ Cœremoniarum*: *De sacris Ritibus Veterum Pontificum in Baptismi, Chrismatis, & Eucharistiæ Sacramentis administrandis*: *De Exorcistis, & antiquo Ritu Dæmones expellendi &c.* Alii duo, quos laudavi, Ordinis Eremitarum S. *Augustini*,

stini, in describendis rebus ad sacram Antiquitatem & Historiam attinentibus maximam apud Viros eruditos laudem consecuti sunt, *Philippus Bergomas*, & *Onuphrius Panuinus*. Horum primus è nobili *Forestorum* familia Bergomi natus, Vir fuit multæ lectionis, Antiquitatis studiosissimus, & *Innocentio VIII.* Pontifici Maximo gratissimus. Scripsit *Supplementum Chronicorum*, quod, juxtà Editionem Venetam, incipit ab Orbe condito, & producitur usque ad annum MDLII. Alter, seu *Onuphrius Panuinus*, patriâ fuit Veronensis, quem Paulus Manutius *Helluonem Antiquitatis*; Scaligerus *Patrem Historiæ*; Lipsius *Principalis Historiæ, & Fastorum Veterum Patrem*; Thuanus *Virum ad omnes Romanas & Ecclesiasticas Antiquitates è tenebris eruendas natum*; Aubertus Miræus *Virum ad utrumque paratum, & Romanis Antiquitatibus cùm sacris & Ecclesiasticis, tum profanis eruendis natum* jure optimo appellant. Author Vitæ S. *Philippi Nerii*, linguâ Italicâ ac typis Romanis an. MDCXXXI. excusæ, lib. 1. cap. 13. refert, *Onuphrium*, dum viveret, consilium mente concepisse Annales Ecclesiæ conscribendi & Magdeburgensium Centurias, adversùs Ecclesiam Catholicam scriptas, refellendi; sed *Baronium*, Congregationis Oratorii Presbyterum, à S. *Philippo Nerio* fuisse in somnis admonitum, ut ipse hanc provinciam in se susciperet, & arduum istud Opus, quod *Onuphrius* meditabatur, in rem Catholicæ Ecclesiæ exequeretur. Omnium *Onuphrii* Operum, quæ vel jam typis edita sunt, vel adhuc manuscripta in variis Bibliothecis delitescunt, seriem legetis apud *Possevi-*

num in Apparatu ſacro, & apud *Cornelium Curtium* in *Elogiis Auguſtinianis*.

Inter Canonicos Regulares Ordinis S. *Auguſtini*, tres præcipuè fuerunt, qui Sæculo XVI. magnâ nominis celebritate claruerunt, videlicet *Martinus Azpilcueta*, vulgò dictus *Navarrus*, eò quòd è Navarræ Regno oriundus eſſet; *Auguſtinus Steuchus*, & *Baſilius Zanchius*. Primus, ſeu *Martinus Azpilcueta*, dictus *Navarrus*, ſummo cum omnium applauſu docuit Toloſæ, Salmanticæ, & Conimbricæ, pluribuſque perdoctis editis Operibus, in quibus ſe in utriuſque juris ſcientia verſatiſſimum probat, toto Orbe fuit conſpicuus, & tanto in honore ab omnibus habitus, ut ejus ſententia, quaſi certa quædam lex et Oraculum reciperetur. Romam profectus, S. *Pio V. Gregorio XIII.* & *Sixto V.* Pōtificibus Maximis chariſſimus fuit, ibidémque, noſtri *Bartholomæi Carranza*, Archiepiſcopi Toletani, de Fide ab æmulis poſtulati, doctrinam & innocentiam egregiè defendit. Jejunii Eccleſiaſtici, etiam in ætate provectâ obſervantiſſimus fuit, ſicut ipſemet teſtatur in ſuo *Manuali* his verbis; *Equidem (gratias Deo) octuageſimum annum agens, perindè poſſum jejunare, ac ſi annum agerem ſexageſimum, immò quinquageſimum.* Obiit Romæ XI. Kal. Iul. ann. MDLXXXVI. ætatis ſuæ nonageſimo quinto. Alter Canonicus Regularis, ſeu *Auguſtinus Steuchus*, patriâ Eugubinus fuit, Bibliothecarius Apoſtolicus, & poſteà Chiſamenſis Epiſcopus. Præter decem libros, quos edidit, *De perenni Philoſophia*, & tres libros *pro Religione Chriſtiana* adversùs Lutheranos, Pentateuchum

teuchum Annotationibus, librum *Job* Enarrationibus, & Psalmos præcipuos Commentariis illustravit. Ad hunc *Augustinum Steuchum* Epistolam prolixam scripsit *Desiderius Erasmus*, quæ inter ejus Epistolas extat ordine MCLXXV. part. 2. Tomi 3. postremæ illius Operum Editionis Lugduni Batavorum, in qua *Desiderius Erasmus* varia in Annotationibus *Augustini Steuchi* in Pentateuchum carpit ac notat. Sed *Augustinus Steuchus* ad hanc *Erasmi* Epistolam respondit aliâ non minus prolixâ Epistolâ, quæ inserta est ad calcem *Appendicis* Partis 2. ejusdem Tomi 3. Epistolarum *Erasmi*, & est ordine ultima. Denique, *Basilius Zanchius*, Congregationis Lateranensis Canonicus Regularis, Vaticanæ Bibliothecæ Custos, Annotationes in omnes Scripturæ Sacræ libros ex Sanctis Patribus excerpsit. Quæstiones etiam in IV. Libros *Regum*, & duos *Paralipomenon ex Theodoreti* potissimùm Scriptis defloravit, & in Latinam Linguam vertit. Confundi haud debet iste *Basilius Zanchius* cum *Hieronymo Zanchio*, natione Italo, qui Sæculo XVI. vixit, à Romana Ecclesia defecit, multa Opera erroribus scatentia publicavit, & in Romano Indice Librorum prohibitorum inter Hæreticos primæ classis rejicitur.

D. Inter omnes Regulares Ordines, nullus, ut opinor, in tot familias propagatur, & tam latè per Orbē Christianum diffunditur, quàm Ordo Sancti *Francisci*. Quapropter, nullus dubito, quin hic Ordo de Ecclesia tam benè meritus plures dederit insignes Scriptores, de quibus in hac duodecima Virorum Sæculi decimi sexti eruditorum Classe, juxtà præscriptū Ordinē, paululùm differere debemus.

M. De Scriptoribus Ordinis Sancti *Francisci* fuso calamo tractat *Wadinghus* in libro De Scriptoribus Ordinis FF. Minorum; ipse verò, ne in immensum diffundar, illustriores dumtaxàt hujus Ordinis hìc proferam Scriptores, qui Sæculo decimo sexto in Sacris Litteris interpretandis, in Rebus Theologicis pertractandis, & in Concionibus ad populum habendis magnam sui nominis famam, ad sempiternam hominum memoriam excitarunt. Fuerunt quidem Sæculo decimo sexto multi Viri docti, qui linguas Hebraicam & Græcam callentes, varias Scripturæ Sacræ Versiones adornarunt. At nullus, meâ quidem sententiâ, in Bibliis variis linguis excudendis magis insudavit, & Opus Ecclesiæ utilissimum tam felicitèr & accuratè absolvit, quàm *Franciscus Ximenius è Cisneros*, natione Hispanus, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Toletanus, ex Ordine FF. Minorum assumptus, Inquisitor Generalis, & Prorex Hispaniarum, qui, accitis undique Viris Linguarum peritissimis, & conquisitis vetustissimis probatissimisque manuscriptis Codicibus ex Vaticanâ, Mediceâ, Venetâ, aliisque Bibliothecis, Biblia Sacra diversis linguis in lucem edenda improbo labore, maximâ sedulitate, & immensis sumptibus curavit, ut ipse testatur in duplici Præloquio, quod huic Operi præfixit. In primo Præloquio ad Leonem X. Pontificem Maximum hæc scribit: *Ut ipsa Originalia in promptu haberet quicumque divinarum litterarum studiosus, possetque non solis rivulis esse contentus, sed ex ipso fonte salientis aquæ in vitam æternam sitim pectore extinguere: jussimus Archetypas Sacræ Scripturæ linguas cum adjunctis varia-*

variarum linguarum translationibus impressioni mandari Sanctitatis tuæ nomini dedicandas, atque imprimis Novum Testamentum Græco-Latinoque sermone excudendum curavimus simul cum lexico Græcarum omnium dictionum, quæ possunt in eo legentibus occurrere, ut his quoque, qui non integram linguæ cognitionem adepti sunt, pro viribus consuleremus. Deindè verò, antequàm Vetus Testamentum aggrederemur, Dictionarium præmisimus Hebraicorum, Chaldaicorumque totius Veteris Instrumenti Vocabulorum ...... Quibus omnibus, veluti pro præludio ita peractis, ad excussionem diversarum Veteris Testamenti linguarum nos convertimus, adjicientes etiam singulis earum suam latinam interpretationem. Qua in re apertè Beatitudini tuæ id testari possumus, Pater Sanctissime, maximam laboris nostri partem in eo præcipuè fuisse versatam, ut & virorum in linguarum cognitione eminentissimorum operà uteremur, & castigatissima omni ex parte vetustissimaque exemplaria pro Archetypis haberemus, quorum quidem tàm Hebræorum, quàm Græcorum ac Latinorum multiplicem copiam non sine summo labore conquisivimus, atque ex ipsis quidem Græcos antiquissimos tùm Veteris, tùm Novi Testamenti Codices perquàm humanè ad nos misisti, qui nobis in hoc negotio maximo fuerunt adjumento. In altero Præloquio, quod est ad Lectorem, varias Linguas ac Versiones, quibus constant hæc suis curis edita Sacra Biblia, explicat Eminentissimus ille Cardinalis his verbis: *Pentateuchus triplicem linguam habet, Hebraicam videlicet, Chaldaicam, & Græcam, quas imprimendas jussimus cum aliis tribus Latinis interpretationibus juxtà correspondentibus, ita ut Hebraicæ veritati respondeat La-*

tina B.Hieronymi Translatio: Chaldaicæ verò alia Latina ferè de verbo ad verbum à Viris ejus linguæ peritissimis elaborata: Græcæ autem septuaginta Interpretum Editioni interlinearis Latina Traductio. Agiographi deindè libri simul & Prophetales duplici linguâ excuduntur, hoc est, Hebræâ & Græcâ cum aliis duabus Translationibus Latinis illis correspondentibus ..... At verò libri extra Canonem (ideſt, Hebræorum, quos tamen ceu Canonicos recipit Ecclesia) *Græcam tantùm habent scripturam cum Latina interpretatione: alterâ B. Hieronymi, alterâ interlineari de verbo ad verbum ...... Primitiva sive radices dictionum Hebraicarum & Chaldaicarum ad marginem sunt appositæ &c.* Hęc *Ximenii* Cardin. *Biblia*, quæ vulgò *Polyglotta Complutensia* dicuntur, authoritate Pontificiâ approbavit *Leo X.* Diplomate dato Romæ die XXII. mensis Martii anni MDXX. cùm jam è vivis excessisset anno MDXVI. Cardinalis *Ximènius*, ætatis LXXX. In studio & interpretatione Sacrarum Litterarum insudavit etiam, ac magnam apud Viros eruditos laudem promeritus est *Franciscus Titelmanus*, in oppido agri Leodiensis natus, & Ordinis FF. Minorum, Professor, qui Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, ac Latinæ Linguarum notitiâ præditus, doctissimos edidit Commentarios in plures libros Script. Sacræ cùm Veteris, tùm Novi Testamenti, *Desiderium Erasmum* in Collatione in Epistol. ad Romanos impugnavit, variaque vulgavit Opera sive Dogmatica, sive Ascetica, quæ ejus eximiæ eruditionis & pietis perpetua erunt monumenta. Inter Patres Capucinos, ad quos ex FF. Minorum Ordine, strictioris Disciplinæ regularis observantiæ studio, sese

sese recèperat, sua officia ac ministeria Leprosis incredibili charitate exhibendo, obiit an. MDXXXII. sicut asserit *Wadinghus*, non verò anno MDLIII. sicut per errorem obrepsit *Auberto Miræo* in Scriptoribus Sæculi XVI. Sacrarum Litterarum Interpretum Catalogo accenseri quoque debent quatuor alii ejusdem Ordinis FF. Minorum Scriptores, videlicet *Henricus Regius*, *Joannes Ferus*, *Nicolaus Grandis*, & *Seraphinus Cumiranus*, quorum primus, seu *Henricus Regius*, Padebornensis, *Biblia Alphabetica* edidit, quæ primùm excusa fuerunt Coloniæ anno MDXXXV. Alter, seu *Joannes Ferus*, natione Germanus, prætèr multa Concionum volumina, & Opuscula varia, edidit Commentaria in plures Sacros libros tàm Veteris, quàm Novi Testamenti, quæ tamen, ut inquit *Wadinghus*, varias passa sunt contradictiones. *Nicolaus Grandis*, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Commentarios elaboravit in *Epistolas Sancti Pauli ad Romanos & ad Hebræos*. Denique, *Seraphinus Cumiranus*, Feltrensis, scripsit *Conciliationem locorum Scripturæ Sacræ, quæ inter se pugnare videntur*.

E' Schola FF. Minorum prodierunt Sæculo decimo sexto innumeri penè Theologi, quorum singulares dotes & Opera latè prosequitur *Wadinghus* in libro *De Scriptoribus Ordinis FF. Minorum*. Hìc autem consultò prætermissis haud paucis hujus Ordinis Theologis, qui *de Formalitatibus Scoti*, & de aliis id genus Scholasticis quæstionibus, Ecclesiæ ac Reipublicæ Christianæ parùm utilibus, Tractatus aut libros ediderunt, eos dumtaxàt in medium producam Theologos, qui præclaris Operibus Ecclesiam & Ordinem FF. Minorum Sæculo deci-

decimo ſexto illuſtrarunt. Et primo quidem loco reponam *Cornelium Muſſum*, Placentinum, qui ex Ordine FF. Minorum Epiſcopus Bituntinus aſſumptus, interfuit Concilio Tridentino, ubi vitæ innocentiâ, eximiâ doctrinâ, & ſacrâ eloquentiâ magnam ſui apud Patres admirationem excitavit. Inter alia Opera, quæ perdoctè ſcripſit, præcipuum locum habent quinque libri, quos lucubravit, *de Hiſtoria Divina*, & Commentarius in omnes S. *Pauli* Epiſtolas, & in Decalogum. Plura de eo legeſis apud *Wadinghum* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. Adfuit etiam Concilio Tridentino *Andreas Vega* Hiſpanus ejuſdem Ordinis Minorum, & in Academia Salmanticenſi Theologiæ Profeſſor præſtantiſſimus, qui ejuſdem Concilii Tridentini *de Juſtificatione* doctrinam perdoctis Commentariis adversùs Hæreticos defendit, de quibus legendus eſt *Wadinghus*. Ad Concilium quoque Tridentinum *Michael de Medina* ejuſdem Ord. Profeſſor, à *Philippo II.* Hiſpaniarum Rege miſſus eſt, & ſcripſit libros ſeptem *de Recta in Deum Fide*: Libros quinque *de Sacrorum Hominum Continentia*: Tractatus *de Purgatorio*, *de Indulgentiis &c.* quos *Wadinghus* in Bibliotheca recenſet. *Marcus Viguerius*, natione Italus, patriâ Savonenſis in Liguria, Ordinis Minorum, Theologiam Patavii & in Sapientiæ Romanæ Gymnaſio poſtquàm diu prælegiſſet, Epiſcopus Senogallienſis factus eſt, dein, inter S. R. E. Cardinales à *Pio II.* Pontifice Maximo allectus, & Epiſcopatu Præneſtino auctus. Extant ab eo ſcripta *Decachordum Chriſtianum de præcipuis Incarnati Verbi Myſteriis*: item *Lucubratio de excellentia Inſtrumentorum Dominicæ*

minicæ

minicæ Passionis : Liber *de Vita*, *Passione*, *Morte*, *Resurrectione & Instrumentis Passionis D. N. Jesu Christi*. Apologiam pro *Julio II.* Pontifice Maximo adversùs Conciliabulum Pisanum ab eo conscriptam esse prodit *Possevinus* Tomo 2. *Aparatus Sac.* pag. 62. *Dialogum* etiam *de tollendis abusibus Ecclesiæ* ab eodem compositum memorat *Simlerus* in Bibliotheca Tigurin. pag. 575. *Franciscus Lichetus*, Brixiensis, Ordinis FF. Minorum Generalis Minister, Commentarios adornavit in quatuor Sententiarum libros Doctoris subtilis. *Conradus Cligius*, natione Germanus, & ejusdem Ordinis Minorum, prætèr *Catechismum* libris IV. comprehensum, scripsit *Locorum Communium Sacræ Theologiæ Sylvam*, & alia Opera, quæ tamen vel exuberantis ingenii vitio, vel fraude Hæreticorum corrupta, correctione indigent, ut inquit *Wadinghus*, quò fit, ut omnia ejus Opera, donec expurgentur, in Indice Romano prohibeantur. *Clemens Dolera*, natione Italus, ex Ministro Generali Ordinis FF. Minorum creatus est S.R. E. Presbyter Cardinalis & Episcopus Fulginatensis, edidítque *Compendium Catholicarum Institutionum ad Christianam Theologiam*, & alia Opera, de quibus consule *Wadinghum* in Bibliotheca. *Didacus Stella*, natione Lusitanus, non solùm fuit insignis Ordinis Minorum Theologus, sed eximius Concionator, & Scriptor Asceticus, qui libros edidit *de contemnendis Mundi vanitatibus*, quos S. *Franciscus Salesius* impensè laudat, insupèr Meditationes *de Amore Dei*, & librum *de modo Concionandi*, seu *Rhetoricam Ecclesiasticam*, quâ posteros Concionatores informavit, artemque benè, & utiliter

Con-

Conciones ad populum habendi edocuit. Denique, inter doctissimos Theologos Ordinis Minorum adnumerari debent *Petrus Crabbius*, *Alphonsus à Castro*, & *Petrus Galatinus*, quorum primus, seu *Petrus Crabbius*, patriâ Mechliniensis. Vir fuit pietate & eruditione Clarus, qui, post *Jacobum Merlinum*, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarium, à quo, ut superiùs observavimus, in lucem data est Conciliorum Collectio, novam ac multò locupletiorem Conciliorum Collectionem an. MDXXXVIII. typis mandavit Coloniæ, eique prætèr varias Synodos & Epistolas sparsim additas, inseruit Gesta Concilii Chalcedon. Concilium Lateranense sub *Innocentio III.* celebratum, Appendicem copiosam Concilii Constantiensis, Epistolas & Responsiones Synodales XVII. Concilii Basileensis, & Gesta Concilii Florentini ex interpetratione *Bartholomæi Abrahami Cretensis*,& Vitas Romanorum Pontificum, quæ omnia desiderantur in prioribus Conciliorum Collectionibus. Hanc novam Conciliorum Collectionem duobus Tomis complexus est *Petrus Crabbius*, quamtamen posteà pluribus additamentis auctam, & in tria magnæ molis volumina digestam, novâ Editione anno MDLI. Coloniæ donavit, eamque *Carolo V.* Imperatori nuncupavit. In alio perindè Ecclesiæ utili scribendi genere versatus est *Alphonsus à Castro*, natione Hispanus, patriâ Zamorensis, unus è Concilii Tridentini Theologis, & *Philippo II.* Hispaniarum Regi à Sacris Concionibus, qui, præter Homilias, scripsit Opus *adversùs omnes Hæreses* in libros XIV. distributum: Libros tres *De Iusta Hæreticorum Punitione*; & libros duos

De

De Potestate Legis Pœnalis. Denique, *Petrus Galatinus*, natione Apulus, Opus Theologicum edidit in quinque partes tributum: Item Opus *De Ecclesiæ Catholicæ Institutione, Deformatione, & Reformatione*, aliosque Tractatus, quorum Catalogum exhibet *Wadinghus* in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum. Hìc autem obitèr advertere debes, eumdem *Petrum Galatinum* scripsisse librum *De Arcanis Catholicæ Veritatis* adversùs Judæos, ex libro *De Pugione Fidei Raymundi Martini*, Ordinis Prædicatorum, maximam partem compilatũ, sicut sole clariùs demonstravit doctrinâ & pietate illustris dominus *Josephus de Voisin* in Prolegomenis *Pugionis Fidei* Editionis, quam secundis curis adornavit, tamque insigne plagium detexit. Quin, ante *Josephum de Voisin* hoc *Petri Galatini* furtum subodoratus est *Josephus Justus Scaligerus* in Epistola ad *Casaubonum* datâ Idibus Septembris anni MDIII. in qua hæc habet: *Addebas de quibusdam in Petri Galatini disputationibus. Scito illos libros esse Compendium duorum ingentium Voluminum, quibus titulum fecit Auctor Raymundus Sebon Dominicanus, eximius Philosophus*. At ille naris emunctæ Criticus, quamvis *Petri Galatini* furtum optimè olfecerit, atque acutissimè indagaverit, à via tamen veritatis aberravit, primò, dum ait, *Raymundum Sebonem* esse Dominicanum & Authorem libri *De Pugione Fidei*. Constat quippe *Raymundum Sebonem* nec Dominicanum fuisse, nec Authorem libri *De Pugione Fidei*, sed germanum illius libri Authorem esse *Raymundum Martinum*, natione Catalanum, patriâ Subiratensem, Conventus Barcinonensis Ordinis FF. Prædicatorũ alu-

alumnum, ſicut teſtatur *Franciſcus Diago*, ejuſdem Ordinis, libro 2. *Hiſtoriæ Provinciæ Aragoniæ* cap. 28. Fallitur prætereà *Joſephus Scaligerus*, dùm aſſerit, Opus *Petri Galatini* De Arcanis Catholicæ Veritatis nihil aliud eſſe, quàm Compendium duorum ingentium voluminum *Raymundi* Dominicani; cùm tamen certum ſit, non duo tantùm, ſed tria volumina libri *Raymundi Martini* Dominicani *De Pugione Fidei* extare in variis Bibliothecis, quorum non tam Compendium, ſeu Epitomen, aut Breviarium confecit *Petrus Galatinus* in ſuo libro *De Arcanis Catholicæ Veritatis*, quàm omnia bona, quæ eo in libro habet, ab illo ſuffuratus eſt, ſuppreſſo penitus *Raymundi Martini* nomine, nec vel minimum quidem indicato fonte, ex quo pleniſſimè biberat, & aquas inde hauſtas in ſuos alveos derivaverat. Sed de Scriptoribus Ordinis S *Franciſci* hactenus ſatis.

D. Supereſt adhùc unus Religioſorum Mendicantium Ordo, videlicet Carmelitarum; de cuius Scriptoribus, qui præclaris ingenii ſui monumentis, omnique bonarum Litterarum genere Chriſti Eccleſiam locupletarunt, breviter in hac decima tertia Virorum Sæculi XVI. eruditorum Claſſe diſſerere debemus.

M. Prætermitto, ne longiori deductâ Scriptorum ſerie, tibi faſtidium ingeram, doctiſſimos Theologos Scholaſticos, qui Sæculo XVI. magnum Ordini Carmelitarum ſplendorem contulerunt, & tres tantùm mihi notos, illius Ordinis Scriptores, quorum Opera eruditis & aſceticis Viris maximè probantur, hìc indicabo, videlicèt S. *Thereſiam à Jeſu*, Spiritualis & Cœleſtis doctrinæ Magiſtram

giſtram; *Everardum Billichium*, & *Baptiſtam Mantuanum*, cognomento *Hiſpaniolum*. In primis, certò affirmare poſſum, ex Hiſpania, ſanctitatis & doctrinæ feraciſſimâ, non extitiſſe Sæculo XVI. quidquam ad Religionis Chriſtianæ gloriam & majeſtatem illuſtrius illâ Deo dilectâ Virgine *Thereſiâ*, quæ Abulæ in Regno Caſtellæ parentibus non minùs nobilitate, quàm vitæ integritate conſpicuis nata, ad Moniales Ordinis S. *Mariæ de Monte Carmelo* anno ætatis ſuæ vigeſimo ſe contulit, & ejuſdem Ordinis non ſolùm in mulieribus, ſed & in Viris reformationem aggreſſa, de ſola Dei miſericordia confidens, humanis omnibus deſtituta auxiliis, & adverſantibus plerùmque ac contradicentibus poteſtatibus Sæculi, ad optatum exitum perduxit, materque evaſit Carmelitarum excalceatorum tàm Virorum, quàm Mulierum Ordinis latiſſimè propagati, quo nullum Sanctitate & eruditione, ſeu utrâque Theologiâ, Myſticâ & Scholaſticâ, ſuperiorem Eccleſia habet, ut opportuniùs oſtendemus in ſequenti Colloquio, ubi agemus de Religioſis Ordinibus, qui Sæculo XVI. fuerunt inſtituti. Actum profectò agerem, ſi hìc ſummam S. *Thereſiæ* pietatem, ardentiſſimam in Deum, & proximum charitatem, cæteraſque virtutes, quibus in gradu heroico excellebat, deſcribendas ſuſciperem. Dicam tantùm, ejus doctrinam adeò Cœleſtem eſſe, ut verè ipſa dici poſſit *Doctrix diſciplinæ Dei, & electrix operum illius*. Scripſit, prætèr plures Epiſtolas, quæ germanam ac ſolidam pietatem ubique ſpirant, *Vitæ ſuæ Relationes*, *Viam Perfectionis*, *Fundationum Cœnobiorum ſuorum* librum unum, *Caſtrum animæ* & *in Cantica*
Can-

Canticorum librum unum, quorum Operum asceticorum excellentiam egregiè commendat *Gregorius XV.* Pontifex Maximus in Canonizationis Sanctæ *Theresiæ* Diplomate, ubi ait, Sanctam illam Virginem, Cœlestis sapientiæ imbribus à Deo irrigatam, edidisse de Mystica Theologia, & de aliis etiam rebus libros multâ pietate refertos, *ex quibus fidelium mentes uberrimos fructus percipiunt, & ad supernæ patriæ desiderium excitantur*. Esset hìc locus opportunissimus, si per Colloquiorum nostrorum brevitatem liceret, meo, totiusque Ordinis nomine, testandi gratissimum animum non solùm in Sanctam *Theresiam*, quæ, suum in Dominicanos ut significaret affectum, in una ex suis Epistolis se *Dominicam in Passione*, idest, ex animo totoque affectu Dominicanam se esse profitebatur; sed etiam in Reverendos Patres Carmelitanos excalceatos, S. *Theresiæ* filios, qui de Schola nostrâ optimè meriti sunt, & S. *Thomæ* doctrinæ maximum splendorem atque authoritatem conciliarunt laudabili illo Statuto, & quasi voto de S. Doctore Angelico ubique sequendo, quod Carmelitarum Ordo inter Constitutiones, & suæ Religionis fundamenta posuit, & sanctè etiamnùm observat. Sed, cùm huic officio plenè satisfacere non possim, perpetua illa & arctissima amicitia, quâ RR.PP. Carmelitas Excalceatos colit Schola Thomistica, æternum erit nostræ in illos observantiæ monumentum. *Everardus Billichius*, Carmelita Coloniensis, in Concilio Tridentino, & Ratisponensi Colloquio pro tuenda Fide Catholica multùm allaboravit. *Defensionem judicii Universitatis Coloniensis* adversùs calumnias *Melanctonis, Buceri,*
Olden-

Oldendorpi, & *Asseclarum* in publicam lucem emisit: Item librum *de dissidiis Ecclesiæ componendis.* Denique, *Baptista Mantuanus*, cognomento dictus *Spagnolus*, seu *Hispaniolus*, gente erat Italus, patriâ Mantuanus, & Ordinis Carmelitani in Conventu Mantuano alumnus, ac posteà totius Ordinis Generalis Præfectus, cui tamen dignitati, post triennium, ultrò cessit, ut Deo ac sacris studiis faciliùs vacaret. Linguarum Latinæ & Hebraicæ peritus fuit, eximius Theologus, & Poëta optimus, adeòque castus, ut Poëticam venam rebus lascivis aut prophanis impendere piaculum duxerit. Obiit Mantuæ XI.Kal.Aprilis ann.MDXVI. eique mortuo *Fredericus*, Mantuæ Dux, Statuam marmoream posuit. Pratèr multa sacra Poëmata, scripsit *contra Poëtas impudica scribentes*: *Historiam Redemptoris Mundi Matris Ecclesiæ Lauretanæ*: *Apologiam pro Carmelitis*: *Tractatum de parte Corporis B. Mariæ, in qua conceptus est Jesus Christus*: *De patientia libros tres*, & alia Opera, quæ simul collecta studio *Laurentii Cuperi*, Bruxellensium Prioris, prodierunt Antuerpiæ anno MDLXXVI. Plura de Carmelitani Ordinis Scriptoribus non addam, eò quòd Clarissimi Societatis Jesu Scriptores, de quibus in sequenti, seu decimâ quartâ Virorum Secul.XVI.eruditorum Classe, sermonem habituri sumus, amplissimum dicendi suppeditent argumentum:

D. Cùm in Societatem *Jesu*, doctrinâ, legibus, vitâ, moribus & Scriptis ubique laudatissimam, sic ab initio fuerim animatus, ut vero ejus honori consulere semper in votis habuerim, incessit, nuperrimè animum libido pervoluendi Biblio-

the-

thecam Scriptorum Societatis *Jesu*, & statim in prima Præfatione (cujus Author est R. P. *Petrus Ribadeneira* ejusdem Societatis Theologus) hæc verba perlegi, quæ me singulari admiratione perculerunt: *Mihi quidem*, inquit ille, *certè permirum videtur, in tam exiguo nostrorum numero tam multos extitisse Scriptores, qui brevissimo tempore lucubrationes suas litteris mandarunt, & omne penè Scriptorum genus magna cum laude sunt persecuti. Etenim, ut ex multis pauca attingam, quod genus ingenuarum artium est, quod argumentum, quæ tractatio, in qua nostri non sint peregregiè versati? quam scriptis suis non explicarint, auxerint, ornarint? Nam si ab ipsis quasi incunabulis ac primis Grammatices rudimentis ducas exordium, & per severiores Disciplinas, ceu per gradus quosdam, ad culmina sacræ ascendas Theologiæ, nihil certè reperies à nostris prætermissum, quod ad scientias omnes illustrandas pertinere videatur &c.* Volebam quidem ulteriùs progredi, sed, ut candidè fatear, immensi illius libri moles me, magni laboris impatientem, à lectione deterruit. Quocircà obsecro te, ut præcipuos ac primi subsellii Scriptores Societatis Jesu brevitèr in hac decima quarta Virorum Sæculi decimi sexti eruditorum Classe percensere, eorumque Opera indicare non graveris.

M. Istud Scriptorum Societatis Jesu elogium, quod in Præfatione *Petri Ribadeneira* ad Bibliothecam Scriptorum Societatis Jesu lectitasti, splendidum quidem, elegans, ac magnificum est, modestum tamen præ aliis encomiis, quæ in Imagine primi Sæculi Societatis Jesu habentur, & à quibus referendis, ne longior sim, consultò in-
præ-

præsentia abstinebo, atque in recensendis dumtaxàt præstantioribus hujus Societatis Scriptoribus, eorumque lucubrationibus debitâ commendatione celebrandis, paululùm immorabor. Incipiam porrò à S. *Ignatio Loyola*, Societatis Jesu parente ac Conditore, meoque in Cœlis singulari Patrono, cujus nomine in Sacro Baptismatis fonte divinâ providentiâ fui donatus. Natione Hispanus fuit *Ignatius de Loyola*, qui, dùm viveret, varias, ita permittente Deo, persecutiones passus est, præsertìm Parisiis, ubi ab æmulorum manibus ac furore liberatus est authoritate ac potentiâ Dominicani *Matthæi Ori*, Inquisitoris Parisiensis, ad cujus tribunal semel & iterùm fuit delatus, sicut testatur *Orlandinus* libro 1. Historiæ Societatis Jesu. Nec solùm Parisiis & in Gallia *Ignatium de Loyola* ab eo Dominicano Fidei Quæsitore humaniter & perhonorificè tractatum narrat *Orlandinus*, sed etiam lib. 2. ejusdem Historiæ num. 31. asserit, *Ignatium de Loyola*, à suis æmulis Salmanticæ in Hispania impetitum, sese testimonio Dominicani *Matthæi Ori*, quem Parisiis vindicem ac defensorem habuerat, tutatum fuisse. Variis prætereà circà librum *Exercitiorum spiritualium*, quem edidit, quique à *Paulo III.* aliisque Romanis Pontificibus posteà approbatus est, atque à Viris doctissimis ac religiosissimis summè laudatus, procellis agitatus est *Ignatius de Loyola*. Neque enim, ut obiter dicam, assentior illis, qui volunt, Authorem illius libri *Exercitiorum spiritualium* esse *Garciam Cisnerium*, Montisserrati Religiosum Benedictinum; maximè cùm ex testimoniis Romanorum Pontificum constet, hunc librum *Exercitiorum spiritualium*

à S. *Ignatio*, dùm Manresæ esset, compositum fuisse, & jussu *Pauli III.* recognitum esse à P. *Foscarario* Dominicano, & Sacri Palatii Apostolici Magistro, qui egregium de illo protulit testimonium præfixum huic libro, Editione Romanâ primâ, anno MDXCVI. excuso: *Non poterunt*, inquit ille Dominicanus, *tàm Sancta Exercitia non maximum commodum præstare cuilibet studioso: ideò obviis etiam ulnis amplectenda sunt*. In secunda verò Editione ejusdem libri, sic ejus utilitatem commendat idem Sacri Palatii Apostolici Magister: *cùm nequeat subsistere diù Christiana Religio sine exercitiis, & meditationibus aliquibus spiritualibus (in meditatione enim, inquit Vates, exardescit anima mea) nullas arbitror magis opportunas, his, quæ procul dubio ex Scripturarum studiis: & longo rerum usu natæ sunt*. Prætèr hunc admirabilem *Exercitiorum spiritualium* librum, quem ad posteros transmisit *Ignatius de Loyola*, plures scripsit pias Epistolas ad suos filios, eisque Constitutiones dedit, in quarum Parte quarta, cap. XIV. sancitâ lege jubet, ut doctrinam Thomisticam sectentur: *In Theologia*, inquit Vir Dei, *legatur Vetus & novum Testamentum, & doctrina S. Thomæ*; eique nullo nomine, nullo prætextu, nullove titulo, lituram aliquam, exceptionemve præfigi unquàm passus est, quandiù vixit Beatissimus ille Societatis Jesu Parens, & germanæ S. Thomæ Aquinatis doctrinæ sectator strenuus; sed potiùs Christianæ pacis amantissimus, si quæ vidit ætate suâ dissensionum istarum ac novitatum pullulare semina, actutùm eâ, quâ potuit, pietate ac religione compressit, illo proindè dignus elogio, quo eum Cardinalis *Franciscus à Monte*

à Monte coram *Gregorio XV.* Pontifice Maximo coronavit, dùm virtutum ac miraculorum gesta, pro Canonica ejus Apotheosi referret: *Novas*, inquit, *opiniones nunquàm admisit, & in Theologia Scholastica doctrinam Angelici Doctoris secutus est*. Et certè, *Maffejus* Societatis Jesu, libro 1. *de Vita S. Ignatii* cap. 19. & alii ejusdem Societatis probatissimæ fidei Scriptores, disertè testantur, *Ignatium de Loyola* Lutetiæ Parisiorum apud FF. Prædicatores in Collegio Generali S. *Jacobi* Theologiæ operam navasse, eâque ratione subindè factum, ut qui, nascente Societate Jesu, eidem, necdùm peractis Theologicis studiis, nomen dabant, ad Fratrum Prædicatorum Scholas, Lectiones Theologicas excepturi, mitterentur; quod olim Vallisoleti atque Abulæ fieri solitum ipsimet Societatis Jesu Scriptores litteris prodiderunt. Ita nempè, qui tum temporis *Ignatii* mentem, animumque propiùs ebiberant, se nunquàm meliùs instituendos autumabant, quàm si eum Doctrinæ fontem attingerent, undè sanctissimus Pater hausisset. Ad Vitam immortalem migravit S. *Ignatius de Loyola* pridiè Kal. Augusti anni MDLVI. & à *Gregorio XV.* Pontifice Maximo, heroicis ejus virtutibus ac miraculis ritè probatis, in Cęlitum numerum relatus est IV. Id. Martii an. MDCXXXIII. De Societate Jesu, cujus fundamenta jecit S. *Ignatius de Loyola*, & cujus incrementum haud parùm promoverunt Religiosi Dominicani, commodiùs agemus in proximo Colloquio, ubi de Religiosis Ordinibus, qui Sæculo XVI. originem habuerunt, sermonem instituemus.

Post S. *Ignatium de Loyola*, Societatis Jesu

Auctorem ac Parentem, inter Clarissimos ejusdem Societatis Scriptores, qui Sæculo XVI. doctrinâ & pietate effulserunt, eos, qui sequuntur, potissimùm laudabo, videlicet *Jacobum Laynes*, *S. Franciscum Xaverium*, *Martinum Olavium*, *Petrum Canisium*, *Henricum Canisium*, *Franciscum Ribera*, *Joannem Ferdinandum*, *Alphonsum Salmeronem*, *Hieronymum Pradum*, *Franciscum Toletum*, *Blasium Viegam*, *Joannem Maldonatum* & *Emmanuelem Sa*. De quibus singillatim aliquid dicturus, ordiar à *Jacobo Laynes*, natione Hispano, patriâ ex oppido Castellæ Almazan, qui fuit Vir ingenio maximo, judicio acerrimo, excellenti memoriâ, prudentiâ singulari, innocentiâ & vitę sanctimoniâ admirandus; modestiâ, affabilitate ac suavitate morum haud vulgaritèr præditus. Sancto *Ignatio de Loyola* ad meliorem vitam translato, Præpositus Generalis Societatis Jesu electus *Jacobus Laynes*, eam octo annos & dimidiatum sapientissimè rexit. In Galliam à *Pio IV*. Pontifice Maximo cum *Hyppolito Estensi*, Cardinali Legato, ad restinguendum incendium, eo in Regno ab Hæreticis Calvinianis excitatum, missus, interfuit publico totius hujusce Regni Poissiaco Conventui, in quo, sicut in superiori Colloquio jam observavimus, maximâ Sententiarum & verborum gravitate repressit, coram *Catharina*, Regina matre, *Theodorum Bezam*, *Petrum Martyrem*, aliosque nefarios Hæreticorum Antesignanos frænavit, ac prorsùs elingues reddidit. Concilio Generali Tridentino interfuit, & in eo multa suæ eruditionis specimina edidit. Tandem absoluto Concilio Tridentino, Romam reversus, ibi obiit die 19. Januarii an. MDLXV. ætatis suæ LIII.

Præ-

Præclara feliciſſimi ingenii ſui atque exquiſitæ eruditionis ſuæ monumenta reliquit, quæ tamen, ut obſervat *Philippus Alegambius* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu, ob varias, quibus diſtentus erat, occupationes, limare, eiſque ultimam manum admovere haud potuit *Jacobus Laynes*. De illius etiam Scriptis legendi ſunt *Franciſcus Sacchinus* in Hiſtoria Societatis Jeſu, & *Petrus Ribadeneira* in Catalogo Scriptorum ejuſdem Societatis. Exactis in Academia Pariſienſi Philoſophiæ & Theologiæ ſtudiis, ſeſe ſocium Sancto *Ignatio* adjunxit *Franciſcus Xaverius*, natione Hiſpanus, patriâ Navarrus, qui à *Paulo III.* Pontifice Maximo, *Joannis III.* Luſitaniæ Regis rogatu, ad Orientalem Indiam miſſus eſt, ubi innumeros Populos Evangelii luce perfudit. Dein, in Japoniam primus Cœleſtis doctrinæ lumen invexit, ideòque Japponum primus Apoſtolus jure merito dictus. Tot remotas Infidelium Regiones pedibus luſtraſſe, & Cœleſti luce colluſtraſſe non contentus *Franciſcus Xaverius*, latiſſimum Sinenſium Imperium penetrare voluit, ſed in ipſo hujuſce Regni aditu ſanctiſſimè obiit die XI. menſis Decembris anni MDLII. & à *Gregorio XV.* Pontifice Maximo Sanctorum Catalogo adſcriptus eſt die XII. menſis Martii anni MDCXXII. S. *Franciſci Xaverii* virtutum ornamenta, præcipuè ſubmiſſionem animi, charitatem erga Deum, zelum animarum, magnanimitatem, fortitudinem, in adverſis patientiam, perpetuum Orationis ſtudium, vitæ aſperitatem, Evangelicæ paupertatis amorem, cæteraſque virtutes heroicas complexus eſt *Petrus Ribadeneira* in Vita Sancti *Ignatii de Loyola*. Sex quoque libros

de S. *Francisci Xaverii* moribus, vitâ, obitu & miraculis scripsit *Horatius Tursellinus*, elegans Societatis Jesu Scriptor. Extant complures S. *Francisci Xaverii* Epistolæ zelum Apostolicum spirantes, & alia quædam Opuscula, quorum meminit *Alegambius* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. Inter primos S. *Ignatii* socios annumeratur *Martinus Olavius*, natione Hispanus, patriâ Cantaber, ex oppido *Victoria*, qui postquàm in Academia Parisiensi Doctor in Sacra Theologia inauguratus, sapientiæ laude floruisset, & *Ottonis* Cardinalis *Truchesii*, Episcopi Augustani, nomine, Synodo Tridentinæ adfuisset, ibique Orationem summo cum totius Concilii applausu habuisset, Societati Jesu nomen dedit, ac brevi inter Professores adscriptus, Romano præfectus est Collegio, in quo Theologiam magnâ cum sui nominis famâ docuit, scripsitque *Assertiones de conditione, lapsu & reparatione hominis*, necnon *ad Decretum Parisiense à Sorbonicis Doctoribus contra Societatem Jesu in ipsis suis initiis latum Responsionem*, quæ, ut testatur *Alegambius* in Bibliotheca, extat in Historia Societatis Jesu Tomo 1. libro 15. num. 46. Societatem Iesu recens natam *Petrus Canisius*, natione Belga, patriâ Noviomagensis, doctrinâ ac pręstantis ingenii monumentis mirum in modum illustravit. Germaniam superiorem, primus à Sancto Patriarcha *Ignatio* institutus PrępositusProvincialis, prudentissimè rexit, Hæreticos disputationibus repressit, Catholicos confirmavit, suisque ferventissimis Concionibus ad meliorem frugem revocavit. Scripsit libros quinque *de Beatissima Maria Virgine*: *Parvum Catechismum Catholicorum*:

Com-

Commentarios *de Verbi Dei Corruptelis*, & alia plura Opuſcula Dogmatica, Exegetica, Polemica, & Aſcetica, quæ recenſet *Philippus Alegambe* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu. Hic *Petrus Caniſius* fratrem habuit ejuſdem Societatis *Henricum Caniſium*, omnis litteraturæ ſtudioſum, & ſacrorum Canonum in Academia Ingolſtadienſi Interpretem, qui plura edidit Opera in jus Canonicum & Civile, ſed præſertim ſex Tomos *Antiquæ Lectionis*, in quibus varia exhibet Scriptorum priſcorum monumenta ad Hiſtoriam mediæ ætatis illuſtrandam, nunquàm antehàc evulgata. *Franciſcus Ribera*, natione Hiſpanus, patriâ ex oppido Caſtellæ Villacaſtia, maximum doctrinâ ſuâ Societati Jeſu contulit ſplendorem. Vir quippè fuit egregiè doctus ac pius, ingenio excellenti, judicio acri, in ſanctorum Patrum Operibus verſatus, & linguarum Latinæ, Græcæ, ac Hebraicæ peritiſſimus. Scripſit, prætèr Vitam *S. Thereſiæ*, doctiſſimos *Commentarios in* XII. *Prophetas Minores*, *in Epiſtolam Pauli ad Hebræos*, *in Evangelium S. Joannis*, & *in Apocalipſin*, necnon libros quinque *De Templo Salomonis*. Plura de hoc erudito Scriptore legeſis apud *Alegambium* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu. *Joannes Ferdinandus*, natione Hiſpanus, patriâ Toletanus, & inſignis Societatis Jeſu Theologus, Scripturam Sac. per multos annos Romæ interpretatus eſt. Dein, in Belgium miſſus ad operam in Caſtris militibus Catholicis præſtandam, per quinquennium ibi verſatus multos pertulit labores & graviſſima pericula adivit, è quibus divinâ ope liberatus, & è Belgio in Hiſpaniam reverſus, annos quindecim ultiſſimis Con-

cionibus consumpsit, scripsitque *Divinarum Scripturarum juxta sanctorum Patrum Sententias locupletissimum Thesaurum* Tomis tribus comprehensum. Tertio tamen Tomo *Joannes Ferdinandus*, morte interceptus, finem imponere haud potuit, teste *Alegambio* in Bibliotheca sæpiùs laudatâ Scriptorum Soc. Jesu. Unus ex decem primis Sociis S. Patriarchæ *Ignatii* esse meruit *Alphonsus Salmeron*, natione Hispanus, patriâ Toletanus, qui in Academia Parisiensi Philosophicis ac Theologicis excultus disciplinis, Conc. Trid. sub *Paulo III.* sub *Julio III.* & sub *Pio IV.* interfuit, atque in eo Orationem habuit pereruditam de S. *Joanne Evangelista*, Patrum hujus Concilii auribus dignam. *Novum Testamentum* sexdecim Tomis perdoctè interpretatus est. Hæreticorum perpetuus hostis fuit, quos disputationibus, lectionibus ac Scriptis semper exagitavit. Doctrinæ S. *Thomæ* fuit addictissimus, ut videre est præsertim in Disputatione XXI. in caput VIII. Epistolæ S. *Pauli* ad Romanos, ubi disertis verbis Prædestinationem gratuitam, idest, ante omnem prævisionem meritorum, multis momentis adstruit, omnemque prçscientiam boni usus gratiæ exploratricem eliminat. *De Alphonsi Salmeronis* Operibus lege *Possevinum* in Apparatu sacro, & *Alegambium* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu. *Hieronymus Pradus*, natione Hispanus, ejusdem Societatis Jesu Professor, Sacras Litteras in Academia Cordubensi publicè exposuit, & eruditum edidit Commentarium in priora sex & viginti Capita Prophetæ *Ezechielis*, reliqua verò Capita, præsertim ea, quæ Urbis ac Templi Hierosolymitani spectant apparatum, explanavit alter

Socie-

Societatis Jesu Theologus, seu *Joannes Baptista Villalpandus*. Societatem Jesu sacræ purpuræ honore primus ornavit *Franciscus Toletus*, natione Hispanus, patriâ Cordubensis, postquàm sub *Pio V.* & sex aliis succedentibus Romanis Pontificibus Concionatoris Apostolici munus magno cum fructu, & summo omnium applausu obiisset, suorumque Auditorum animos non tàm verborum elegantiâ, quàm Sententiarum gravitate, reconditæ doctrinæ excellentiâ, ordinis dispositione, ingenii perspicuitate ac magnitudine in admirationem rapuisset. Ejus operâ sępiùs usi sunt Summi Pontifices. *Pius V.* Cardinali *Joanni Francisco Commendono*, in Germaniam ad *Maximilianum* Imperatorem, & *Sigismundum* Poloniæ Regem misso Legato, *Franciscum Toletum* comitem adjunxit. *Gregorius XIII.* eum in Belgium misit, ut Pontificium Diploma contra errores *Michaelis Baji* ab Academia Lovaniensi, & ab ipsomet *Michaele Bajo* recipi curaret, quod ipse feliciter & ex animi sententiâ perfecit. Sacra Biblia recognoscendi, & à mendis, quæ in ea Typographorum incuriâ irrepserant, repurgandi provinciam ei demandavit *Sixtus V.* ac tandèm illum, vitæ Sanctimoniâ cum eximia eruditione & prudentiâ in rebus agendis singulari conjunctâ clarissimum, *Clemens VIII.* in Cardinalium Collegium cooptavit; sub cujus Pontificatu in negotio de *Henrici IV.* Galliarum Regis cum Sancta Sede reconciliatione promptam & egregiam navavit operam Cardin. *Toletus*, & in absolutione ejusdem Regis à Summo Pontifice impetrandâ præclarè meritus est de universa Gallia, de Rege *Henrico IV.* qui tanti beneficii memor,

Cardinali *Toleto* mortuo anno MDCVI. solemni ritu Parisiis in Ecclesia Principe parentavit. Præter Philosophicas lucubrationes, edidit *Franciscus Toletus* Summam Casuum Conscientiæ, seu *Instructionem Sacerdotum*, & eruditos Commentarios in Evangelium S. *Joannis*, in priora duodecim Capita Evangelii S. *Lucæ*, in Epistolam ad Romanos, & Sermones XV. in Psalmum XXXI. Inter Scripturæ Sacræ Interpretes, quos Ecclesiæ Sæculo XV. dedit laudatissima Jesu Societas, locum habere debet *Blasius Viegas*, natione Lusitanus, & Sacrarum Litterarum in Academia Eborensi Professor, qui egregiis Commentariis *Apocalypsin* illustravit. At in Sacrarum Litterarum interpretatione nullum, juxtà peritorum Criticorum judicium, doctiorem protulit Societas Jesu *Joanne Maldonato*, in Bætica Hispaniæ nato, qui à teneris annis omni litterarum genere excultus, ad exactum Philosophiæ & Theologiæ studium singularem pietatem, morum candorem & acerrimum judicium cùm attulisset, in celebrem evasit Oratorem ac Theologum, atque Superiorum jussu Romæ primùm Theologiam docuit, deindè, per decem annos Parisiis magno cum applausu & frequenti omnium ordinum concursu in Collegio Societatis Jesu Claromontano docendi munus obivit. Occasione tamen peculiaris cujusdã opinionis, quam in suis lectionibus propugnaverat, gravem cum sacrâ Facultate Parisiensi litem sustinuit, cujus originem & causam, omniaque monumenta ad illam spectantia refert *Egassius Bulæus* Tomo VI. *Historiæ Universitatis Parisiensis*. Romam à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo ad concinnandam novam septuaginta Interpretum Versionis

ſionis Editionem vocatus *Joannes Maldonatus*, ibi tandèm meritis clarus è vivis exceſſit die v. menſis Januarii anni Chriſti MDLXXXIII. ætatis ſuæ L. Poſt ejus obitum, operâ ac curâ *Clementis Puteani*, ejuſdem Societatis Jeſu Theologi doctiſſimi, prodierunt in lucem eruditiſſima illius Commentaria in quatuor Evangeliſtas, in quibus, ut teſtantur periti Critici, nullum in Theologia probatum, Græcum, Latinumve authorem prætermiſit *Joannes Maldonatus*, quin totum legerit, perlegeritque diligenter ac notarit; quò fit, ut tantâ eruditione, ac tantâ rerum ſcientiâ ejus Commentaria ſint referta. Scripſit etiam Vir ille diſertus juxtà ac doctus alia Commentaria in Prophetas *Jeremiam*, *Baruch*, *Ezechielem*, & *Danielem*, & alia plura, perdocta Opera, de quibus legendus eſt *Philippus Alegambius* in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu. Denique, *Emmanuel Sa*, natione Luſitanus, inter inſignes Societatis Jeſu Theologos celebris, Vir fuit eloquentiâ & eruditione conſpicuus, qui, Sacrarum Litterarum Interpretis, & Concionatoris Apoſtolici Romæ ſummâ cum laude functus officio, ſcripſit, prætèr *Aphoriſmos Caſuum Conſcientiæ*, *Scholia in quatuor Evangelia*, brevia quidem, ſed erudita, & ex ſelectis ſacrorum Doctorum Sententiis excerpta, & *Annotationes in omnem Scripturam Sacram*, Opus conciſum quidem & contractum, ſed indefeſſo ſtudio elaboratum atque perfectum. Sunt nonnulli eruditi Critici, qui aſſerunt, *Emmanuelem Sa* multa ex *Franciſco Vatablo* defloraſſe, eaque in ſuas Annotationes in Scripturam Sacram convaſaſſe. Miſſos facio, brevitatis ergò, alios longè plures Societatis Jeſu Scriptores, Theo-

Theologos, Scripturæ Sacræ Interpretes, Polemicos, Asceticos, Historicos, Grammaticos, quorum Opera, & Elogia fuso & eleganti calamo describuntur in Societatis Jesu Scriptorum Bibliotheca, quæ incepta est à *Petro Ribadeneira* ejusdem Societatis Theologo anno MDCII. continuata deindè à *Philippo Alegambe* ex eadem Societate ad annum MDCXLII. & tandem producta usque ad annum MDCLXXV. à *Nathanaele Sotuelo*, ejusdem Societatis Jesu Presbytero. De industria etiam prætermisi *Ludovicum Molinam*, & *Leonardum Lessium*, Societatis Jesu Theologos, tum quia de illis sub finem Colloquii tertii jam mentionem feci, tùm quia etiam consultius esse duxi, paci silentio litare, quàm obligata intempestivè retractare vulnera, & obortam, horumce Scriptorum occasione, Dominicanos inter & Patres Societatis Jesu invidiosam repetere litem. Hæc igitur hactenùs à me dicta sufficiant in laudem celeberrimę Societatis Jesu, quam de me optimè meritam officiis meis semper promereri satagam. Ingratus alioquì jure optimo audirem, si Patribus Societatis Jesu, à quibus, dum adolescens essem, in Collegio Avenionensi Grammatices elementa suscepi, & Christianæ Religionis Mysteria, necnon piè vivendi modum edoctus sum, innumeras non persolverem grates, & majores me debere grato ac sincero animo palàm non significarem, cùm, teste Philosopho, Parentibus & Magistris pares referre gratias nemo possit. Quòd si verò nunc Scholæ Thomisticæ ex juramento addictus, & puro Sancti *Thomæ* doctrinæ lacte potatus, aliquas Theologorum Societatis Jesu opiniones probare minimè possim,

possim, ob id tamen ingrati animi labem nullus mihi inurere debet, maximè cùm apposité dicat insignis Poëta *Horatius*:

Diversum sentire duos de rebus eisdem,
Incolumi licuit semper amicitiâ.

Constantèr itaque, quandiù suppetent vires, doctrinam S. *Thomæ*, in cujus verba juravi, pro aris ac focis propugnabo, & ab ea ne latum quidem unguem descìscam; sed charitatem fraternam, quâ secundùm Deum nihil priùs & antiquiùs habere debemus, nunquàm, Divinâ opitulante gratiâ, lædam, quia, ut ait S. *Augustinus* cap. 9. libri 3. De Baptismo contra Donatistas: *Hujus fraternæ charitatis inimici, sivè apertè foris sint, sivè intùs esse videantur, Pseudochristiani sunt & Antichristi.*

D. Ultimam tandem attigimus Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classem, in qua de peritis Jurisconsultis sermonem cùm sis habiturus, eos primùm recensere debes, qui in Gallia, deindè illos qui in Italia, postremò, alios, qui in Hispania, Germania, & in cæteris Nationibus celebre sibi nomen pepererunt.

M. Undecim è Gallia proferam illustres Jurisconsultos, qui perdoctis Operibus nomen suum Sæculo XVI. immortalitati consecrarunt, videlicèt *Petrum Rebuffum*, *Raymundum Rufum*, *Andream Tiraquellum*, *Joannem Quintinum*, *Joannem Stephanum Durantium*, *Barnabam Brissonium*, *Bertrandum Argentræum*, *Jacobum Cujacium*, *Nicolaum Boerium*, *Renatum Chioppinum*, & *Petrum Gregorium*,

gorium, quorum eximias dotes & eruditas lucubrationes hic breviter referemus. In primis, *Petrus Rebuffus*, apud Montempessulanum in Occitania, Galliæ Provincia, natus, in Academiis Tolosana, Pictaviensi, Bituricensi & Parisiensi Jus & praxim Canonicam magna cum laude docuit, ac multa Opera in lucem emisit, quorum præcipua ad Beneficia Ecclesiastica pertinent, nimirùm *Praxis Beneficiorum*, quæ in tres partes divisa est, *Practica Cancellariæ Apostolicæ*, *& Additiones in Regulas Cancellariæ*, quibus addi debent Commentaria in *Concordata Francisci I. cum Leone X.* Tractatus *De Pacificis Possessoribus*: Tractatus *Congruæ Portionis Beneficiorum*: Tractatus *De Decimis*, *de Feudis &c.* ac Tractatus specialis *De Jure Nominationum Academicarum.* Mitto ejus Commentaria *in Constitutiones Regias*, & si quæ alia ad jus Civile & Gallicum magis quàm ad Pontificium referuntur. *Raymundus Rufus* Apologiam, seu defensionem adornavit pro Romano Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, totoque Ordine sacro, contra *Carolum Molinæum*, Natione Gallum, & non vulgarem Sæculi XVI. Jurisconsultum, quem tamen in multis ab Ecclesia improbatum, & ad classem Hæreticorum primæ classis in Indice Romano ablegatum, consultius esse duxi hìc omninò prætermittere, eumque ex Illustrium Jurisconsultorum Catalogo expungere, in quo soli Catholici Scriptores locum habere merentur. *Andreas Tiraquellus*, Senior, Fontenaii in Pictonibus natus & in Curia Parisiensi Senator, præter alia Opera, scripsit Tractatum *De Privilegiis Piæ Causæ*. Eodem Sæculo XVI. *Joannes Quintinus*, Heduus, sive Augustodunensis in Galliis, &

ex

ex Ordine Hospitalario S. *Joannis Hyerosolymitani* Religiosus Presbyter, inter Jurisperitos claruit Parisiis, ubi Ordinarius juris Professor fuit. Complura edidit Opera. Synodum Gangrensem Græcè & Latinè publicavit, necnon octoginta quinque Canones Apostolorum, cum vetustis Joannis Monachi Zonaræ Scholiis latinè versis. Librum quoque Tertulliani *De Præscriptionibus Hæreticorum*, eruditis Scholiis & Commentariis illustravit. Eadem ætate vixit *Joannes Stephanus Durantius*, Tolosæ in Galliis natus, & posteà ejusdem Civitatis Senatus Præses, quam dignitatem summâ integritate & æquitate, cum perfecta utriusque juris notitia conjunctis, præclarè gessit ab anno MDLXVIII. usque ad annum MDLXXIX. quo, obortâ Tolosæ immani seditione, *Durantius*, dum, pro ratione Officii, jus nomenque Regium tueri conatur, crudeliter sævientium manibus peremptus est. Edidit tres Libros *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*: quod quidem Opus, firmandis Orthodoxorum partibus utilissimum, *Sixto V.* Summo Pontifici adeò acceptum fuit, ut illud Romæ excudi jusserit, & ejus authorem singulari benevolentiâ sit prosecutus. Fontenaii in Pictonibus natus *Barnabas Brissonius*, jussu *Henrici III.* Galliarum Regis Codicem Gallici juris composuit, Eruditum etiam Opus *De Verborum*, quæ ad jus pertinent, *significatione*, conscripsit. In Parlamento Britanniæ *Bertrandus Argentræus* Senator, præter suæ Gentis Historiam, Annotationes edidit in jus Aremoricorum Municipale. At peritos jam laudatos Galliæ Jurisperitos eruditione superavit *Jacobus Cujacius*, Tolosæ in Galliis humili genere natus, qui non Parentum,

nec

nec Magistratuum ope, sed ingenii propriis viribus & improbo labore, ad summam omnis litteraturæ peritiam pervenit, ac præclarum evasit jurisprudentiæ lumen. In Academiis Cadurcensi, Bituricensi, Valentina, Taurinensi, & Parisiensi, incredibili Auditorum concursu & applausu jurisprudentiam docuit per annos fermè quadraginta, indefesso labore continuas sex septemve horas singulis lectionibus meditandis ac digerendis impendere solitus. Ad Bononiensem Academiam *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus, *Cujacium*, paucis ante obitum annis, per litteras invitavit amplissimis conditionibus, sed ob ingravescentis ætatis incommoda perhonorificum illud sibi oblatum munus *Cujacius* obire minimè potuit. Nota sunt ejus Opera, quorum duo Volumina ab ipso Authore edita sunt; reliqua verò, collatis Auditorum Scriptis, qui ea ex ore dicentis exceperant, ad Tomos octo excreverunt, & in his extant *Recitationes ad Secundum, Tertium, Quartum Decretalium*, ad quas interpretandas, non nisi provectâ jam ætate accessit, viam monstrans sequentibus, quâ studium Canonum tractare, atque excolere oporteret. Vitam *Jacobi Cujacii* scripsit *Papirius Massonus*, & in ea testatur, nullum Sæculo XVI. sive in Gallia, sive in Germania, aut Italia, aliisq; Regnis & Provinciis juris Interpretem fuisse, qui non deberi plurimùm *Cujacio* putaverit ad exponendi juris Romani solertiam. Addit etiam, *Cujacium* scripsisse atque edidisse plurima, quæ & stylo & gravitate rerum, *Africanum, & Papinianum* redolent. De *Nicolao Boerio*, erudito Galliæ Jurisconsulto, breviter dicam, eum Senatus Burdiga-

digalensis Præsidem fuisse, ejusque Opera apud Jurisprudentiæ peritos in maximo pretio esse. *Renatus Choppinus*, patriâ Andegavus, inter Parisienses Advocatos doctrinâ & judicio excelluit. Præter Libros *de Dominio Franciæ*, aliosque, quibus Jus Gallicum exposuit, duos *De jure Sacro* Tractatus edidit, nimirùm *De Sacra Politia Forensi* Libros tres, *Henrico III.* dicatos, & *Monasticon*, seu De jure Cænobitarum, Libros duos. Postremò, *Petrus Gregorius*, Tolosæ natus, ac vulgò à patria dictus *Tolosanus*, publicè Jura interpretatus est in Academiis Tolosana & Cadurcensi. Deinde, in Lotharingicam Mussipontanam Universitatem, à *Carolo*, Lotharingiæ Duce, recens institutam, accitus est, atque in ea utrumque Jus magna cum laude professus. Circumferuntur duobus voluminibus comprehensa ejus Opera, ad Jus Pontificium spectantia, quæ à peritis Jurisconsultis maximè commendantur. Hi sunt celebriores Jurisconsulti, qui Sæculo XVI. in Gallia floruerunt.

D. Habuitne Italia Sæculo XVI. perindè claros Jurisconsultos, ac Jurisprudentiæ peritos?

M. Habuit Italia Sæculo XVI. celeberrimos Jurisconsultos, ex quibus novem dumtaxat, qui præ cæteris aliis in Jurisprudentiæ peritia excelluerunt, impræsentiarum laudabo, videlicet *Hugonem Boncompagnum, Laurentium Campegium, Petrum Paulum Parisium, Andream Alciatum, Augustinum Berojum, Joannem Paulum Lancelottum, Guidonem Pancirolum, Joannem Franciscum Sannazarium, & Prosperum Sanctacrucium*, à quibus nos hìc breviter expedire necesse est. *Hugo Boncompagnus*, patriâ Bononiensis, Juris utriusque Doctor,

ac Professor, &, posteà Summus Pontifex, dictus *Gregorius XIII.* principem inter peritos Italiæ Sæculi XVI. Jurisconsultos locum jure optimo obtinere debet, ejusque studiis, curis, auspiciis & auctoritati emendationem *Gratiani*, totiusque Canonici Juris acceptam referre Ecclesia & Respublica Litteraria gloriantur. *Laurentius Campegius*, patriâ itidem Bononiensis, ac deindè S. R. E. Cardinalis, Jus Cæsareum Patavii unà cum patre suo *Joanne Campegio* cum plausu maximo, & secundâ omnium admurmuratione professus est. Parem in Jurisprudentiæ studio, ac professione laudem consecutus est *Petrus Paulus Parisius*, natione Calaber, patriâ Consentinus, qui, postquàm Patavii, ac Bononiæ Jus Pontificium docuisset, Romam se contulit, ibique Auditoris Cameræ Apostolicæ functus est officio; Dein, Mediolani Senator à *Carolo V.* Imp. dictus, & Senis Præfectus, tùm patriæ suæ Episcopus, ac tandem à *Paulo III.* Pontifice Maximo, Cardinalitiâ dignitate decoratus est. Præter Commentarium in Decretales Romanorum Pontificum Epistolas, edidit *Consiliorum de re Beneficiaria* Volumina IV. & alia Canonica Opera. *Andreas Alciatus*, patriâ Mediolanensis, Jurisprudentiam, barbaro dicendi genere anteà conspurcatam, humaniorum Litterarum, cùm Græcarum, tum Latinarum lumine illustrare, atque ad veros fontes revocatam, pristino nitori restituere cœpit, habitus inter Juris Interpretes doctissimus, & inter doctissimos Juris Consultissimus. Jus Civile docuit primùm Avarici Biturigum in Galliis, deindè Ticini in Insubria, atque Commentaria scripsit in aliquot Juris Canonici Rubricas & Capitula.

pitula. Optandum sanè esset, ut Jurisconsulti, & hi, qui Romæ, vel in aliis præsertim Italiæ locis, Causarum Patroni sunt à Republica constituti, hunc purum *Andreæ Alciati* latinè scribendi modum imitarentur, suasque in Foro Scriptiones modestâ quadam ac temperatâ verborum elegantiâ exornarent, quas tamen, ut plurimùm barbaro, inquinato, ac planè culinario scribendi genere fœdatas prodire in lucem ægrè semper tulerunt, & etiamnùm jure optimo queruntur Viri eruditi, quibus patriæ & bonarum litterarum honos curæ ac cordi est. Sed redeamus ad Illustres Italiæ Sæculi XVI. Jurisconsultos. *Augustinus Berojus*, Bononiæ Juris Canonici Professor, emisit in lucem *Consilia*, & *Commentarios in Decretales*. Ad Juris Canonici studium ut juvenibus viam faciliorem sterneret *Joannes Paulus* Lancelottus, patriâ Perusinus, *Institutiones Juris Canonici*, Imperatoris *Justiniani* exemplo, conscripsit, easque hortatu *Pauli IV.* susceptas, *Pii IV.* auspiciis, paulò ante Tridentini Concilii exitum, in vulgus emisit. Scripsit etiam idem *Lancelottus* de comparatione utriusque Juris, Pontificii ac Cæsarei, & de utriusque interpretandi ratione; addidit quoque Indices Corpori juris Canonici. *Guido Pancirolus*, natione Italus, patriâ Rhegiensis, fuit doctissimus & elegantissimus Jurisconsultus, nec solùm in jure Civili, sed etiam in omnibus bonis litteris, quas humaniores vocamus, & in Romanis Antiquitatibus optimè versatus. Plures composuit Libros, inter quos præcipui sunt: Commentarius *in Notitiam Dignitatum utriusque Imperii Orientalis & Occidentalis*: *Thesaurus variarum Lectionum in tres*

libros digestus: *Responsionum & Allegationum in jure* Tomus unicus: *De Origine & Auctoritate Jurisconsultorum, & de claris Legum Interpretibus* libri quatuor, & aliæ perdoctæ lucubrationes, quæ eum penitioris omnis Antiquitatis peritissimum fuisse apertè demonstrant. *Joannes Franciscus Sannazarius*, patriâ Papiensis, Senator Mediolanensis, Jus Civile, & Pontificium magnâ nominis celebritate docuit in Academiis Papiensi, seu Ticinensi, & Avenionensi, pluraque in Jus Civile & Pontificium Scripta reliquit, quibus non pauca Responsa adjecit. Edidit quoque librum *De peste*, sicut testatur *Pancirolus*, mox à me laudatus libro 2. *De claris Legum Interpretibus* cap. 157. pag. 334. Denique *Prosper Sanctacrucius*, patriâ Romanus, & S. R. E. Cardinalis, edidit *Decisiones Rotæ*, cujus duodecim Vir fuerat, & obiit sub finem Sæculi XVI. Plura de peritis Italiæ Jurisconsultis si scire desideres, legesis *Pancirolum* in libris *De claris Legum Interpretibus*, quos si hìc persequi vellem, nimis longùm esset, & à brevitate, quam nobis præscripsimus, omninò alienum.

D. Percurramus, si placet, alios Jurisconsultos, qui in Hispania, Germania, & in cæteris nationibus, utriusque Juris peritiâ Sæculo XVI. insignes fuerunt, eorumque deductâ serie, finem Colloquio nostro, ne longiùs excurrat, tandem imponamus.

M. Hispaniam septem potissimùm Jurisconsulti doctissimi Sæculo XVI. illustrarunt, nimirùm *Ludovicus Gomesius*, *Didacus Covaruvias*, *Antonius Covaruvias*, *Antonius Augustinus*, *Joannes Bernardus Dias*, *Franciscus Vargas*, *& Garcias Loaysa*. Horum

rum primus, seu *Ludovicus Gomesius*, Oriolâ, Regni Valentiæ Civitate, oriundus, in Academia Patavina Jus professus est. Deindè Romam profectus, Rotæ Auditor, ac demùm Episcopus Sarnensis creatus fuit, & in *Sextum Decretalium*, atque *in Regulas Cancellariæ Commentarios* adornavit. Alter, seu *Didacus Covaruvias* Toleti natus, in Salmanticensi Academia Jus Pontificium interpretatus est, posteà, à *Philippo II.* Hispaniarum Rege ad Concilium Tridentinum missus, indèque reversus, Rodericiæ primùm Civitatis, deindè Segobiensis, demùm Conchensis Episcopus fuit designatus. Multa scripsit Opera, quæ duos in Tomos divisa, ad Jus Pontificium maxima ex parte referuntur, quæque, ob congruam methodum, stylum purum atque perspicuum, necnon singularem eruditionem, quâ sunt resperfa, in magno pretio à Viris eruditis habentur. Hic *Didacus Covaruvias* fratrem germanum habuit *Antonium Covaruviam*, Toleti paritèr natum, & à *Philippo II.* Catholico Rege missum ad Concilium Tridentinum, ubi ex insigni utriusque Juris peritiâ magnam sibi laudem peperit, scripsitque librum *De jure Lusitanici Regni*, eidem *Philippo II.* Hispaniarum Regi dicatum. *Antonius Augustinus*, Cæsaraugustæ, è nobili atque excellentiorum Virorum fœcundâ familiâ ortus, absoluto juridici studii curriculo, Romam venit, ibique à *Paulo III.* Sacri Palatii Apostolici Auditor factus est. Paulò post, à *Julio III.* Pontifice Maximo, in Angliam missus fuit ad *Philippum II.* qui *Mariam*, Angliæ Reginam, uxorem duxerat, sed *Mariæ* Reginæ morte mutatis rebus, & dominante in Anglia Hæresi, Romam reversus

est *Antonius Augustinus*, & Allifanus Episcopus dictus à *Paulo IV.* mox ad Episcopatum Ilerdensem à *Pio IV.* translatus, ad Synodum Tridentinam accessit, ubi id imprimis egit, ut soluta Disciplina ad pristinum decus revocaretur. Indè in Hispaniam reversus, Ilerdensem Ecclesiam annis tredecim cum eximia pietate, & præsertìm effusissimâ in pauperes liberalitate rexit. Tandèm ad Archiepiscopatum Tarraconensem à *Gregorio XIII.* Pontifice Maximo provectus, obiit septuagenario major, anno MDLXXXVI. Præter multa Opera, quibus humaniora studia, & jus Civile illustravit *Antonius Augustinus*, eximiis etiam lucubrationibus Jus Canonicum & res sacras exornavit. Extant ejus generis *Antiquæ quatuor Collectiones Decretalium*, & *Canones Pœnitentiales*, utrumque Opus cum eruditis ipsius Notis: *De Emendatione Gratiani* libri duo, quos, occasione adornatæ mandato *Gregorii XIII.* novæ *Decreti Gratiani* Editionis, lucubravit. Edidit etiam *Constitutiones Provinciales Tarraconenses* & *Epitomen juris Pontificii*. Plura de hoc celeberrimo Jurisconsulto legesis in Oratione Funebri, quâ ipsum mortuum laudavit *Andreas Scottus* Societatis Jesu, quæque ad calcem librorum *Antonii Augustini De Emendatione Gratiani*, Baluzianæ Editionis, inserta est. *Ioannes Bernardus Dias*, Calaguritanus Episcopus, & *Carolo V.* Imperatori à Consiliis, scripsit *Practicam Criminalem Canonicam*, & *Regulas juris cum ampliationibus & restrictionibus*. Regnante in Hispania *Philippo II.* floruit *Franciscus Vargas*, peritus Jurisconsultus, qui ab eodem Rege ad *Pium IV.* Pontificem Maximum Legatus missus est, & librum *De*

Episco-

Episcoporum jurisdictione, & Romani Pontificis Auctoritate Romæ publici juris fecit anno MDLVI. Denique, *Garcias Loaysa*, Complutensis Academiæ Doctor, Toletanus Canonicus, & Archidiaconus, ac postea Archiepiscopus Toletanus, Concilia Hispaniæ unum in Corpus collegit, Notisque doctissimis illustrata luce publicâ donavit. His clarissimis Hispaniæ Sæculi XVI. Jurisconsultis meritò addendus est *Martinus de Azpicuelta*, Canonicus Regularis Ordinis S. *Augustini*, vulgò dictus *Doctor Navarrus*, eò quòd in Regno Navarræ in lucem editus esset, quem tamen consultò hìc prætermitto, quia illum in undecima Virorum Sæculi XVI. eruditorum Classe inter eximios Scriptores Canonicos Regulares Ordinis S. *Augustini* jam recensui, nec plura de illo hìc adjicere animus est, ne ventosâ loquacitate, tibi fastidium ingeram, cujus patientiâ me nimiùm adhùc indigere sentio. Non possum attamen, antequàm finem Colloquio nostro imponam, quin, paucis saltem verbis, indicem quosdam alios celebriores Jurisconsultos, qui Sæculo XVI. in Germania & in aliis nationibus de Jure tàm Canonico, quàm Civili optimè meriti sunt. *Sebastianus Brant*, Argentorati in Germania natus, multa scripsit tum metro, tum prosâ, sed præsertim *Breves utriusque Juris Titulorum Expositiones*. Alter Jurisconsultus Germanus *Daniel Venatorius* scripsit *totius juris Canonici methodicam dilucidationem*, quinque libris distinctam, sub Titulis Decretalium antiquarum, quam *Danieli* Archiepiscopo Electori Moguntino, ac Prælatis & Canonicis Capitularibus ejusdem Ecclesiæ nuncupavit anno MDLXXIX.

Boetius Epo, Frisius, Lutetiæ, Lovanii, & Duaci, Jurisprudentiam summâ cum laude docuit, & scripsit *Ecclesiasticarum Antiquitatum Sintagmata: Heroicas & Ecclesiasticas Quæstiones*, aliaque Opera. In Westphalia Romani Græcique Juris consultissimus, & rerum Turcicarum apprimè peritus fuit *Joannes Leunclavius*, cujus eruditio ex Scriptoribus, quos transtulit, facilè æstimari potest. Latinè quippè vertit Scriptores Græcos *Xenophontem*, *Nazianzenum*, *Constantinum Manassem*, *Michaelem Glycam*, & alios. Synopsin quoque 60. librorum Βασιλικῶν, idest, universi Juris Romani, cum Annotationibus evulgavit. *Annales* etiam *Sultanorum Othomanidarum* ex lingua Turcica latinè reddidit, & *Historiam Musulmannicam*, è monumentis ipsorum Turcarum excerptam, concinnavit. Denique, ut cæteros mittam celebres Sæculi XVI. Jurisconsultos, *Franciscus Balduinus*, natione Belga, patriâ Atrebatensis, Jurisconsultorum hujus Sæculi fuit facilè Princeps. Avarici Biturigum, Lutetiæ Parisiorum, & in pluribus Germaniæ Academiis Jurisprudentiam incredibili cum omnium applausu professus est. Multa extant ab ipso conscripta Volumina, in quibus maximè operam dedit, ut Jurisprudentiam cum Historia & humanioribus litteris conjungeret, exemploque probavit, quod in ore frequenter habebat: *Historiam cum Iurisprudentia conjungi oportere*. Hæc præsertìm *Francisci Balduini* Opera in maximo pretio habentur apud Viros eruditos: *Leges & Edicta Veterum Imperatorum De Christianis: Historia Carthaginensis Collationis: Delibatio Africanæ Historiæ Ecclesiasticæ*, sive Opta-

ti Milevitani de Schismate Donatistarum libri septem : *Victoris Uticensis de Wandalica persecutione libri tres*, cum Prolegomenis & Annotationibus ejusdem Balduini : *Prolegomena in Minutii Felicis Octavium* : & Liber, quem de Catholica Religione adversùs Hæreticos *Joannem Calvinum*, & *Theodorum Bezam* edidit. Hæc, inquam, Opera, in quibus *Franciscus Balduinus* palàm fecit, quantùm in Jurisprudentia, in sacra Antiquitate, & Historia Ecclesiastica versatus esset, omnium Virorum eruditorum judicio maximè probantur. Obiit *Franciscus Balduinus* Lutetię nono Kal. Novemb. anni MDLXXIII. ætatis LIII. Sed de illustribus Sæc. XVI. Viris, eorumque Operibus, hæc pro tuo & aliorum tyronum captu dicta sufficiant. Neque enim doctis scribere, nec difficili arduarum Quæstionum, quæ à Viris eruditis, & Critices Disciplinæ peritis ventilantur, examine, gloriam in nostris Colloquiis aucupari animus est, sed tuo dumtaxàt, & aliorum juniorum profectui consulere, atque nondùm gnaris sacrorum studiorum, & Ecclesiasticæ Historiæ viam aperire, aut lævigare decrevi; eos imitari contentus, qui ut Viatoribus, quibus per vasta sylvarum agendum iter est, locorum opacum horrorem, excisis densiorum arborum ramis, in apertam vertunt lucem, vel sublatis senticetis ac complanatis salebris, pervia ex inviis faciunt, atque ad trivia addunt quædam signa, seu indicia, quæ Viatoribus, quò quisque trames ducat, quasi digito præmonstrant. Sic ipse in nostris Colloquiis, ut tibi, aliisque junioribus viam ad amplissimum Historiæ Ecclesiasticæ studium faciliorem sternere possim, breviter quidem, sed dilucidè,

dè, distinctè, ac ordinatè disponere atque digerere studeo omnia, quorum cognitio ad assequendam Historiæ Ecclesiasticæ notitiam necessaria esse possunt. Hunc finem, quem mihi ab initio præstitui, si semel consecutus fuero, abundè mihi satisfactum erit.

D. Perplacet mihi hæc, quam hactenùs observasti in describenda & illustranda Historiâ Ecclesiasticâ, facilis & expedita Methodus, per quam præcipua Historiæ Ecclesiasticæ Monumenta, quæ magno & cæco, ut ita dicam, labore in volutandis immensis penè Voluminibus sæpenumerò frustrà quæruntur, nec nisi per diuturni temporis jacturam sigillatim percipi solent, ea ex sexcentis diversi generis Authoribus sedulò conquisita, collecta, & ordine digesta, tam solidâ brevitate cum claritate conjunctâ in nostris Colloquiis refers, & ob oculos ponis, ut paucos intra menses facili negotio perdisci & in promptu haberi possint. Certè hanc methodum studiosæ juventuti utilissimam esse, ego experiens quotidiè probo. Sed præsenti Colloquio nostro finem imponamus, & aliud proximum, in quo de Doctrina Fidei, de Disciplinâ tàm Ecclesiasticâ, quàm Monasticâ, necnon de Morali doctrinâ Sæculi XVI. dicturi sumus, ad sequentem, si placet, hebdomadam, propter calores æstivos, procrastinemus, quò vires nostras brevi interposito otio, reficiamus.

COLLOQUIUM SEXTUM,

De Doctrina Fidei, de Disciplinà tàm Ecclesiasticà, quàm Monasticà, necnon de Ethices Christianæ Doctrinà Sæculi decimi sexti.

MAGISTER. DOctrinam Ecclesiæ Catholicæ Sæculo XVI. multis in Fidei Capitibus ab Hæreticis Lutheranis, Calvinistis, aliisque exitiosis Religionis pestibus impetitam fuisse jam ostendimus in Colloquio tertio, remque profectò immensi laboris in præsentia aggrederer, si ejusdem doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ adversùs enatas eo Sæculo hæreses defensionem suscipere vellem, cùm, teste Doctissimo *Bellarmino* libro 4. *De Ecclesia* cap. 9. *Protestantium*, seu Hæreticorum Sæculi XVI. pestifera Doctrina conspiret cum viginti antiquis hæresibus, quas jam sepultas & omninò extinctas sacrilegâ temeritate ex orco revocarunt. Missâ itaque hac Controversiarum multitudine, quæ singulari conscribendo Operi planè sufficeret, Author tibi sum, ut eadem arma in recentiorum Sectarum errores intorqueas, quibus in nostris superiorum Sæculorum Colloquiis antiquas Hæreses debellavimus ac profligavimus.

D. Probè quidem intelligo, non expedire, ut hìc Polemicorum more Controversias adversùs singu-

ſingulos Hæreticorum Sæculi XVI. errores inſtituas, id enim non patitur Colloquiorum noſtrorum brevitas; nihiloſeciùs ad confirmandam Catholicam doctrinam, quam à Chriſto & ab Apoſtolis profectam, atque inviolabili temporum ſerie ad nos uſque perductam, conſtanter adhùc retinet Eccleſia Romana: maximam à me inibis gratiam, ſi perſpicua & peremptoria velis adducere argumenta, quibus generatim evincas, Authores Hæreſum Sæculi XVI. fuiſſe impoſtores, eorum Sectas eſſe Satanæ Synagogas, ac ſolam Eccleſiam Romanam eſſe veram Sponſam Chriſti, quæ ſicut lilium inter ſpinas refulget, & extra quam nemini ad ſalutem æternam aditus patere poteſt.

M. Authores Hæreſum Sæculi XVI. fuiſſe impoſtores, multis, iiſque evidentibus argumentis demonſtrari poteſt, quorum primum petitur ex eorum doctrinâ, quæ, tota quanta eſt, ex antiquis conflatur Hæreſibus, quæ antiquitùs ab Eccleſia Catholica fuerunt proſcriptę. Pauca ad hujuſce veritatis confirmationem percurram peſtiferæ ipſorum doctrinæ capita (plura enim referre non permittit Colloquiorum noſtrorum brevitas) ut ex his diſcas, quàm execranda & abominanda ſit eorum doctrina ex tam fæculentis lacunis & gurgitibus hauſta. In primis, antiqua Hereſis eſt, ab Eccleſia Catholicâ damnata, quòd Deus ſit auctor peccati. Hanc tamen Hæreſim renovarunt Sectarii Sæculi XVI. *Lutherus* quippè in Aſſertionibus, Articulo XXXVI. ait: *Mala opera Deus in impiis operatur*. Clariùs *Philippus Melancthon* in cap. 8. Epiſtolæ ad Romanos: *Non eſt*, inquit, *cùr frigidum gloſſema recipiamus, Deum mala permit-*

mittere, non etiam facere. Clarissimè *Calvinus* lib. 1. *Institutionum* cap. XVIII. *Dicitur*, ait, *idem satan excæcare infidelium mentes*: *Sed undè hoc, nisi quòd à Deo ipso manat efficacia erroris, ut mendaciis credant*. Sic per summam impietatem Sectarii Sæculi XVI. immitem, crudelem, *Busiride* & *Mezentio* nequiorem Deum faciunt, scelerisque authorem, qui immani quâdam vires suas ostentandi libidine infortunatos homines ęternispęnis ultrò devoveat: quasi talium sit Deo animus deliciarum egens, aut pars sit illius felicitatis infelices facere, eosque sempiternis suppliciis cruciare. Antiqua Hæresis est, olim in Manichæis ab Ecclesia Catholica jure-merito proscripta, quòd nullum sit, ac planè extinctum liberum hominis arbitrium. Hanc tamen jam pridèm consepultam Hæresim postliminiò revocarunt Sectarii Sæculi XVI. *Lutherus* siquidem loco mox à me laudato disertè docet, *liberum arbitrium esse figmentum in rebus, esse titulum sine re, & omnia ex necessitate absoluta evenire*. Item ait: *Non est dubium, Satana Magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen liberum arbitrium*. Hinc scelestus ille Hæresiarcha librum edidit, cui titulum indidit: *De Servo Arbitrio*. Idem post *Lutherum* affirmant *Melanchtonus* loco jam citato, & *Calvinus* libro 2. *Institutionum* cap. 3. parag. 5. ubi hæc habet: *Quod libertate abdicatam voluntatem, dico necessitate in malum trahi vel duci, mirum est, si cui videatur aspera locutio*. Antiqua Hæresis est damnata ab Ecclesia Romana, quòd sola Fides in Christum mediatorem absque bonis operibus ad justificationem & salutem sufficiat, Hanc Hæresim profitentur Sectarii Sæculi XVI. *Calvinus*, *Lu-*

the-

therus, & alii, asserentes, hanc Fidem justificantem nullo, quantumvis gravissimo, peccato amitti posse, excepto solo apostasiæ à Fide peccato, per quod tantùm hanc Fidem justificantem deperdi contendunt. Ex quo capitali horumce Hæreticorum errore sequitur planè, ut sæpiùs observavimus, totius Moralis Christianæ exterminium. Damnarunt Patres Concilii Nicęni impiam Hęresim *Arii* negantis, Christum esse Deum & consubstantialem æterno Patri. Hanc post hominum memoriam teterrimam Hęresim Sæculo XVI. denuò suscitarunt sacrilegi Sectarii *Lælius*, *&* *Faustus Socini*. Verbo dicam, Antiqui Hęretici docuerunt, præcepta Dei esse impossibilia, Ecclesiam non esse visibilem, nec indefectibilem, Episcopos non esse simplicibus Presbyteris superiores, Sanctos non esse invocandos, nullumque eorum Reliquiis & Imaginibus cultum deferendum; negarunt realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, Primatum Romani Pontificis, necessitatem Baptismi ad salutem, preces pro defunctis fundendi consuetudinem, & implendi vota obligationem,aliosque ejusmodi errores profuderunt, quos omnes Sectarii Sęculi XVI. recoxerunt, instaurarunt, eisque complures non minùs infestos addiderunt. Undè facilè colligere potes, Sectarios Sæculi XVI. impostores fuisse, cùm eorum doctrina nihil aliud sit, quàm sentina & colluvies anteriorum Hæresum, atque à vera & antiquâ Sāctorum Patrum & Conciliorum doctrinâ omninò abhorreat. Adeò verum est,quod *Vincentius Lirinensis* cap. 43. *Commonitorii adversùs Hæreses* scribit, solenne esse Hęreticis, *ut semper pro-*

profanis molitionibus gaudeant, Antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, à Fide naufragent. Contra verò Catholicorum hoc proprium, depoſita Sanctorum Patrum, & commiſſa ſervare, damnare profanas novitates, & ſicut dixit Apoſtolus: ſi quis annunciaverit, præterquàm quod acceptum eſt, anathema ſit.

Sed quò clariùs tibi conſtet, Sectarios Sæculi XVI. fuiſſe impoſtores, animum tantiſpèr adverte ad inſolentem & inuſitatum planè modum, quo virulentam ſuam doctrinam, abſque ulla prorsùs acceptâ miſſione, diſſeminarunt, ſuaſque Sectas propagarunt. Nec enim prætexere poterant illi Sectarii, ſe ab Eccleſia Romana miſſos, ordinatos, ac vocatos fuiſſe ad regimen animarum; id, inquam, prætexere non poterant Sæculi XVI. Sectarii, tùm quia *Lutherus* non erat Epiſcopus, nec ullius Eccleſiæ Paſtor; *Calvinus* verò jactitat, manus ſuas non fuiſſe pollutas fætido oleo, quo manus Sacerdotum in Eccleſia Romana inungi ſolent: Tùm quia ſi Eccleſia Romana Sectarios Sæculi XVI. miſiſſet, ordinaſſet, & ad regimen animarum vocaſſet, ergò tùm temporis vera erat & Apoſtolica Eccleſia, ergò illi Sectarii fuerunt rei manifeſti ſchismatis, utpotè qui à vera & Apoſtolica Eccleſia ſe ſeparaverint: tùm quia denique *Lutherus*, & *Calvinus* pertendunt, Eccleſiam Romanam totalitèr Sæculo XVI. à Chriſto defeciſſe, ac ſubindè omni juriſdictione & authoritate mittendi & ordinandi Paſtores caruiſſe. Non igitur Sæculi XVI. Sectarii ſuam ab Eccleſia Romana miſſionem acceperunt. Undè ergò miſſionem ſuam habuerunt? Dicent, ſat ſcio, hujus temporis hæretici, primos illos

illos Sectarum conditores à Deo extraordinariè missos ac suscitatos esse, ut labenti Ecclesiæ succurrerent, & somnolentos Pastores, quemadmodùm olim anseres, Gallis in Capitolium irruētibus, sopitos custodes, clamoribus excitarent. At extraordinariam illam missionem, quam obtendunt hæretici nostri temporis, omninò commentitiam esse luculentis argumentis facilè demonstrari potest. Primò, quia Prophetæ, & aliqui Sancti, quos Deus ad suum reparandum cultum extraordinariè in veteri lege aliquandò suscitavit, Religionem judaïcam non immutarunt, Sacerdotum Successionem non præsciderunt, Pastores novi ordinis non præfecerunt, sed in vitia dumtaxàt exarsit eorum zelus, peccantes increpuerunt, verbo Dei terruerunt. At *Lutherus*, *Calvinus*, aliique pseudo-reformatores Ecclesiæ, Pastorum successionem ab Apostolis ad suum usq; schisma decurrentem interruperunt, novam & à Sæculis inauditam Sacerdotum originem propriâ auctoritate instituerunt, Altaria manu armatâ & instructo exercitu suffoderunt, templa succenderunt, quæ in eis erant sacratiora, proculcarunt, omnibus Sacerdotibus bellum indixerunt, quos potuêre, crudelitèr enecarunt, & qui effugêre manus eorum, in illos anathema pronuntiarunt. Quò fit, ut meritò ab illis, si superis placet, Ecclesiæ Reformatoribus possimus cum *Tertulliano* lib. de Præscript. cap. 37. percontari: *Qui estis, quandò & undè venistis?* vel illos his verbis S. *Augustini contra partem Donati* provocare: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in Ordine illo Patrum quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ Infero-*

ferorum portæ. Secundò, hi, quos Deus identidèm ad corrigendos pravos mores, & tollendos abusus suscitavit, suam extraordinariam missionem probarunt vitæ sanctimoniâ, & evidentiâ miraculorum, quæ eis populorum fidem conciliabant. At *Lutherus*, *Calvinus*, aliique huius furfuris Sectarum Sæculi XVI. Antesignani, fuerunt homines audaces, sibi placentes, ventri & libidini dediti, in conviviis suis luxuriantes, pœnitentiæ osores, Monastici Instituti desertores; petulantes, & insolentissimæ superbiæ supra omnes mortales sese extollentes, ut videre est in eorum Scriptis, quæ dæmoniis sunt plena, & atrocissimis scatent conviciis, quibus homines etiam spectatissimos, & in dignitate constitutos continuò onerant, dominationem spernunt, & Maiestatem Divinam blasphemant. Qui autem credibile est, hujusmodi homines superbos, impudicos, contumeliosos & blasphemos ad reformandam Ecclesiam à Deo extraordinariè fuisse missos? Nec magis suam extraordinariam missionem evidentiâ miraculorum probarunt isti novarum Sectarum Coriphæi, cùm certum sit, eos nullum unquàm ad fidem doctrinæ suæ adstruendam miraculum patrasse, sicut testatur ipsemet *Desiderius Erasmus* in sua contra *Lutherum De Libero Arbitrio Collatione*, quæ extat ad calcem Tomi IX. ejus Operum Editionis postremæ Lugduni Batavorum, ubi hæc habet singulari observatione digna: *Non credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi, quòd affirmet se habere Spiritum Evangelicum. Apostoli, quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos, impositâ ma-*

nu dabant donum Linguarum: ita demùm creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cùm juxta communem opinionem adferant penè παράδοξότερα, *nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit. Aque utinam quidam absque miraculis præstarent sinceritatem ac simplicitatem morum Apostolicorum, qui nobis tardiusculis essent miraculorum vice. Nobis veterum orthodoxorum interpretationem adferentibus, statim occinunt, homines erant. Rogantibus, quonam argumento sciri possit, quæ sit vera interpretatio Scripturæ Sacræ, cùm utrinque sint homines? respondent, indicio Spiritus. Si roges, cur illis* (seu veteribus Orthodoxis Scripturæ Sacræ Interpretibus)*quorum aliquot etiam miraculis editis inclaruère mundo, defuerit spiritus potiùs quàm ipsis? sic respondent, quasi mille trecentis annis nullum fuerit Evangelium in mundo. Si requiras ab illis Vitam Spiritu dignam? respondent, se Fide justos esse, non operibus. Si requiras miracula? dicunt, jam olim cessasse, nec opus esse jam in tantâ luce Scripturarum &c.* Fictitia itaque est hæc extraordinaria missio, quam hæretici nostri temporis primis suarum Sectarum Conditoribus asserere ac vindicare frustrà moliuntur,quod tamen cùm nemini hactenùs persuadere potuerint, eò tandem devenerunt, ut dicant, primos suarum Sectarum Architectos suam missionem & Pastoralem auctoritatem à Principibus & Magistratibus accepisse. Quâ in re deploratæ suæ Causæ manifestum produnt argumentum. Nullibi quippè legitur in Scriptura Sacra, quam tamen Hæretici unicam Fidei nostræ regulam esse clamitant, nullibi, inquam, in Scriptura Sacra legitur, jus ordinandi & mit-

& mittendi Pastores, eosque populo præficiendi competere ullo modo Principibus Laïcis aut Magistratibus, sed potiùs Scriptura Sacra ejusmodi Ordinationes à Laïcis factas omninò reprobat. Christus Dominus, ut ait Apostolus *Paulus* Epistolæ ad Hebræos cap. v. *non seipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu*. Idem Apostolus *Titum* Episcopum Cretæ reliquit, ut Presbyteros per Civitates constitueret, & *Timotheum* à se Episcopum ordinatum misit Ephesum, præscribens ritum & formam consecrandi Episcopos, adeò ut nullus in illis partibus potuerit esse Episcopus aut Presbyter, nisi acceptâ à *Tito*, vel *Timotheo* manuũ impositione. Hunc morem ordinandi Episcopos & Sacerdotes constantèr tenuit hactenùs Ecclesia, & quamvis aliquandò Episcopi, vel alii Ecclesiæ Ministri à plebe fuerint postulati, sive etiam electi, nunquàm tamen à plebe Ordinati & missi fuerunt, sed dumtaxàt ab illis, qui, mediante successione, Ordinationem & Missionem ab Apostolis acceperant. Cùm igitur Sectarii Sæculi XVI. nec ordinariam missionem ab Ecclesia acceperint, nec à Deo extraordinariè missi fuerint, nec tandem à Principibus Laïcis, seu Magistratibus, Missionem, Ordinationem ac Pastoralem animas regendi auctoritatem accipere haùd potuerint, planum, ac expeditum est, illos fuisse impostores, fures ac latrones, qui non intrarunt per ostium in ovile, planè similes his falsis Prophetis, quos Deus apud *Hieremiam* cap. XIV. vers. 14. increpat his verbis: *Et dixit Dominus ad me: Falsò Prophetæ vaticinantur in nomine meo, non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum ad eos: Visio-*

nem mendacem, & divinationem, & fraudulentiam, & seductionem cordis sui prophetant vobis &c. Ab his impostoribus originem habent omnes Sectæ hæreticorum hujus temporis, quibus jure merito dicere possum: *Attendite ad petram undè excisi estis, & ad Cavernam laci de qua præcisi estis*: Lutherum, Calvinum, Socinum, aliosque Hæresiarchas Sæculi decimi sexti Duces sequimini, quos sola ambitio, libido & crapula fecerunt Apostatas, qui doctrinam à sexdecim Sæculis planè inauditam, & toti mundo ignotam, armantes cives in patriam, subditos in Principem, filios in parentes, Christianos in Ecclesiam Christi, prædicarunt, nec alia signa sui Apostolatus exhibuerunt, nisi illa, quibus Alcoranum promulgavit scelestissimus *Mahumetes*, nimirùm occisorum hominum stragem, sanguinis ubique inundantis effusionem, Templorum profanationem, sacrarum Reliquiarum combustionem, mactationem Sacerdotum, constuprationem Virginum, Monasteriorum prædam, & alia id genus summæ crudelitatis portenta. Hos, inquam, Apostatas, Ecclesiam imaginariam fingentes & fabricantes sine fundamento, hos Doctores à se natos, hos Pastores sine missione, hos Prophetas sine miraculis, erigentes templa sine altaribus, Religionem sine Sacrificio, Fidem sine operibus, toti retrò Antiquitati & universæ Ecclesiæ prætulistis, vosque à totius Orbis unitate nefario Schismatis sacrilegio divisistis. *Redite prævaricatores ad cor*, agnoscite, intus lucente veritate, quàm fallaci fulgore cæcos illos Duces impostores sequendo in hæc præcipitia delapsi estis, ac tandem aliquandò, depulsâ errorum

rum vestrorum caligine, aperite oculos, evigilate ad salutem, amate pacem, redite ad unitatem.

D. Ipso sole meridiano coruscante clariùs percipio, primos recentium Sectarum Auctores fuisse impostores, eosque seditiosis suis libris ac prædicationibus non inspirasse illam sapientiam, quæ desursùm est, pudicam, pacificam, modestam; sed eam, quæ ex zelo amaro proficiscitur, terrenam, animalem, diabolicam, ut habetur in Epistola Catholica S. *Jacobi* cap. 3. Verùm, ulteriùs pergamus, si placet, & ostende, recentes illas *Lutheri*, *Calvini*, aliorumque Hæresiarcharum Sæculi XVI. Sectas esse Synagogas Satanæ, solamque Ecclesiam Romanam esse veram Sponsam Christi, à qua qui extorres sunt, salutem æternam sperare non possunt.

M. Ecclesia Romana non solùm Doctrinam Apostolicam, seu quam docuerunt Apostoli, firmitèr hùc usque illibatam retinuit, sed etiam, mediante successione non interruptâ ab Apostolis descendente, habet etiamnùm veros ac legitimos Pastores, qui ab illis ordinati ac missi fuerunt. Quò fit, ut Ecclesia Romana verè dici debeat *Apostolica*, ad discrimen Sectarum Hæreticorum, in quibus, ut mox commonstravimus, interrupta, immò penitùs præcisa est legitimorum Pastorum successio, eorumque loco præfecti alii, qui à veris Eccl. Pastoribus nec missi nec ordinati, prædicandi officium, & regimen animarum sacrilegâ temeritate usurparunt. Novatores, ut declinent vim hujus argumenti, quod ipsorum jugulum petit, eosque Schismaticos, ac proindè illorum Sectas

Satanæ Synagogas esse apertissimè demonstrat, in omne latus sese vertunt, nec inveniunt, ubi firmum pedem figere possint, quia perpetuam suorum Pastorum ac Doctorum sibi à temporibus Apostolorum succedentium seriem nullatenùs ostendere queunt. Omni itaque ratione destituti hæretici nostri temporis, Ecclesiam Romanam calumniantur, à qua dictitant, doctrinam ab Apostolis traditam fuisse immutatam atque adulteratam. Sed libenter scire velim ab illis pseudo reformatis, quonam imperante, quo sedente Pontifice, quâ arte, cujus industriâ, quâ viâ, quâ potentiâ facta fuerit hæc in Romana Ecclesia doctrinæ Apostolicæ immutatio? Quæ Orthodoxorum Episcoporum Concilia hanc doctrinæ Apostolicæ immutationem damnaverint atque proscripserint? Nec enim, ut sæpiùs diximus in nostris præcedentibus Colloquiis, credibile est, Orbem sub Cœlo totum, veluti profundo lethargo laborantem, obmutuisse, dùm Caput Orbis Roma nova Dogmata cuderet, maximè cùm ex Historia Ecclesiæ compertum sit, variis Hæresibus, quæ in Ecclesia emerserunt, sese statim Catholicos opposuisse, eosque à defensione Fidei Majorum nec minis, nec blandimentis, nec vitâ, nec morte deterreri unquàm potuisse. Quâ fronte ergò Sectarii asserere audent, Ecclesiam Romanam, ante *Lutheri, Calvini*, aliorumque Sæculi decimi sexti Hæresiarcharum adventum, Doctrinam ab Apostolis traditam, cunctis oscitantibus & dormitantibus, immò consentientibus & applaudentibus, immutasse atque corrupisse? Sed, quod satis festivum ac lepidum est, sibi in hoc putido mendacio non constant ipsimet

met Hæretici, qui passim in suis Scriptis fatentur, Doctrinam Ecclesiæ Romanæ, quam aggrediuntur, ex Veterum Patrum fontibus derivari; idque apertè Centuriatores Magdeburgenses profitentur, qui propterea singulis quibusque Centuriis quosdam in Sanctis Patribus nævos admittunt, quia nimirùm Ecclesiæ Romanæ controversis Dogmatibus palàm suffragantur. Sic mentitur iniquitas sibi, & dispellitur hæc calumnia, quam Hæretici, filii iniquitatis, inurunt Ecclesiæ Romanæ, quæ, velint nolint, est asylus fidei, portus salutis, errorum dignoscendorum Lydius lapis, judicandorum ac proscribendorum indefectibilis Magistra, quæque, ut verbis utar *Vincentii Lirinensis* in suo Commonitorio adversùs Hæreses capite trigesimo secundo: *Sedula, & cauta Depositorum apud se custos, nihil in iis unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua*. Pratèr illud argumentum petitum ex perenni Pastorum successione, quæ in sola Ecclesia Romana adhuc conservatur, aliud, ad probandum recentiores Hæreticorum Sectas esse Satanæ Synagogas, & Ecclesiam Romanam esse veram Christi Sponsam, non minus efficax suppetit argumentum, quo omni luce evidentiùs ostendunt Polemici nostri Scriptores, solam Ecclesiam Romanam esse unam, Sanctam & Catholicam, seu toto Orbe diffusam, eamque his tribus Notis, quæ soli veræ Christi Ecclesiæ convenire possunt, à spuriis & illegitimis Hæreticorum Conventiculis facilè discerni posse. Et primò quidem, sola Ecclesia Romana est una ratione Doctrinæ, quia omnes Catholici in eamdem doctrinam, seu

eadem Dogmata Fidei conspirant, ejusque indeficienti judicio, velut sacræ anchoræ, indivulsè adhærent, juxtà illud *Matthæi* cap. 18. *Dic Ecclesiæ*: *Si quis autem Ecclesiam non audierit, sit sibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Est etiam sola Ecclesia Romana una, ratione regiminis sub uno supremo Pastore, Romano videlicet Pontifice, qui est Caput ejus Visibile, & sub aliis Pastoribus, qui Summo Pontifici subordinantur, quique omnes, tàm ille, quàm illi, continuatâ successione ab Apostolis ordinati sunt. At recentioribus Lutheranorum, Calvinistarum, Anglicanorum, aliorumque Hæreticorum Sectis deest unitas doctrinæ, variant quippè circà Fidei Dogmata; Ecclesiam ut infallibilem, & supremum Controversiarum judicem non agnoscunt, sed solùm interiorem nescio quam Spiritus Sancti assistentiam, seu revelationem, per quam, ut ajunt, privatus quisque apud ipsos, etiam mulierculæ, percipiunt verum ac germanum Scripturæ Sacræ sensum, & constituuntur judices Controversiarum, quæ circà Fidem oriri possunt, ita ut Pastorum definitionibus adhærere minimè debeant, nisi id ipsum, quod illis credendum propònunt, sibi à Spiritu interno immediatè fuerit revelatum. Eo autem semel admisso illo Spiritu interno, qui reverà est Spiritus vertiginis, quæ pax, quæ Societas, quæ in doctrina Fidei unitas apud Hæreticos esse unquàm poterit? Annon Lutheranus, Calvinianus, Socinianus, & quivis Hæreticus ex certâ illâ interiorem Spiritus Sancti assistentiam, seu revelationem, habendi fiduciâ, somnia cordis sui effutient tanquàm Dei revelationes? Quis verò modus, quæ ratio compescendi

& in ordinem redigendi illos fanaticos, cùm incerta illis sint Pastorum judicia, nihilque pro vero habeāt, nisi quod spiritu privato tale judicaverint? Potuitne, quæso, infernus, ad scindendam unitatem doctrinæ, & inducendam confusionem Babylonicam, quidquam pestilentius evomere? Nec solùm recentioribus Hæreticorum Sectis deest unitas doctrinæ, sed etiam deest unitas Cathedræ, seu regiminis Ecclesiastici. Pastores siquidèm in Sectis Hæreticorum nec ab Apostolis continuâ successione sunt Ordinati, nec supremo Capiti, seu Romano Pontifici, subordinantur, sed potiùs diro Schismate divulsi sunt ab ejus Cathedra, quæ tamen, ut docent Sancti Patres, centrum est unitatis Ecclesiæ: *Navigare audent* (inquit *S. Cyprianus* Epistolâ LV.) *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est*, idem docet *Optatus Milevitanus* libro 2. contra *Parmenianum*, Hæreticum Donatistam, ubi hæc habet: *Negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam ..... In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam Schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret*. Nec minùs clarè suam eâ de re mentem exprimit S. *Hieronymus* in Epistola ad *Damasum* Papam: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est*. Cùm igitur recentiorum Sectarum Pastores à Cathedra S. *Petri*, seu Romani Pontificis, sint separati, liquidò colligitur, ejusmodi Hæreticorum Sectas non solùm carere unitate Doctrinæ, sed etiam unitate Cathedræ, seu regiminis Ecclesiastici, ac subin-

ſubindè illas eſſe Synagogas Satanæ, ſolamque Eccleſiam Romanam, cui unitas cùm Doctrinæ, tùm Cathedræ ad amuſſim convenit, veram eſſe Chriſti Eccleſiam. Altera veræ Eccleſiæ Chriſti Nota eſt Sanctitas, quam ſola Eccleſia Romana, excluſis omnibus Hæreticorum Sectis, ceù proprium characterem, ſibi vendicat. Eſt enim Eccleſia Romana Sancta, primò ob Sanctitatem Capitis, nempè Chriſti, qui Spiritum ſuum diffundit in omnia membra ſui Corporis, *ſecundùm operationem in menſuram unius cujuſque membri*, inquit Apoſtolus Paulus cap.4. Epiſtolæ ad Epheſios, aliis gratiam juſtificantem, aliis perſeverantiæ donum, omnibus fidem. Secundò, Eccleſia Romana eſt Sancta ob Sanctitatem finis, ſcilicèt ob cultum divinum, quem unicè amplificare ac propagare intendit. Tertiò, ob Inſtituti Sanctitatem, omnia quippè Eccleſiæ Romanæ præcepta, conſilia, Sacramenta Sancta ſunt, & ad ſalutem fidelium diriguntur. Quartò, Eccleſia Romana Sancta eſt in membris ſuis, non quòd omnia ejus membra à peccato ſint immunia; ſed quia multos protulit Sanctos, in terris non minus fulgentes, quàm Sydera coruſcant in Cœlis, ſicut ex Geſtis Sanctorum nullâ unquàm oblivione delendis certiſſimè conſtat. Annales Eccleſiæ Romanæ referti ſunt Viris eremi cultoribus Angelicam in terris vitam ducentibus, innumerabilibus Romanorum Pontificum, zelantiſſimorum Epiſcoporum, Sacerdotum, Monachorum, & Virginum Choris, in quibus Deus planè mirabilis eſt. Hæc ſi non credant Hæretici, perluſtrent Carthuſianorum, Benedictinorum Congregationis S. *Mauri*, Ciſtercien-

ſium

fium Congregationis, vulgò dictæ de *l'Atrape*, & aliorum Religiosorum, apud quos viget strictior Regularis Disciplinæ observatio, Cœnobia, & tunc videre poterunt, Sanctos necdùm defecisse in Ecclesia Romana. Vidimus hac nostra tempestate Sanctiss. Romanos Pontifices, qui nihil tàm curæ ac cordi habuerunt, quàm ut Sacras Disciplinæ Ecclesiasticæ Leges instaurarent, collabentes retinerent, vigentes totâ contentione custodirent, & Moralis Christianæ puritatem, quam nonnulli laxis opinionibus fœdabant, sartam tectam omnibus studiis conservarent. Vidimus & manibus nostris contrectavimus Eminentissimum Cardinalem & Archiepiscopum Beneventanum *Vincentium Mariam Ursinum*, Ordinis FF. Prædicatorum, ex illustrissima & antiquissima prosapiâ oriundum, & tamen omnibus præ summâ humilitate inclinatum, mundo mortuum, orationibus instantem, in vigiliis pernoctantem, corpus macerantem, persæpè prædicantem, primitivæ Ecclesiæ Antistitum vitæ rationem in suis moribus exprimentem, libertatis Ecclesiasticæ intrepidum propugnatorem, in amplissima Diœcesi sua peragranda continuum, Patrem pauperum, nulli labori, nullis humanis respectibus parcentem, atque id unicè optantem, ut Sacerdotes ad sacrorum Canonum normam mores exigant suos. Plura de hoc religiosissimo Cardinali dicerem testis oculatus, nisi scriptum esset: *Ne laudaveris hominem in vita sua, nec est secura laudatio, nisi post mortem*. Sed prætermittere haud possum alium S. R. E. Cardinalem, qui nuperrimè ad Deum migravit, *Josephum Mariam Thomasium*, Ordinis Clericorum Regularium Thea-

Theatinorum, Virum immensâ eruditione cum eximiâ pietate conjunctâ præditum, quem ipse Romæ vidi, sæpiùsque tetigi ejus lecti duritiem, palearum stramen, asperum cilicii indusium. Suspexi hujus optimi Cardinalis, ex clarissima ac piissima familia originem ducentis, modestiam humanâ majorem, animum à fastu omninò alienum, charitatem, quæ est vinculum perfectionis, erga Deum ferventissimam, erga proximum effusissimam, restaurandi disciplinam morum, & Ethicam Christianam à corruptelis repurgandi ardentissimum zelum. Hęc omnia non solùm Scriptores illius vitę, sed uno ore contestantur omnes, quotquot eum Romæ viderunt, ipsiusque pretiosam in conspectu Domini mortem maximis præconiis celebrarunt. Sed & Opera ab illo typis mandata testimonium perhibent de ipso, suntque solidæ ejus pietatis, reconditæ eruditionis, & exactæ Linguarum exoticarum, quas apprimè callebat, peritiæ, monimenta immortalitate dignissima. Hæc, & alia innumera, omnibus patentia, sanctitatis exempla, quæ brevitati consulendo, prætermittere cogor, apertè probant Sanctitatem Ecclesiæ Romanæ. Jam verò in Hæreticorum Sectas oculos conjice, & confestim intelliges, omnia Sanctitatis testimonia ab his Hæreticorum Sectis penitùs exulare. Non urgebo quidem hìc quæ de Lutheranorum, Calvinistarum, aliorumque hujus temporis Sectariorum vitiis ac sceleribus litteris tradiderunt multi Scriptores, quorum etiam nonnulli his Sectis fuerunt addicti, quique illorum hæreticorum vitam omni flagitiorum genere refertam insectantur, ut in iis, prætèr superbiam, luxum, fastum, vanam gloriam,

riam, invidum zelum, Religionis abusum, ministerii contemptum, neglectum omnis disciplinæ, juramenta, blasphemias, Schismata, dissidia, ac boni omnis dissipationem, nihil omninò Christiani hominis relinquant. Non hæc,inquam, persequar, sed sufficiet si dixerim, quòd cùm omnes illi Sectarii Evangelica Consilia expungant, divina præcepta esse impossibilia dicant, liberum hominis arbitriū extinguant, bona opera de medio tollant, ac per solam fidem homines justificari doceant, necesse est ut fateantur,Sectas suas,interclusâ penitùs ad salutem viâ, nulla posse proferre sanctitatis testimonia. Et sanè, ut obiter dicam,quì fieri potest, ut ejusmodi Sectæ aliqua proferant sanctitatis testimonia,ubi Religionis status in tot factiones discerptus, nullâ fide ac virtute imbutus, totus ad vitia profluit? ubi operum justitia vilescit? pro Jejuniis, & aliis Pœnitentiæ exercitiis, ventris regnat ingluvies: pro Christiana honestate, luxus: pro castitate, libido: pro carnis maceratione, omne impudicitiæ genus: pro modestia, tumor, ac intolerabilis superbia: pro virtutibus, vitia: demùm pro Evangelica sanctimoniâ, turpissima vita impunè colitur, & laudatur. Sed veniamus ad tertiam veræ Christi Ecclesiæ tesseram, seu Notam, quæ est *Catholicitas*, quæque in hoc consistit, ut sit per totum Orbem diffusa. Hanc porrò veræ Ecclesiæ Christi Notam soli Romanæ Ecclesiæ eximiam esse, ex eo potissimùm liquet, quòd Ecclesia Romana per universum Orbem diffundatur, suosque palmites à mari usque ad mare extendat. Eminet nimirum in Asia, in America, in Japonia, in Brasilia, in Europa,in Africa: è contrà verò Hæreticorum, aut

Schi-

Schismaticorum Societates, quæ cum eâ non communicant, in aliquibus tantùm, aut Europæ, aut aliarum Orientis partium angulis reperiuntur. Soli Romani Pontifices, qui sunt Vicarii Christi, de salute omnium Gentium solliciti, ad Infideles, toto Orbe nostro remotissimos, ab initio semper miserunt, mittuntque quotidiè Viros Apostolicos, labores, pericula, mortemque lacessere paratos, ut novos populos Christo acquirant, & Catholicæ Ecclesiæ ditioni subjiciant, eisque ad Christianam religionem semel conversis nunquàm permittant, ut quidquam antiquorum Ethnicismi cœremoniarum, seu superstitionum, vero Dei cultui admisceant. Ex adversò Hæretici & Schismatici conversionem Infidelium promovere non curant, aut si ad illas Nationes, quas jam Viri Apostolici verâ Christi Fide illustrarunt, mercaturæ exercendæ causâ, se aliquando conferant, tritico lolium & zizaniam intermiscent, veramque Fidem penitùs corrumpunt. Hinc appositè ait *Tertullianus* in lib. de Præscriptione: *Negotium est Hæreticis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacientibus elevationem operentur. Apostoli de mortuis vivos suscitabant, isti de vivis mortuos faciunt.* Imminuta quidem fuit Ecclesiæ Romanæ diffusio schismatibus tùm Græcorum in Oriente, tùm Hæresiarcharum Sæculi XVI. in Occidente. At illa Ecclesiæ Romanæ diffusionis diminutio abundè résarcita fuit Barbararum nationum conversione. Scilicèt eo tempore, quo Græci in Oriente conflarunt Schisma, Septentrionales Populi, Hungari, Sueci, Dani, Christianæ Religioni, & Romanæ Eccle-

Ecclesiæ nomen dederunt. Sæculo autem decimo sexto, non multò post exortas novas Sectariorum Hereses, Indi Orientales & Occidentales, Japonenses, Brasilienses, Canadenses, innumeræque aliæ gentes, ut ostendimus in primo Colloquio, Catholicæ, seu Romanæ Ecclesiæ Fidem sunt amplexæ. Cùm igitur sola Ecclesia Romana, exclusis omnibus Hæreticorum & Schismaticorum Sectis, Catholica dicatur, jure optimo dicere possum cum S. *Augustino* cap. 4. libri contra Epist. Fundamenti: *Tenet me* (in Ecclesiæ Romanę gremio) *ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tàm multas hæreses, in ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniant, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere*. Hæc argumenta, quæ hactenùs adduxi ad probandum solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Sponsam, Sectas verò Hæreticorum esse Synagogas Satanæ, sat superque tibi sufficere debent, ut intelligas, Ecclesiæ Romanæ doctrinam, à Christo & Apostolis profectam, perpetuâ temporum serie ad nos usque puram & integram pervenisse; doctrinam verò Hæreticorum huic è diametro oppositam, innumeris scatere erroribus, à doctrina Apostolica toto Cœlo distare, ac subindè reprobandam, dirisque omnibus esse devovendam.

D. Quamvis hæc argumenta ad probandum generatim adversùs hæreticos veram esse & Apostolicam Ecclesiæ Romanæ Doctrinam abundè sufficere possint, optarem tamen, ni molestum sit, ut hìc breviter indicares viam, methodum

dum & Disciplinas, quibus potissimùm instructi fuêre Scriptores Sæculi XVI. ad vindicandam Ecclesiæ Romanæ doctrinam ab erroribus hæreticorum ejusdem Sæculi.

M. Scriptores ac Theologi Sæculi XVI. ut pervicaciam Hæreticorum, qui à mendacio stabant, atque antiqua Religionis Christianæ Dogmata convellere, novaque invehere audebant, faciliùs retundere possent, pristinam Sacrorum studiorum rationem, penè intermissam, ardentiùs instaurarunt, & Theologiæ Scholasticæ studio, sacræ Antiquitatis ac Linguarum peritiam, Sanctorum Patrum doctrinæ, Historiæ ac Disciplinæ Ecclesiasticæ accuratam cognitionem, necnon Critices ac Chronologiæ Disciplinas, atque copiosam humaniorum Litterarum suppellectilem sapientissimè adjunxerunt, iisque armis instructi, tot tantosque radios indè emiserunt, ut his perstricta Hæreticorum, perduellionis signa adversùs Ecclesiæ Arcem erigentium, acies obtusa penitùs fuerit atque profligata. Gloriabantur in primis Novatores Sæculi XVI. Linguarum Hebraicæ & Græcæ peritiâ, iisque imbuti, rem totam Theologicam ad Grammaticorum tricas callidè redigebant, & Scripturam Sacram, aliter ac Ecclesia Catholica, per summam temeritatem interpretabantur. Secundò, Sanctos Patres, eos saltem, qui primis Ecclesiæ Sæculis floruerunt, obtorto collo, ad suas partes trahere moliebantur. Denique, Catholicis Scholæ Theologis Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ ignorantiam, Disciplinarum Critices & Chronologiæ, humaniorumque Litterarum neglectum elato supercilio objiciebant.
Hinc

Hinc factum est, ut Catholici Scholæ Theologi, ad hanc Hæreticorum frangendam audaciam, eadem doctrinæ subsidia, easdemque Disciplinas, quibus sese Hæretici plurimùm jactitabant, in Ecclesiæ Catholicæ castra pertulerint, summo studio atque industriâ perpolierint, & ad veritatem Catholicam forti brachio defendendam felicitèr converterint. Et primò quidem Theologi Scholastici Sæculi XVI. non levem & perfunctoriam, sed plenam ac perfectam Sacrarum Linguarum Hebraicæ & Græcæ notitiam assecuti, earum beneficio falsas Hæreticorum Interpretationes Scripturæ Sacræ, eorumque ratiunculas pervaserunt, solidisque argumentis oppugnarunt. Secundò, Theologi Sæculi XVI. in eam maximè curam incubuerunt, ut diurnâ nocturnâque manu versarent Sanctorum Patrum Scripta, genuina à spuriis secernerent, assutas à falsariis lacinias, interpolationesque distinguerent, & omni argumentorum genere probarent, nullum novitiis Hæreticorum commentis à Sanctorum Patrum testimoniis peti posse præsidium. Postremò, Theologi & Scriptores Sæculi XVI. Historiæ ac Disciplinæ Ecclesiasticæ studium, humaniores Litteras, & Disciplinas Critices ac Chronologiæ impensè coluerunt, ut videre est in *Onuphrii*, *Baronii*, aliorumque Scriptorum, quos in superiori Colloquio percensui, doctissimis Operibus, in quibus omnia quæ ad Theologiam Dogmaticam, Polemicam, Asceticam, ad Historiam & Disciplinam Ecclesiæ, ad Criticam, & Chronologiam attinent, pertractantur puro & eleganti scribendi genere, quod Scripturæ Sacræ authoritatibus, & Historiæ monumentis,

congruè suo loco positis, velut sale optimo, inspergitur, & Veterum illustratur Patrum Sententiis ad rem facientibus, quæ legentium animos non solùm Sacrâ & Ecclesiasticâ eruditione locupletant, sed ad virtutis amorem inflammant. Hanc viam & methodum secuti, iisque Disciplinis instructi Theologi & Scriptores Sæculi XVI. falsa Hæreticorum dogmata maximo cum Ecclesiæ emolumento confutarunt, optandumque esset, ut hi, qui modò Scholæ Cathedras ac subsellia implent, eorum vestigiis insisterent; & non tantùm edocerent Theologiam Scholasticam, quæ Hæreticorum errores presso pede insequitur, nodos subtiliter explicat, offusas veritati tenebras dissipat, atque involutas fraudes in medium diem producit, sed suos insuper discipulos ad Scripturæ Sacræ, Historiæ & Disciplinæ Ecclesiasticæ studium, ad Critices, Chronologiæ, humaniorumque Litterarum cultùm & amorem excitarent, cùm certum sit, ejusmodi Disciplinarum usum esse Theologis apprimè necessarium, sive Scripturam Sacram interpretari velint, sive adversùs Hæreses aciem instruere, sive Scholastico in pulvere adolescentes, quasi in palæstra, exercere, sive res in Ecclesia gestas investigare, sive denique homines à vitiis abducere, & ad virtutes perducere cum utilitate desiderent.

D. Hanc esse veram & utilissimam Sacræ Doctrinæ explicandæ methodum, fatentur ipsimet doctiores Theologi Scholastici, quos inter *Bartholomæus Medina* Dominicanus, quem nuperrimè legebam, Quæst. 1. Introductionis in 3. Partem Summæ S. *Thomæ* hæc habet: *Exsibilandus est*

Theo-

Theologiæ Magister, qui rigidas & valdè implexas quæstiones agitat, ostendens quantùm in palæstra litteraria profecerit, quæ verò ad charitatem & pietatem conducunt, tanquàm pervia & exposita negligens. Si quid explicandum est ex D. Paulo, aut verò ex sacro eloquio, videtur in alium mundum translatus: Si de instantibus, si de hæcceitatibus velis aliquid, plura dabit, quàm quæ tribus onerariis navibus vehi possent. Hi sunt sanè, de quibus dicit Apostolus Paulus, quòd languent circa quæstiones & pugnas verborum, quòd conversi sunt in vaniloquium. Quibus verbis jueremeritò doctissimus ille Theologus carpit quosdam Theologiæ Scholasticæ Professores, qui neglectis necessariis Disciplinis, frivolis dumtaxat & vanis indulgent quæstionibus, in tricis, nugis & quisquiliis, omne tempus insumunt, & quâdam innovandi prurigine titillati, nova Commenta procudunt, atque iis mordicùs adhærent; cùm tamen vera Theologia, sicut sæpiùs me monuisti, terminis à Majoribus sapienter constitutis circumscribi, & ad Sanctorum Patrum doctrinæ normam revocari deberet. Quod sanè non est Theologiam Scholasticam damnare (sicut perperàm factitant Hæretici, qui ab hac strenua ratiocinandi duce multùm sibi metuunt) sed dumtaxat abusus in eam temerè invectos corrigere, & palmites inaniter luxuriantes resecare, quò uberior cognitæ veritatis fructus ad maturitatem perveniat, & Ecclesiæ utilitatem afferat. At de Doctrina Sæculi XVI. satis hactenùs diximus. Nunc in Disciplinam, quæ eodem Sæculo viguit, sedulò inquiramus, & primùm expendamus præcipua Ecclesiasticæ Disciplinæ Capita; posteà, de Mona-

 stica

ſtica Diſciplina, & de Religioſis Ordinibus, qui Sæculo XVI. inſtituti, aut reformati fuerunt, continenti ordine tractaturi.

M. Ad revocandam vetuſtiſſimorum temporum incorruptam Eccleſiæ Diſciplinam, Patres Oecumenicæ Synodi Tridentinæ cogitationes omnes ſuas, conſilia omnia, auctoritatemque omnem retulerunt. *Diſciplina* ſiquidem (ut rectè obſervat *Ludovicus Thomaſſinus* in Præfatione in Veterem & Novam Eccleſiæ Diſciplinam) *mutatur in dies, & labentibus annis ſeneſcit, ac priſtinæ rursùm ſe reſtituit juventuti; alia & alia ſubindè, & augmenta experitur, & decrementa. Suus erat juventæ vigor eximius, ſed obrepebant & vitia. Vitia illa ſuſtulit ætas poſterior: Verùm, dùm bona accedunt nova, veterùm alicubi ſplendor evaneſcit. Senectus languidior eſt, ut teſtatur remiſſio illa & indulgentia, quam hiſce temporibus omninò neceſſariam putant. Verùm, ad trutinam expendas omnia, ut juventuti, ita & ſenectuti experieris ſua ineſſe vitia ſuas virtutes. Quod priori Diſciplinæ deerat, adjecere Concilia, Pontifices & Patres. Quid dicam nuperrimi*, ſeu Tridentini, *Oecumenici Concilii Leges, quid egregia illa Statuta complurium noſtris temporibus Epiſcoporum, qui excellenti & doctrinà & pietate, velut quædam Eccleſiæ Sidera ſplendeſcunt; nonne quidquid vitii & labis in hujus ætatis inoleverat Diſciplina, vel abſtersère, vel abſtergere ſedulò pergunt.* Ut igitur Diſciplinam Eccleſiæ, à Concilio Tridentino Sæculo XVI. reſtitutam, plenè perſpectam habere poſſis, præcipua hìc percurremus Statuta, quæ circà Eccleſiæ Miniſtros, videlicèt Clericos, Presbyteros, Epiſcopos & Metropoli-

politanos eadem Synodus promulgavit, atque pro reformatione morum executioni mandari jussit. Circà Clericos decernit primò Sacra Synodus Tridentina Sess.23. cap.2. neminem ad Sacros Ordines promoveri debere, nisi priùs certò constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere: *Cùm non deceat*, inquiunt Patres Concilii Tridentini, *eos, qui Divino ministerio sunt adscripti, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complures plerisque in locis ad Sacros Ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se Beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere; statuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus Sæcularis (quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia & ætate) ad Sacros Ordines promoveatur, nisi priùs legitimè constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere...... Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari posthàc non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum &c.* Idem confirmat Sacra Synodus cap.XVI. ejusdem Sessionis, ubi sancit, *ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio Loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur Sedibus*. Hujus Decreti Patrum Concilii Tridentini necessitatem Cardinalis *Bellarminus* in Epistola ad Nepotem suum Episcopum Theanensem declarat his verbis: *Maximus est abusus ordinari quoslibet ad titulum Patrimonii. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate*

sua, non Ecclesiæ: & de celebratione Missæ faciunt artem de pane lucrando. Unde Sacerdotium contemptibile redditur, & Ecclesia scandalis patet. Quòd spectat modum ac tempus Ordinationis Clericorum, Sacra Synodus cap. 4. Sess. 23. prohibet tonsurâ initiari, nisi qui Confirmationis Sacramentum ante susceperint, quique legere & scribere sciant, & de quibus sit probabilis conjectura, eos hoc intuitu Statum eligere Clericalem, ut perfectiùs Deo serviant. Unusquisque autem Clericus, juxta Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. VIII. à proprio Episcopo, & non ab alio ad Ordines promoveri debet sub pœna suspensionis à susceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Episcopo (qui est Episcopus originis, domicilii, & Beneficii) videbitur expedire. Nullus etiam Clericus, ex Concilii Tridentini Decreto Sess. 23. cap. 12. ad Subdiaconatus Ordinem ante annum vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimũ tertium, & ad Presbyteratus ordinem ante vigesimum quintum promoveri potest. Nec tamem singuli ea in ætate constituti debent ad hos Ordines assumi, sed dumtaxat digni, quorum probata vita senectus sit. Ut autem Clerici ad pietatem faciliùs institui, & scientiis ad regimen animarum necessariis imbui possent, Patres Concilii Tridentini cap. 18. ejusdem 23. Sessionis injungunt, ut in singulis Diœcesibus Collegia Ecclesiastica seu Seminaria instituantur, in quibus juvenes Ecclesiæ servitio destinati educentur, scientiis, functionibus, & ritibus Ecclesiasticis, cantu, disciplinis Clericalibus, & sanctis moribus informentur, tantique momenti ejusmodi Seminariorum pro juvenum

num Clericorum instructione erectiones esse duxerunt Tridentini Patres, ut in hunc finem Episcopis jus & potestatem tribuant obligandi ad annuas pro constituendis & fovendis Seminariis contributiones quoscumque Beneficia possidentes, atque etiam uniendi pro eorum fundatione aliqua Beneficia simplicia cujuscumque sint dignitatis vel qualitatis, etiam antequàm vacent, sine cultus Divini & illa obtinentium præjudicio, adeò ut talis unio nullâ possit appellatione suspendi aut impediri. Ex his Seminariis, pro institutione juvenum Clericorum erectis, maximam Ecclesia percipit utilitatem, hisque acceptam refert suorum Ministrorum probitatem, maximè, cùm experientiâ constet, Adolescentium animos, nisi rectè instituantur, pronos esse ad mundi voluptates sequendas, in ludo, venatione, epulis tempus malè perdere, & nisi à teneris annis ad pietatem, & religionem informentur, antequàm vitiorum habitus totos homines possideant, nunquàm perfectè, ac sine maximo & singulari propemodùm Dei omnipotentis auxilio, in Ecclesiastica Disciplina perseverare, ut testantur Patres Tridentini cap. 18. Sess. 23. Est igitur, quòd plurimùm in Domino gaudeamus, dùm in hoc ipso Sæculo, plures cernimus Clericos ex Seminariis prodeuntes, pietatis sinceros æmulatores, & Spiritu Ecclesiastico plenos, qui Sacros Canones, *Spiritu Dei conditos, & totius Orbis reverentiâ consecratos*, ut ait Summus Pontifex S. *Leo* Epistolâ LXXXIV. in intimo spiritu insculptos, altèque infixos gerunt, ad quorum normam mores suos pro virili exigere satagunt, & dum propter temporum difficultates,

non observantur, dolent & ingemiscunt. Nec sacras illas Regulas, tanquàm Lacedæmoniorum, aut Atheniensium pridèm exoletas Leges otiosè spectant, sed tanquàm Cœlestia Instituta, nullâ unquàm corruptelâ minuenda venerantur & probant. Hinc omnibus studiis has sanctissimas Leges instaurandas curant, conculcatas renovant, collabentes retinent, vigentes totâ contentione custodiunt.

D. Maximum sanè Ecclesiasticæ Disciplinæ decus & incrementum afferunt hæc erecta Seminaria pro juvenum Clericorum educatione, cui modis omnibus consulere, maximi interest Reipublicæ Christianæ. Cùm enim, sicut te sæpiùs dicentem audivi, puerorum ingenium ad vitia proclive, perniciosum exemplum statim arripiat, non alitèr, quàm ignem vicinum admota palea, eò præcipua Parentum ac Magistrorum cura intendi deberet, ut pueri jam indè ab incunabulis, inter ipsas blanditias nutricum, & parentum oscula, inter Litteratorum manus, persuasiones imbiberent Christo dignas, atque eo pacto omnes vulgò errores ab ipsis usque radicibus ex eorum animis revellerentur, & in eorum locum salutares insererentur opiniones, quę progressu temporis roboratæ, nullis rebus per totum vitæ cursum possent convelli, propterea quòd *nihil vel altiùs insidet animo, vel hæret tenaciùs, quàm quod rudibus*, ut inquit Fabius, *inditur annis*. Sed prosequamur, si placet, alia Ecclesiasticæ Disciplinæ Capita, eaque percurramus Statuta, quæ circà Presbyteros condidit Synodus Tridentina.

M. Cupiens Sancta Synodus Tridentina Eccle-

clesiasticam Disciplinam in Christiano populo non solùm restitui, sed etiam perpetuò sartam tectam conservari, multa Statuta circà Presbyteros edidit, quorum præcipua hìc brevitèr referemus. Et primò quidem, circà illiteratos & imperitos Parochialium Ecclesiarum Rectores, hæc capite 6. Sessionis XI. decernit Sancta Synodus: *Quia illiterati & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, & alii propter vitæ eorum turpitudinem potiùs destruunt, quàm ædificant; Episcopi, tanquam Apostolicæ Sedis Legati, eisdem illiteratis & imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore deputare, partemque eisdem fructuum pro sufficiente victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione & exemptione remotà, Eos verò, qui turpiter & scandalosè vivunt, postquàm præmoniti fuerint, coërceant & castigent: & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos Beneficiis, juxta Sacrorum Canonum Constitutiones, exemptione & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.* Secundò, Sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ statuit Synodus Tridentina, ut *singuli Episcopi in suis Diœcesibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare permittant. Neminem præterea, qui publicè & notoriè calumniosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittat.* Tertiò, Clericos, & Presbyteros, qui Beneficia possident, quibus animarum cura, aut Ecclesiasticum ministerium annexum est, ad personalem Residentiam, obligatos esse declarat Synodus Tridentina cap. 3. Sessionis 23. eâdemque Residentiæ Lege obstrictos

esse

esse Canonicos sancit capite 12. Sessionis 24. ubi hæc habet: *Obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut Consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse ..... alioquì primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac Residentiæ fecit suos. Quòd si iterùm eàdem fuerit usus negligentià, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente verò contumaciâ, contra eos juxta Sacrorum Canonum Constitutiones procedatur. Omnes verò per se & non per Substitutos Divina compellantur obire Officia, Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire debent Canonici, atque in Choro, ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè devotèque laudare. Vestitu insuper decenti tam in Ecclesia, quàm extra, assiduè utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibus abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ senatus dici possint.* Ab hac tamen Residentiæ Lege ad certum tempus exemptos voluit Synodus Tridentina Canonicos & Beneficiarios, qui in celeberrimis Academiis vel docent, vel student, juxta Summorum Pontificum *Honorii III.* & *Bonifacii VIII.* Constitutiones. Quartò, quoniam multi Clerici & Sacerdotes improbæ cupiditatis affectu ea quæ benè Sacris Canonibus constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, Sacra Synodus Tridentina cap. 17. Sess. 24. *statuit ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui con-*

confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque personalem Residentiam non requirat, eidem conferri. Quintò, cùm nihil tàm turpe sit Clericis & Sacerdotibus, qui se Divino cultui addixerunt, quàm in impudicitiæ sordibus, immundoque concubinatu versari, Synodus Tridentina cap. 14. postremæ Sessionis jubet, ut ejusmodi impudici Clerici & Sacerdotes, si à suis Episcopis admoniti resipiscere nolint, pœnis à Sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur, ita ut, si Beneficia possideant, Beneficiis, portionibus, officiis & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, Beneficiis & officiis in posterum reddantur, & Excommunicationis gladio plectantur: si verò Beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habeant, juxtà delicti & contumaciæ pervicaciam ab ipso Episcopo carceris pœnâ, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad Beneficia obtinenda, aliisque modis juxta sacros Canones puniantur. Quâ in re obitèr advertere debes, hanc de perpetua castitate Sacerdotibus ac Clericis majoribus ab Ecclesia indictam legem tantâ cum disciplinæ severitate fuisse in antiquis Ecclesiæ temporibus observatam, ut Sacerdotes & Diaconi, qui se luxuriæ crimine commaculassent, in perpetuum gradu dejicerentur, & in Monasteriis pœnitentiam acturi, atque ad Laïcam Communionem redacti recluderentur. Ex quo facilè intelligere potes, quàm gravitèr etiamnùm Clericus aut Sacerdos puniri deberet, qui ad sacratissima Mysteria, ipsis Ange-

Angelis tremenda, impuras manus, impurum animum, & à nefandis libidinibus adhùc calentem inferre non reformidaret. Sextò, ne Sacerdotes in Sacramento pœnitentiæ indulgentiores essent, & lenimentis, quæ peccatoribus perniciosa essent, uterentur; præcipit Sancta Synodus Tridentina cap. 8. Sessionis 14. Sacerdotibus, ut pro modo criminum congruam pœnitentiam imponant: *Debent Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentiū facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Quæ verba Concilii Tridentini quantum terroris Confessariis afferre, quantam debent ingenerare cautionem, ne in tribunali Pœnitentię leves satisfactiones pro gravissimis peccatis imponant, ne peccatoribus, qui absque emendationis spe eadem frequenter admittunt flagitia, præproperam impertiantur absolutionem, & ne in dispensatione Sacramenti Pœnitentiæ indiligentèr explorent, sufficientemne, verum ac sincerum dolorem afferat pœnitens, & tale non peccandi propositum, cui meritò confidi possit. Denique, Concilium Tridentinum omnes antiquos Canones, qui ad Sacerdotes pertinebant, renovavit, nec minùs, quàm olim, castos & sanctos voluit esse Sacerdotes. Quamobrèm, vehementèr hallucinati sunt quidam nuperi Casuistæ, qui ausi sunt asserere, antiquos Canones de vita & moribus Clericorum & Sacerdotum fuisse per desuetudinem abrogatos, cùm potiùs Synodus Tridentina no-

vum

vum eis addiderit robur, quod mala, quæ multitudine peccantium invecta est, consuetudo, infringere minimè potest, sed ei, tanquàm corruptelæ & prævaricationi, maximo, ut par est, zelo obniti & reluctari debent pii Sacerdotes, Davidicam illam vocem semper in ore, semper in corde penitùs infixam habentes: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideò dilexi testimonia tua.*

D. Nullus profectò dubito, quin suus Disciplinæ Ecclesiasticæ pristinus brevì restitueretur splendor, si ad illas sanctissimas Regulas à Concilio Tridentino constitutas Clerici ac Sacerdotes suos satagerent componere mores. Sed videamus modò, quid circà Episcopos, quos, teste Apostolo Paulo, *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam suam*, & ex quorum bono regimine atque exemplis reliquorum membrorum Ecclesiæ corpus componentium salus dependet, statuerit Synodus Tridentina?

M. Synodus Tridentina Capite 1. postremæ, seu vigesimæ quintæ Sessionis, in Decreto de Reformatione, Episcopos, ut piè vivant, seque redditũ Ecclesiæ fideles dispensatores exhibeant, adhortatur his verbis, quæ cùm sint verè aurea, & divino spiritu plena, hìc integra inserere necessarium esse duxi: *Optandum est*, inquit Sacra illa Synodus, *ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sint suæ partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamque faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum*

marum salutem ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam Disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpè meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum prædicandi genus quoddam, se muneri suo conformes ostendant. In primis verò mores suos omnes ita componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi non solùm jubet, ut Episcopi modestâ suppellectili, & mensâ ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere ac totâ ejus domo caveant, nequid appareat quod à Sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei Zelum, ac vanitatum contemptum præseferat. omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones probibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus, distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ, immò, quàm maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, undè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitùs deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica, tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit; quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis

iis etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos convertant. Præter hanc generalem Parænesim, quâ Synodus Tridentina omnes Episcopos ad Pastoralia munia dignè obeunda adhortatur, eos insuper Sess. VI. cap. I. de reformatione & Sess. XXIII. cap. I. ad residentiam, antiquis Canonibus, & Decretalibus Epistolis Summorum Pontificum imperatam, fortiùs adstringit, his verbis: *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliorumque miserabilium personarum, curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquàm ab his præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant.* Hinc declarat ibidèm S. Synodus, eos, qui contra vim hujus Decreti de residentia à suis Ecclesiis ultra tres menses aut continuos aut interruptos abfuerint, præter mortalis peccati reatum, quem incurrunt, pro rata temporis absentiæ, fructus non facere suos. Quæ autem sint legitimæ causæ, propter quas Episcopi abesse possint, & per id tempus tutâ consciētiâ facere fructus suos, Sacra Synodus exprimit hisce verbis: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquàm abesse postulent & exigant, &c.* Vtinam his dumtaxat legitimis causis per-

permoti Episcopi, & absque ullo sibi à Deo crediti gregis detrimento, à suis Ecclesiis abessent! Alia Episcoporum officia præscribens Synodus Tridentina, & præcipuè è Sacris Ordinationibus omnem Simoniæ umbram amovere volens, præcipit cap. 1. Sessionis vigesimæ primæ Episcopis, ut gratis Ordines conferant, dimissorias & testimoniales litteras concedant, nec pro Sigillo, nec aliâ quâcumque de causâ aliquid, etiam sponte oblatum, accipiant. Notariis tamen indulget, ut decimam auri partem accipiant, tribus tamen suppositis conditionibus, scilicèt dummodò eis nullum salarium ab Episcopo sit constitutum; dummodò non sint in locis, in quibus viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi; dummodò tandèm Episcopis ex Notarii commodis aliquod emolumentum directè vel indirectè provenire haud possit. Denique, cùm ad resarciendam Ecclesiæ Disciplinam, nihil efficacius sit celebratione Conciliorum, Visitationibus Episcoporum, Verbi Dei prædicatione, populi, ad suscipienda cum fructu Ecclesiæ Sacramenta, diligenti instructione, & peccatorum publicè delinquentium congruâ satisfactione; ideò Synodus Tridentina capite 2. Sessionis 24. decernit, ut Concilia Provincialia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis, renoventur, & quolibet saltem triennio celebrentur; Diœcesanæ verò Synodi quotannis habeantur. Secundò, Capite tertio ejusdem Sessionis præcipit Synodus Tridentina Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis & Episcopis, ut propriam Diœcesim per se ipsos, aut, si legitimè impediti fue-

fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non possint, saltèm majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. Tertiò, mandat Synodus Tridentina Capite 4. ejusdem Sessionis Episcopis, ut in Ecclesia suâ ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument, in aliis verò Ecclesis per Parochos, saltèm omnibus Dominicis, solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, & adventus Domini quotidiè, vel saltèm tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, divinamque legem annuncient. Quartò, Sancta Synodus jubet Capite 7. ejusdem Sessionis omnibus Episcopis, ut non solùm, cùm Sacramenta Ecclesiæ per se ipsos populo administrare debent, priùs illorum vim & usum, pro suscipientium captu, explicent; sed etiam idem à singulis Parochis piè prudentèrque, etiam linguâ vernaculâ, si opus sit, servari studeant, juxtà formam à Sancta Synodo Tridentina in Catechesi singulis Sacramentis præscribendam. Quintò, Synodus Tridentina cap. 8. ejusdem Sessionis statuit, ut publicè peccantibus condigna pro modo culpæ Pœnitentia publica injungatur, quò videlicet eos, quos exemplo suo aut scandalo offenderunt, aut ad malos mores provocarunt, suæ emendationis testimonio ad rectam revocent vitam. Permittit tamen Sancta Synodus Episcopo facultatem publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum commutandi, quandò ita magis judicaverit expedire.

At in eos, qui Monomachiâ,seu duello,confligunt, omni severitate legum animadverti debere sanxit Synodus Tridentina cap. 19. Sessionis vigesimæ quintæ, ubi primò declarat, Principes, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso esse excommunicatos, ac jurisdictione & dominio Civitatis,Castri,aut loci, in quo,vel apud quem duellũ fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privari. Secundò, decernit, eos, qui duellum, seu pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrere, & ut homicidas, juxtà Sacros Canones, puniri debere, ipsisque, si in conflictu decedant, perpetuò Ecclesiasticam sepulturam esse denegandam. Tertiò, eodem excommunicationis fulmine percellit eos,qui in causa duelli,tàm jurę, quàm facto consilium dederint, aut aliâ quâcumque ratione id alicui suaserint, aut pugnantes spectaverint. Sic detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo, introductum, cùm serperet in dies, ac manaret latiùs, cùm turpissimi gladiatores, immò grassatores ac sicarii, mutuis sese cœdibus ac parricidiis conficerent, cùm teterrimæ carnificinæ ubique vestigia ac monumenta fixissent, saluberrimo illo Edicto, severiorique disciplinâ compescuit Synodus Tridentina.

D. Præscribitne Synodus Tridentina omnia officia, quæ Metropolitanis juxtà Sacros Canones obeunda incumbunt?

M. Metropolitanorum officia juxtà Sacros Canones accuratè præscribit Synodus Tridentina.

Et

Et primò quidem, capite primo Sessionis sextę, in Decreto de Reformatione, monet omnes Patriarchas, Primates, & Metropolitanos, ut in omnibus laborent, & ministerium suum impleant; implere autem illud se nequaquàm posse sciant, si greges sibi commissos, mercenariorum more, deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo judice requirendus, custodiæ minimè incumbant, cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit. Quapropter, Sancta Synodus omnes antiquos Canones contra non residentes promulgatos innovat, & statuit, ut *Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, eo ipso incurrendà, infrà tres menses per litteras, seu nuncium, Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis authoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire*. Secundò, decernit Sancta Synodus cap. 1. in Decreto de Reformatione Sessionis vigesimæ tertiæ, *legitimas absentiæ causas à Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, à suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas*. Tertiò, ibidem sancit Sacra Sydus ad Episcopum Metropolitanum cum Concilio Provinciali pertinere, judicare de licentiis à se, vel suffraganeis datis, & videre, ne quis eo jure abutatur, & ut pœnis Canonicis errantes puniantur.

tur. Quartò, si Cathedralium Ecclesiarum Prælati in Seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, eos Metropolitanus acriter corripere, ad id cogere, & ut quamprimùm hoc sanctum & pium opus, ubicumque fieri poterit, promoveatur, studiosè curare debet. Tenetur etiam ex Concilio Tridentino Metropolitanus, tanquàm Sedis Apostolicæ delegatus, dare operam ut Verbum Dei, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus annuncietur in Parochialibus Ecclesiis, quæ subjectæ sunt Monasteriis in nulla Diœcesi existentibus, & ad id compellere Abbates & Regulares Prælatos, si negligentes fuerint. Ad ipsum quoque Metropolitanum pertinet, unum aut plura eligere Collegia in Ecclesia Metropolitana, vel in alia Provinciæ suæ Ecclesia commodiori, ubi pueri illarum Ecclesiarum, quæ ob paupertatem Collegium erigere non possunt, educentur. Quintò, Metropolitanus quolibet saltem triennio tenetur celebrare Concilium Provinciale, & si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel aliqua gravior quæstio incidat, Episcopus, antequàm Controversiam dirimat, Metropolitani & Comprovincialium Episcoporum in Concilio Provinciali sententiam expectare debet, ita tamen ut nihil, inconsulto Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia hactenùs inusitatum decernatur. Sextò, si Capitulum, Sede vacante, Vicarium Generalem instituere neglexerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvitur, juxta Concilium Tridentinum Sessione XXIV. cap. XVI. Denique, quod maximè observare debes, Synodus Tridentina capite I.

te I. Sessionis XIII. in Decreto de Reformatione admonet generatim omnes Patriarchas, Primates, Metropolitanos & Episcopos, *ut se Pastores, non percussores esse meminerint, atque praeesse subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tanquàm filios, & fratres diligant, elaborentque, ut hortando & monendo ab illicitis deterreant; illos verò, qui per humanam fragilitatem peccant, arguant, obsecrent, increpent, juxtà Apostoli praeceptum, in omni bonitate & sapientia: cùm saepè plus ergà corrigendos agat benevolentia, quàm austeritas; plus charitas, quàm potestas. Sin autem, ob delicti gravitatem, virgà opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conservetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut, si resipiscere noluerint, caeteri, salubri in eos animadversionis exemplo, à vitiis deterreantur*. Haec sunt praecipua Capita, quae ad restaurandam Ecclesiae Disciplinam, circà Clericos, Presbyteros, Episcopos & Metropolitanos sanxit Synodus Tridentina, in quibus contemplari licet genuinam primitivae Disciplinae faciem, ad quam Ecclesia Romana, quantùm hodierna ferunt tempora, semet totam componit, optatque enixè, ut pristinae Disciplinae vigor in integrum restituatur, ut suus Episcopis constet honor & pretium; sint Sacerdotes & Clerici doctrinâ sani, disciplinis exculti, moribus graves, candidi & inculpati; sint denique Laïci in fide firmi, in bonis operibus assidui, ubique conversatione, charitate, vitaeque puritate praeluceant, juxtà illud Matthaei cap. V. *Videant opera vestra bona; ut glorificent Patrem vestrũ*

qui in Cœlis est. Quid ad hæc, amabo, hæretici nostri temporis reponent? qui speciosum Reformatorum titulum perperàm ambiunt, & qui tamen non solùm Hierarchicum Ordinem, & Pastorum subòrdinationem ad supremum Pontificem Romanum, à Christo Domino institutam, à se prorsùs abdicarunt, verùm etiàm omnem Disciplinæ Ecclesiasticæ, & Sacramenti Pœnitentiæ rigorem penitùs sustulerunt, necessitatem bonorum operum, Votorum obligationem, ciborum delectum, Cœremonias Ecclesiæ, jejunia, preces horarias ab Ecclesia præscriptas, exploserunt; qui professi salvificum Evangelium Christi, flagitiosissimè vivunt, impurè viventes fovent, promiscuè turbæ dant jus interpretandi Scripturam Sacram, & pronuntiandi de articulis fidei; qui tandem invertunt, confundunt, perduntque seditiosè omnia, optimis pessima sufficiunt, solvunt potestatem Principum, plebem in optimos quosque armant, subindè tumultus excitant, ad arma identidèm, ut nunc videmus in Palatinatu, nullis de causis procurrunt, quodque satis lepidum est, dum isti hæretici perpetuò Ecclesiæ reformationem crepant, & in mores Episcoporum ac Sacerdotum acriter invehuntur, Principibus suæ Sectæ permittunt polygamiam, & Ministros suos cogunt inire nuptias. Quæ malum, quæso, est ista Salacitas? undè tanta carnis rebellio in his, quæ se jactant agi spiritu Christi? certè, ut liberè dicam, tot malorum ac vitiorum, quæ nunc apud hæreticos impunè regnant, nullam aliam causam invenio, nisi quia ab initio eorum Sectæ coaluerunt ex hominibus absque frœno, absque pudore, absque ulla

ulla morum disciplina viventibus, quorum plerique erant decoctores, profugi, desertores Instituti sui, novarum rerum, ac licentiæ cupidi, juvenes, mulierculæ incogitantes, errones, milites, aliique sceleribus infames, ex quibus cùm originem suam traxerint hæretici nostri temporis, quid mirum, si errores & vitia, quibus illorum Majores fuerunt infecti, jure hæreditatis ac possessionis etiamnùm retineant?

D. Hìc opportunè venit in mentem celebris, quæ Sæculo XVI. in Galliis circà electionem & collationem Beneficiorum facta est Ecclesiasticæ Disciplinæ immutatio, videlicet Pragmaticæ Sanctionis abolitio, in cujus locum suffectum est *Concordatum Gallicum*; quod, sicut in superioribus Colloquiis observasti, initum est *Leonem X.* Pontificem Maximum inter & *Franciscum I.* Galliarum Regem. Ostende ergò nunc, quorsùm in Galliis abolita fuerit Pragmatica Sanctio? & quibus potissimùm conditionibus constet istud Concordatum Gallicum?

M. Pragmatica Sanctio nihil aliud est, ut alibi jam observavimus, quàm Constitutio in Bituricensi Concilio sub *Carolo VII.* Galliarum Rege anno MCCCCXXXVIII. procusa, quæque talis erat, ut viginti tres contineret articulos, & in id præsertim collimaret, ut Galliarum Regni Beneficiorum Collatoribùs ordinariis sua relinquerentur jura conferendi Beneficia: Ut Cathedrali vacante Sede, à Clero sive Capitulo eligerentur Episcopi, & ut omnes particulares Reservationes, ac gratiæ Expectativæ abolerentur. Hanc Pragmaticam Sanctionem Episcopi, aliique Viri Ecclesiastici

Gallicanam repræsentantes Ecclesiam, obtulerunt *Carolo VII.* Galliarum Regi, qui statim præcepit ut in toto suo Regno observaretur, & Regias inter Constitutiones describeretur. Jussit etiam idem Rex Curiæ Parlamenti, aliisque Magistratibus, ut hanc Pragmaticam Sanctionem à Personis Ecclesiasticis & Sæcularibus observari, & executioni mandari curarent, gravi pœnâ rebellibus irrogatâ. Promulgata autem fuit Pragmatica Sanctio in Senatu Parisiensi die XIII. mensis Julii anni millesimi quadringentesimi trigesimi noni. Id ægrè admodùm tulerunt Romani Pontifices, & ad Pragmaticam illam Sanctionem penitùs abrogandam suas omnes curas adhibuerunt. *Eugenius IV.* Pontifex Maximus huic Pragmaticæ Sanctioni intercessit, eamque vehementer improbavit, ut constat ex ejus Litteris ad *Carolum VII.* Galliarum Regem datis, quas descripsit *Odoricus Raynaldus* ad an. MCCCCXXXIX. num. XXXVII. *Pius II.* in Concilio, quod anno MCCCCLIX. indixit Mantuæ, Pragmaticam Sanctionem graviter perstrinxit, & mortuo *Carolo VII.* ejus filium *Ludovicum XI.* Christianiss. Regem, ad abrogandam Pragmaticam Sanctionem pertraxit, indèque incredibili lætitiâ affectus, ut refert *Gobelinus* Tomo VII. *Commentariorum*, Romæ, ob tam faustum de abrogatâ Pragmaticâ Sanctione nuntium, *indixit triduo justitium, & supplicationes per omnia templa fieri, & pompas Sacrorum per Urbem duci. Dimisso Consistorio, universa Curia & Urbis populus exultavit: ad noctem lucere ignes, canere tubæ, campanæ resonare omnes, saltare juvenes, choros ducere, cantare viri, ac Senes inter se gloriari, qui priusquàm morerentur, sublatam Pragmaticam*

ticam vidissent: Laudare Pontificem, cujus tempore id donum datum esset: Regem extollere, cujus mentem tanta incessisset pietas: Tantò res videri dignior, atque admirabilior, quantò minus sperata fuisset. Neque quisquam erat, qui post quatuor & viginti annos inveteratum Pragmaticæ morbum sub Pio Pontifice auferri posse confideret: Satis consultum iri Apostolicæ Sedi existimabant omnes, si malum non ingravesceret. Verùm, Pragmaticam Sanctionem, quæ sub Christianissimis Regibus *Ludovico XI.* & *Carolo VIII.* in Galliis aboleri omninò non potuerat, revocavit *Ludovicus XII.* Galliarum Rex, & *Caroli VIII.* successor, qui, ob infaustum dissidium, quod cum *Julio II.* Pontifice Maximo habuit, Edictum anno MCCCCXCIX. promulgavit, quo sanxit, ut in universo Galliarum Regno ad summos juris apices observaretur Pragmatica Sanctio, quæ proindè eo Regio roborata Edicto viguit, donec tandem *Franciscus I.* Rex Christianissimus, & *Ludovici XII.* successor, eâ in integrum sublatâ, compulerit Gallos ad recipiendum *Concordatum*, quod ipse Bononiæ in Italia inierat cum *Leone X.* Pontifice Maximo, moxque in Concilio Lateranensi V. fuerat approbatum anno MDXVI. Porrò, in hoc Concordato, quod *Gallicum* vocant, adimitur Capitulo, vacante Sede Cathedrali, facultas eligendi Episcopum, jusque Nominationis ad Prælaturas Galliarum Regibus confertur sub certis conditionibus, quas hìc brevitèr annotabimus. Prima conditio est, ut Christianissimi Reges nominent ad Episcopatum vacantem virum gravem, Doctorem, vel Licentiatum in Theologia aut in Jure, in celebri Academia, qui vigesimum septimum ætatis annum

annum ad minùs attigerit. Ad istas tamen graduum Scholasticorum leges non adstringuntur Principes Regiæ stirpis,& natalium spendore clari Proceres, qui subindè ad Ecclesiæ Prelaturas nominari & provehi possunt, etsi nullos gradus in Universitatibus fuerint assecuti. Excipiuntur etiam Religiosi Mendicantes, vel alii Regulares, qui doctrinæ præstantiâ insignes, iis inscripti sunt Collegiis, vel Ordinibus, ubi ad gradus non adspiratur. Altera conditio est, ut habeatur inquisitio in mores personæ à Rege Christianissimo nominatę coràm ipsius Ordinario, vel Nuntio aut Legato Sedis Apostolicæ, eaque Inquisitio unà cum Nominatione Regiâ Romam deferatur, quò Summo Pontifici constet, nominatum à Christianissimo Rege iis pollere dotibus, quæ Sacris Canonibus præscriptæ sunt. Quòd si Rex Christianissimus nominet aliquem, qui his careat dotibus, potest quidem Summus Pontifex illum repudiare, sed tres alios menses Regi Christianissimo concedit, intra quos alterum nominare & Summo Pontifici Canonicè instituendum præsentare potest. Tertia conditio est, ut Rex Christianissimus nominet intra sex menses à die vacantis Beneficii numerandos, ne videlicèt diuturnâ Ecclesiarum vacatione salus animarum grave pateretur dispendium. Quarta conditio est, ut Summus Pontifex (si aliqui Regni Galliæ Prælati in Curia Romana moriantur) nominationem habeat ad eorum Episcopatus, aliave vacantia Beneficia. His conditionibus limitatum est in Concordato Gallico jus à *Leone X.* Pontifice Maximo concessum Regi Christianissimo nominandi ad Prælaturas. Sed, quia jus Regiæ Nominatio-

nationis ad Prælaturas Provinciæ, & Aremoricæ non erat in Concordato Gallico expressum, *Leo X.* Pontifex Maximus speciali Indulto jus Regiæ Nominationis ad Prælaturas in Provinciam & Aremoricam extendit, dùm viveret Rex *Franciscus I.* quod ejus successoribus alii Pontifices confirmarunt. Extant duo *Pii IV.* Pontificis Maximi eâ de re Diplomata *Carolo Nono* Galliarum Regi anno MDLXIV. data apud Clarissimos *Puteanos* in *Historia Concordatorum*. Observavimus in sexto Colloquio in Historiam Sæculi XV. Galliarum Regem non nominare ad Abbatias Monialium in vim Concordati Gallici, sed in vim Pontificii Indulti, quo *Clemens VII.* jus ad illas nominandi *Francisco I.* concessit. Ibidèm etiam advertimus, jus eligendi Abbates & Priores ad Regem Christianissimum per Concordatum Gallicum fuisse quidem translatum, illud tamen jus Regiæ Nominationis non extendi ad illa Monasteria, quæ suos Abbates aut Priores eligendi singulari gaudent privilegio, cui nec Summus Pontifex, nec Rex Christianissimus quidquam derogare voluerunt. Quocircà, Regiæ Nominationi Monasteria illa in Galliis non subsunt, quæ per Generales Præpositos reguntur, quibus adjungendæ sunt quatuor Cistercensis Abbatiæ filiæ, *Pontiniacum*, *Feritas*, *Claravallis*, & *Morismundus*. Item Abbatiæ, sive Prioratus, quorum caput est *Casa Benedicti* in Bituricensi Diœcesi, Gallicè *Chesalbenoist*, & celebris altera Abbatia in Suburbio Biturigum *S. Sulpitio* consecrata. Hæ quippè Abbatiæ, sive Prioratus, antiquam suos Abbates vel Priores eligendi libertatem sartam tectam hactenus conservarunt. Sed de abolitione

Pragma-

Pragmaticæ Sanctionis, & de Concordato Gallico plura legesis apud jam citatos clarissimos *Puteanos* in Historia Concordatorum, apud *Franciscum Pinssonium* in lib. *De Pragmatica Sanctione*, & in *Notis ad Indulta*, & apud *Doujatium* in *Specimine Juris Ecclesiastici*.

D. Quibus potissimùm de causis abolita est in Galliis Pragmatica Sanctio?

M. Duabus præsertim de causis abolita est in Galliis Pragmatica Sanctio. Primam insinuat *Leo X.* Pontifex Maximus in Concordatis Titulo quarto, ubi testatur, Electiones in Galliis jamdiù eò devenisse, ut *pleræque per abusum sæcularis potestatis* tumultuosæ & violentæ essent, vel Simoniacæ, vel carnis & sanguinis, pluribusque aliis cupiditatibus sordidatæ, vel implicatæ periurio, quòd Electores, quanquàm juramento constricti ad eligendum magis idoneum, privatis nihilosecius indulgerent affectibus, vel precibus & blanditiis amicorum delinirentur, undè gravissima mala emergebant, quæ in dies radices altiores agebant, nec ullo pacto extirpari poterant. Altera ratio, cur in Galliis abolita fuerit Pragmatica Sanctio, petitur ex sublata libertate Electionum, quæ à Capitulis ad nutum Regis ut plurimùm fieri solebant. Rex siquidem sæpiùs preces in imperium vertebat, ac subindè necessitatem imponebat Capitulis, quæ suis electionibus aliquid hinc etiam præsidii fore sperabant, & libertatis umbram saltem aliquam, si quos Rex commendaret, hos eligerent. Hinc Illustrissimus *Petrus de Marca*, Archiepiscopus Parisiensis, libro VI. *De concordia Sacerdotii & Imperii* observat, prætèr clancularias

vel

vel apertas factiones & artes, quæ in Galliis in ejusmodi Electionibus frequentissimè occurrebant, ipsas insuper Regum Christianissimorum preces imperiosas vim attulisse Electionibus. Jure itaque optimo abolita est Pragmatica Sanctio, & in ejus locum subrogatum est Concordatum Gallicum, cujus beneficio restituta ac firmata est Ecclesiæ Romanæ cum Gallicanâ exoptatissima concordia, quæ Pragmaticæ Sanctionis defensione haùd parùm turbata erat; sublata itidem est Reservationum & gratiarum Expectativarum olim introducta consuetudo; præcisæ penitùs omnes ambitionis & Simoniæ occasiones, quibus creberrimè Electorum suffragia rogabantur, à Laïcis Principibus conciliabantur, & interdùm extorquebantur. Prætèr hęc commoda, quæ ex Pragmaticæ Sanctionis abolitione, & Concordati institutione & promulgatione percepit Gallicana Ecclesia, aliud *Petrus de Marca* loco mox à me laudato adducit magnum Ecclesiæ Gallicanæ & Regni ex receptione *Concordati* secutum emolumentum, per quod *finis impositus est litibus, quas in Romana Curia contestari receptum erat sumptibus immensis, ut electionum nullitas discuteretur. Quò fiebat, ut partes contendentes ad inopiam redigerentur, regno incommoda importarentur, & Ecclesiæ ob id diù vacarent*. Hìc tamen obitèr advertere debes, quòd, licèt abrogatâ in Galliis Pragmaticâ Sanctione, multa secum commoda advexerit Concordati Gallici institutio, nihilominùs Senatus Parisiensis abolitioni Pragmaticæ Sanctionis, & Concordati Gallici promulgationi diù ac fortitèr restitit, Academia etiam Parisiensis apertè reclamavit, & Clerus Gallicanus, vi dumta-

dumtaxàt ac metu compulsus, prędicti Concordati promulgationem passus est, quandòquidem Rex ita jubebat, sed eam liberis suffragiis non approbavit, immò Regibus Christianissimis *Henrico III.* & *Henrico IV.* sæpè supplicavit, ut, hoc Concordato Gallico abrogato, revocaretur Pragmatica Sanctio, & restitueretur libertas Electionum. Duo etiam illustres Scriptores Ecclesiastici & Cleri Gallicani Episcopi, *Genebrardus*, & *Spondanus*, hanc Concordati Gallici promulgationem ore & calamo improbarunt. Prior, seu *Gilbertus Genebrardus*, Archiepiscopus Aquensis, librum *De Sacrarum Electionum jure & necessitate ad Ecclesiæ Gallicanæ redintegrationem* edidit; & libro IV. Chronologiæ ad annum MDXVII. *Concordatum Gallicum* vocat *Mysterium iniquitatis, quo perditam Ecclesiam Gallicanam cernimus*. Et rursus: *Anno*, inquit, *millesimo quingentesimo decimo sexto abrogata est in Galliis Pragmatica Sanctio, & Concordata, ut vocant, substituuntur, fremente universo Clero, Scholasticis, Populo, bonis denique & doctis hominibus*. Alter verò Scriptor, seu, *Henricus Spondanus*, Appamiarum in Gallia Narbonensi Episcopus, hæc habet ad annum MDXV. num. X. *Sic autem, sublatà penitùs Sanctione Pragmatica, ejus loco facta sunt Capitula illa, quæ Concordatorum nomine promulgata fuere Sessione XI. Concilii Lateranensis, non tamen sine omnium Galliæ Ordinum gravissima conclamatione: mirantibus multis vehementissimè, quòd cùm Pontifex fratrum suorum Cardinalium suffragiis eligatur, Episcopos & alios Prælatos eligendi potestatem, iis ad quos pariter de jure competebat, ademerit, & in Reges transtulerit; atque infaustà permutatione, temporali sibi*

sibi reservato, spirituale abdicaverit. Verùm, etsi Clerus Gallicanus, Academia Parisiensis, Amplissimus Senatus, & nonnulli Scriptores Galli, quos inter reponi debent *Genebrardus*, & *Spondanus*, hoc Concordatum Gallicum, speciosis quidem, sed reapsè falsis rationibus freti improbarint, nec statim novam illam Disciplinæ mutationem concoquere potuerint, attamen postquàm, semoto partium studio & abdicatis omnibus præjudiciis, rationum, quibus nitebantur, levitatem agnoverunt, & Concordati Gallici commoda sunt experti, tandem lubentissimè acquieverunt, ultròque fassi sunt, hanc novam per Concordatum Gallicum inductam Ecclesiæ Disciplinam non fore incommodam, sed potiùs utilem, modò Rex Christianissimus, sicut ei ex Concordato incumbit, nominaret, seu designaret ad Episcopatus & Abbatias viros doctrinâ & pietate conspicuos, dignos tanto munere, & ferendo oneri, quod Angelicis humeris formidandum est, pares. Quod cùm Reges Christianissimi summâ cum laude & pietate hactenùs in rem Ecclesiæ executi fuerint, nullum multis abhinc annis auditum est in Galliis murmur adversùs *Concordatum*, secundùm quod Gallicanæ Ecclesiæ Politia disponitur ac regitur, omniaque Beneficia pacificè conferuntur.

D. Cedo, si placet, præcipuas rationes, quibus Clerus Gallicanus, Academia Parisiensis, & aliqui Scriptores Galli movebantur, ut tanto cum studio Pragmaticam Sanctionem defenderent, & ex adverso tam fortitèr Concordati promulgationi obsisterent.

M. Tres præsertìm rationes adducebant hi, qui

qui in Galliis Concordati promulgationi obfirmatis animis intercedebant. Prima ratio petebatur ex novitate Disciplinæ, quæ, abrogatâ Pragmaticâ Sanctione, per Concordatum in Ecclesiam inducebatur. Hæc, inquam, Disciplina novitate suâ Gallorum animos percellebat, adeò ut in hac maximè causa locum habuerit hæc præclara S. *Augustini* Sententia Epistolâ cxix. *Ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*. Verùm, hæc Gallorum ratio nullius roboris erat, quia hæc Disciplina, quantùmvis nova videretur, obviis tamen ulnis excipienda erat eô vel solô nomine, quòd præsentissimum adferret remedium multis malis & corruptelis, quæ sacras Electiones ita infecerant, ut vix sanari possent, nisi Electiones ipsæ abrogarentur, quæ per se quidem bonæ, hominum tamen ad vitia proclivium malis artibus noxiæ magis, quàm utiles Ecclesiæ progressu temporis evaserant. Galli itaque, qui hujus Disciplinæ per Concordatum invectæ novitate fuerunt perturbati, trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Altera ratio, quam contra Concordatum opponebant Galli, in hoc maximè sita erat, quòd sibi persuaderent, *Leonem X.* Pontificem Maximum concessisse *Francisco I.* Regi Christianissimo, ejusque successoribus, Spiritualia Ecclesiarum jura, dùm eis jus indulsit nominandi, vi Concordati, ad Episcopatus Galliarum Regni. Verùm, vana & falsa omninò erat hæc Gallorum persuasio. Neque enim vi Concordati data unquàm sunt Regibus Christianissimis Spiritualia Ecclesiarum jura, sed solùm eis concessum est jus Patronatus, seu Præsentationis ad Beneficia Regni Galliæ.

Galliæ. Undè, ficut penès Epifcopos fumma femper eft poteftas in minora Beneficia, maximè quoad jus fpirituale, quanquàm ea conferant ad nominationem Patronorum Laicorum, ita penès Summum Pontificem refidet in omnia Beneficia Ecclefiæ, maximè quoad jus fpirituale, poteftas, licèt Regibus Chriftianiffimis jus impertiatur nominandi, vi Concordati, ad Epifcopatus & alia Beneficia Galliarum Regni. Quod quidem novum non effe fatetur ipfemet *Spondanus* loco mox à me laudato, ubi hæc habet: *Quod etiam Leo X.* Pontifex Maximus eidem *Francifco I.* Regi Chriftianiffimo *concefferit ac fucceſſoribus in perpetuum, Ecclefiarum Cathedralium ac Monafteriorum nominationem, quæ priùs ab electione Collegiorum ac Conventuum pendebat, haud quidem id novum fuit, cùm aliàs viderimus, id jam olim Zachariam Romanum Pontificem permififfe Pippino Caroli Magni parenti & Sancto Ludovico Regi Alexandrum IV. Horruit tamen ifte*, feu S. Ludovicus Rex, *eo quanquàm fpontè oblato jure uti, quòd intelligeret, ut dicebat, non fe poffe illud fufcipere abfque periculo animæ fuæ & Regni*. Jus itaque à *Leone X.* conceffum *Francifco I.* Galliarum Regi, ejufque fucceſſoribus, nominandi ad Epifcopatus, aliaque Beneficia, non eft novum, nec fefe extendit ad fpiritualia Beneficiorum Jura, fed eft dumtaxàt jus patronatus, feu præfentationis ad Beneficia, quòd certè Viro Laico concedi poffe in confeffo eft apud omnes Theologos, nec alia unquàm fuit Ecclefiæ fententia ante mille annos, ex quo locus nimirùm fuit Laico Patronatui. Tertiam tandem rationem contra Concordatum defumebant Galli ex Sacris Canonibus ac De-

Decretis Conciliorum Generalium, præsertim septimi & octavi, quibus districtè & sub pœnâ depositionis inhibetur, ne quis *per sæculares Principes*, vel *imperatoriâ potestate* ad Episcopatum provehatur. His autem Synodorum Generalium Decretis contrarium penitùs videbatur Concordatum, quod Regibus Christianissimis jus asserebat nominandi ad Episcopatus & alia Beneficia totius Galliarum Regni. Sed hæc Gallorum ratio ex Sacris Conciliorum Generalium Canonibus petita nullum planè robur adversùs Concordatum habere poterat, quia licèt antiqui Canones prohibeant, ne quis ab Imperatore, vel à Principibus sæcularibus per vim ad Episcopatum intrudatur; quamvis etiam Summi Pontifices, ut latè ostendimus in Colloquio tertio in Historiam Sæculi undecimi, jure merito damnarint Investiturarum usum, quo Imperatores Episcopatus & alia Beneficia indignis propriâ authoritate, & reclamante Ecclesiâ, conferebant; nunquàm tamen Sacri Canones, aut Romani Pontifices prohibuerunt, ne Principes Ecclesiis nominent seu designent Episcopos, si id ipsis Ecclesia concesserit, vel permiserit, cùm tunc, accedente illâ Ecclesiæ concessione, Principes id præstent non Jure Imperii, seu propriæ authoritatis, sed ex mera Ecclesiæ indulgentiâ. Porrò, Reges Christianissimi non sibi arrogant Jus nominandi propriâ authoritate ad Episcopatus & Beneficia Galliarum Regni, sed totum illud Jus, quo potiuntur, acceptum referunt soli Ecclesiæ concessioni *Francisco I.* Regi Christianissimo, ejusque Successoribus à *Leone X.* Pontifice Maximo per Concordatum

datum factæ, quæ nullo pacto Sacris Conciliorum Generalium Canonibus ac Decretis adversatur. Præterquàmquòd, etsi Decreta Conciliorum Generalium prohiberent, ne Principes Laici nominent ad Episcopatus, attamen cùm ejusmodi Decreta non ad Fidem, sed ad Disciplinam dumtaxàt pertineant, ea à Summis Pontificibus temperari, immò abrogari posse, si evidens particularium Ecclesiarum necessitas, vel utilitas postulet, nemo est, qui inficias ire, aut in dubium revocare velit, maximè cùm constet, Disciplinæ capita pro temporum & locorum varietate mutationem facilè subire, multaque veteris Disciplinæ Capita, Conciliorum Generalium Canonibus firmata, vel desuetudine, contrariis institutis quandòque abrogari. Potuit ergò *Leo X.* Pontifex Maximus hæc Decreta Conciliorum Generalium, ad solam Disciplinam spectantia, abrogare propter evidens Ecclesiæ Gallicanæ bonum, quod postulabat, ut Capitulorum Electiones, ambitu, simoniâ, aliisque vitiis horrendum in modum id temporis fœdatæ abrogarentur, & nominationibus ad Episcopatus & Beneficia Galliarum Regni alitèr provideretur; quod sapientissimè per Concordatum Gallicum præstitit Summus ille Pontifex. Absit ergò, ut quis dicat, *Leonem X.* antiquos Canones violasse, Disciplinam evertisse, dùm novum Jus *Concordati* pro Ecclesia Gallicana instituit, ex quo multa secuta sunt commoda, ac multò majora in dies, ut speramus, promanabunt, si Christianissimus Rex *Ludovicus XV.* Majorum suorum vestigiis insistens, nominet ad Episcopatus & Beneficia Viros Ecclesiasticos doctrinâ & pietate insignes,

quibus semper abundavit, & etiamnùm feracissimum est Galliarum Regnum, cujus habenas, juxta omnium Gallorum vota, propediè moderabitur Juvenis ille Rex, quo, si mea exaudiuntur vota, nemo feliciùs regnabit, nemo diutiùs vivet, eritque *Clodovæis* illustrior, *Pippinis* fortior, *Carolis* felicior, *Philippis* Augustior, *Henricis* major, *Ludovicis* (si quid eorum addi potest pietati & nomini) etiam melior. His, quæ de abrogatâ Pragmatica Sanctione, & de suffecto in ejus locum Concordato Gallico hactenùs dixi, addam dumtaxat, errare nonnullos Scriptores, qui maximis laudibus Pragmaticam Sanctionem efferunt, eò quòd, ut ajunt, eâ in Galliis vigente, liberæ à Capitulis fierent electiones Episcoporum; in hoc, inquam, errare illos Scriptores duplici momento, breviter evinco. Primò, quia, vigente in Galliis Pragmaticâ Sanctione, Reges Christianissimi suis precibus, quæ, ut superiùs ex Illustrissimo *Petro de Marca* Archiepiscopo Parisiensi observavi, vim imperii habebant, Capitulis necessitatem imponebant eligendi quos ipsi postulabant Episcopos. Secundo, vigente in Galliis Pragmaticâ Sanctione, Reges Christianissimi *Carolus VII. Ludovicus XI.* & *Carolus VIII.* interdùm impediebant, ne à Capitulis fierent electiones Episcoporum, rogabantque Summos Pontifices, ut quosdam in Galliis vacaturos Episcopatus sibi reservarent, ad Suæ Majestatis preces conferendos, sicut nonnullis exemplis probat doctissimus *Ludovicus Thomassinus* parte IV. *Disciplinæ Ecclesiasticæ de Beneficiis* lib. 2. cap. 41. Patet igitur, vigente adhuc in Galliis Pragmaticâ Sanctione, sæpiùs Capitula, impedien-

dientibus Regibus Christianissimis, plenam non habuisse libertatem eligendi Episcopos, ac subindè mirum videri non debere, si tandem abrogatâ Pragmaticâ Sanctione, Capitulis Jus eligendi Episcopos fuerit ademptum, & Regibus Christianissimis Jus nominandi ad Episcopatus, Abbatias, & Beneficia Galliarum Regni à *Leone X.* Pontifice Maximo adjudicatum & concessum sub his conditionibus, quas superiùs assignavimus. Sed de Disciplina Ecclesiastica Sæculi XVI. plura dicere non vacat, expeditque ut Monasticæ Disciplinæ ejusdem Sæculi præcipua nunc Capita percurramus.

D. Rerum, quæ Disciplinam Monasticam spectant, narrationem auspicari debes ab institutione Ordinum, qui Sæculo XVI. ab Ecclesia approbati novum Statui Monastico vel Regulari incrementum atque splendorem contulerunt.

M. Multi Sæculo XVI. Ordines Regulares prodierunt, videlicet Ordo institutus à S. *Ignatio de Loyola*, vulgò dictus, *Societas Jesu*; Ordo Capuccinorum; Ordo Clericorum Regularium *Theatinorum*; Ordo Charitatis; Ordo Carmelitarum Discalceatorum; quibus accesserunt variæ Congregationes, seu Congregatio *Somaschæ* Clericorum Regularium; Congregatio Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiæ, qui *Recollecti* appellantur; Congregatio Clericorum Regularium S. *Pauli Decollati*; Congregatio Clericorum Regularium ministrantium Infirmis; Congregatio Beatæ Mariæ Fuliensis, & Congregatio Clericorum Regularium Minorum. De istorum Regularium Ordinum & Congregationum Insti-

 tutione,

tutione, Authore, Legibus & præclaris in Ecclesiam promeritis pauca hìc dicemus, quæ in Annalibus prædictorum Ordinum & Congregationum fusiùs descripta leguntur.

D. Quo anno florentissima Societas *Jesu* fuit à S. *Ignatio de Loyola* instituta, & quo pacto ad istud gloriæ fastigium, quod nunc eam attigisse videmus, pervenit?

M. Anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto *Ignatius de Loyola*, nobilis Cantaber, sex Sociis Parisiis sibi adjunctis, die sacrâ Assumptioni Deiparæ Virginis, apud Montem Martyrum, Societatis vota cum illis emisit, & clarissimi hujus Ordinis fundamenta jecit, cujus Summa, ad prædicationem Verbi apud Infideles, Romani Pontificis arbitrio, suscipiendam, eive operam suam in aliis religionis operibus addicendam, pertinebat, speciali in id obedientiæ voto cæteris demùm addito. Hujus Societatis Authori Sanctissimo *Ignatio* nihil chariùs, nihil pretiosiùs fuit Evangelicâ paupertate, quâ Socii, vulgò dicti *Jesuitæ*, supra ipsos Religiosos FF. Minores videntur eminere, quia illis S. *Ignatius* nullum jus ad stipendia, ad redditus annuos, saltem in Domo professâ, permittit, unâ facultate recipiendi, quæ spontè erogarentur, contentus, jus omne abdicavit repetendi etiam quæ Legato darentur; & si quod prædium habere illis licet, ad rusticandum dumtaxat concessum est, non ad serendas, aut metendas segetes, & si quæ ibi nascuntur, non esui ad panem, sed tantùm Jumentis ad pabulum dari possint. Alia sanctissima Statuta, quibus Socios obstrinxit S. *Ignatius*, legi possunt in Constitutio-

tutionibus Societatis Jesu, in quibus commentandis *Suarez*, doctissimus Societatis Theologus, totus est in tertio *De Religione* Tomo, undè etiam *Rodrigues*, ejusdem Societatis Jesu Scriptor, hausit quæcumque suis in libris asceticis tradidit documenta virtutis Christianæ. Hanc Societatem sanctissimis munitam Constitutionibus, ad majorem Dei gloriam, utilitatem Ecclesiæ, Fidei propagationem, Christianæ Juventutis institutionem, pietatis restaurationem à S. *Ignatio* conditam approbarunt Summi Pontifices *Paulus III.* anno MDXL. *Julius III.* an. MDLII. *Gregorius XIII.* an. MDLXXXIV. & *Gregorius XV.* an. MDCXXI. eamque inter Ordines Mendicantium numerandam, communibusque Mendicantium SodalitiorumPrivilegiis frui debere sanxit *Pius V.* Pontifex Sanctissimus. Multis, gravibusque procellis jactata est nascens illa Societas, atque diuturnam cum celeberrima Academia Parisiensi litem habuit, cujus originem, Acta & Instrumenta ad eam spectantia cùm fusè describat *Egassius Bulæus* Tomo VI. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, eam silentio hìc omninò prætermittam, ne obductam jam cicatricem videar quasi de industria refricare voluisse. Obitèr tantùm dicam, Patres Dominicanos de nascente & à multis vexatâ Societate benè meritos fuisse, ejusque Institutum totis viribus propugnare, augere, & amplificare studuisse, sicut fatentur *Orlandinus*, & *Sacchinus*, elegantissimi Societatis Jesu Historiæ Scriptores. Illi quippè testantur primò, S. *Ignatium*, Societatis Jesu Authorem, à *Matthæo Ori*, Dominicano & Inquisitore Parisiensi, à furore æmulorum, & à rabie Scholasticorum fuisse ereptum. Secundò,

impensè laudant Dominicanos, quòd non solùm permiserint Patribus Societatis Jesu, ut suas Domos eorum Conventibus vicinas, ut videre est Romæ, Parisiis, & Tolosæ, abdicato Jure, de quo alii pertinaciùs contendebant, extruerent, sed etiam illâ viciniâ plurimùm lætarentur, sæpiùsque Patres Societatis Jesu suis Cœnobiis summâ cum humanitate exciperent. Denique, duo illi insignes Historiæ Societatis Jesu Scriptores, *Nicolaus Orlandinus*, & *Franciscus Sacchinus*, referunt multa ac singularia beneficia, quibus Patres Dominicani nascentem Societatem sibi devinxerunt. Duos præsertim Dominicanos, videlicet *Joannem Pennam*, & *Mancium* laudat *Orlandinus*, à quibus ait Caussam Societatis Jesu fuisse acerrimè propugnatam. De primo Dominicano ita habet *Orlandinus* lib. 8. Historiæ Societatis Jesu Numero quadragesimo nono: *Joannes Penna ex eodem Ordine Prædicatorum, singulari pietate ac doctrina vir, & Salmanticensium Doctorum è numero, acri studio Divini honoris accensus, non dubitavit recentem Ordinem*, seu Societatem Jesu, *injurià vexatum, scripto etiam litterisque defendere*. De altero verò Doninicano, seu de *Mancio*, hæc scribit idem *Orlandinus* libro 13. Numero trigesimo octavo: *Plurimùm profecit Mancii quoque sententia, qui sacro Prædicatorum ex Ordine vir magni nominis, in Hispania, Complutique nobilis Professor Divinæ Sapientiæ, idemque cùm perstudiosus Familiæ nostræ, tùm ipsi Præsuli Toletano percharus erat, permisso ejus examini Exercitiorum Volumine, eoque accuratè perlecto, libera voce respondit, nihil se in eo deprehendisse censorià notà, vel animadversione dignum*. Eamdem in Dominicanos grati animi

mi significationem exhibet *Sacchinus*, alter Historiæ Societatis Jesu Scriptor, seu Continuator, qui libro 4. Historiæ Societatis Jesu Num. 150. testatur, Collegium Braccarense Patrum Societatis Jesu munificentiâ *Bartholomæi à Martyribus* Archiepiscopi Braccarensis, Ordinis Prædicatorum, fuisse extructum ac locupletatum; & libro 11. Numero 99. asserit, Societatem Jesu à *Ludovico Granatensi*, nobili Familiæ Dominicanæ Scriptore, plurimùm in Lusitania adjutam & auctam fuisse, atque apud Reges, summâ, quâ valebat, gratiâ commendatam. Sed, missis aliis benèmultis testimoniis benevolentiæ, quæ memorant duo illi Societatis Jesu Historiæ Scriptores, existimo, ardentissimum illud Dominicanorum in nascentem Societatem studium illustriori exemplo comprobari haud posse, quàm S. *Pii V.* Pontificis Maximi, ex Ordine Prædicatorum assumpti, qui prætèr innumera privilegia, quæ Societati Jesu indulsit, voluit insupèr, ut Patres ejusdem Societatis in Basilica Vaticana S. *Petri* Pœnitentiariorum munere fungerentur, eosque prætulit Religiosis Familiæ suæ Dominicanæ, quos dumtaxat in Basilica Liberiana S. *Mariæ Majoris* Pœnitentiarios constituit. Hæc omnia brevitèr referre operæ pretium duxi, ut indè intelligas, Familiam Dominic. in Soc. Jesu optimè fuisse & etiamnùm esse affectam. De Viris doctrinâ & Vitæ sanctimoniâ illustribus, qui Sæculo XVI. ex Societate Jesu prodierunt, sat in superiori Colloquio diximus. De Missionibus verò, quas apud Indos Orientales, Japonios, Æthyopes, Congitanos, Sinas, aliasque Gentes remotissimas, suscepit florentissima illa Societas,

cietas, cùm hìc differere nimis longum esset, author tibi sum, ut legas, si tibi per otium liceat, illos Scriptores, qui, semoto partium studio, Missiones & labores novissimorum istorum Apostolorum sincero, & non venali calamo, descripserunt.

D. Mirum profectò mihi accidit, quod mox ajebas, videlicèt Patres Societatis Jesu voto paupertatis, quo illos obstrinxit S. *Ignatius*, eminere supra ipsos Religiosos FF. Minores, etiam Capuccinos. Hactenùs siquidem, ut candidè fatear, nesciebam, Patres Societatis Jesu non solùm cum FF. Minoribus & Capuccinis de paupertate contendere, verùm etiam illis superiores esse. Sed quoniam in Capuccinorum sermonem incidimus, obsecro te, ut hìc breviter ostendas, quem Authorem habeant, quamve Disciplinam regularem sequatur Ordo Capuccinorum?

M. Ordo Capuccinorum Authorem habuit F. *Matthæum de Bassio*, ex Umbria oriundum, Ordinis Minorum Observantium, qui anno MDXXV. severioris pœnitentiæ, & angustioris paupertatis studio inflammatus, unà cum *Ludovico*, & *Raphaele* Forosemproniensibus, instituit Congregationem FF. Minorum Eremitarum, qui à Capuccio acuminato dicti sunt Capuccini. Hanc Congregationem approbarunt Romani Pontifices *Clemens VII.* anno MDXXVII. *Paulus III.* anno MDXXXV. eamque multis privilegiis exornarunt S. *Pius V. Sixtus V. Paulus V. Gregorius XIV. Urbanus VIII.* & *Gregorius XV.* Olim Capuccini regebantur à proprio Vicario Generali ab ipsis quidem electo, sed à Ministro Generali FF. Minorum Conventualium instituendo. Sed posteà Fratrum Minorum Con-

ventua-

ventualium jugum, favente Sede Apoſtolicâ, excuſſerunt Capuccini, & Miniſtrum Generalem eligendi facultatem obtinuerunt. *Bernardinum Ochinum*, qui à Fide Catholica ad Hæreſim Antitrinitariorum defecit, Authorem fuiſſe Ordinis Capuccinorum, fabula eſt, quam meritò explodit *Zacharias Boverius* in Annalibus Capuccinorum, ſicut jam in Colloquio tertio, agendo de *Bernardino Ochino*, obſervavimus. Diſciplinam Regularem, quam ſequuntur Capuccini, elegantiùs deſcribere haud poſſum, quàm mutuando verba *Antonii Mariæ Gratiani* in Vita *Joannis Franciſci Commendoni* Cardinalis, ubi hæc habet: *Horum*, ſeu Capuccinorum, *eſt Vita omnis dura atque inops; cibus illis victuſque in dies quæſitus ſimplex ſine lenocinio, aut conditione ulla: pellere non irritare famem, corporique alimenta præbere, non etiam oblectamenta volunt, quod crebris inſuper jejuniis, vigiliiſque exercitum, domitumque habent, quò purior mens, ſolutiorque divinarum rerum contemplationi atque cultui vacet. Veſtitus, cateræ vitæ congruens, horridus, viliſque, unicà tunica ac brevi pallio operiuntur, è ciliciis, aut non abſimili materia confectis, perpetuoque iiſdem nullo æſtatis, aut hyemis diſcrimine, ſine calceis nudo pede per nives, per ſaxa aſpretaque incedunt, crepidati tantùm ſacra faciunt. Quietem aut humi, aut peranguſto grabato, ſtramentove recumbentes, capiunt, non aliâ, quàm quà amiciuntur veſte contecti. Domicilia eorum rarò in Urbibus, pleraque omnia in ſolitudine hominum. Denique omnis eſt in eo diſciplina, ut à corpore, humaniſque curis abſtractus animus, divinis operetur rebus, paupere victu, cultuque & religione gaudens*. Multi

Vitæ

Vitæ ſanctimoniâ conſpicui ex Capuccinorum Ordine prodierunt, quos inter B. *Felicem à Cantalicio* Sanctorum Faſtis *Clemens XI.* Pontifex Maximus ſolemni Eccleſiæ ritu adſcripſit die XXII. menſis Maji anni MDCCXII.

D. Quænam fuerunt exordia & incrementa Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum?

M. *Cajetanus Tienæus*, nobilis Vincentinus, unà cum tribus Sociis, quos inter eminebat *Joannes Petrus Carafa*, Archiepiſcopus Theatinus, qui poſteà fuit Summus Pontifex, dictus *Paulus IV.* Ordinem Clericorum Regularium anno MDXXIV. inſtituit, qui *Theatini* fuerunt appellati à *Joanne Paulo Carafa*, qui, ut mox dixi, fuit Archiepiſcopus Theatinus, & deinde Pontifex Maximus, dictus *Paulus IV.* Tribus ſolemnibus Votis, quæ ſunt cæteris Regularibus communia, hoc peculiare adjecerunt inſtitutum, non tantùm ne quid poſſideant, verùm etiam, nec mendicando aut poſtulando vitam ſuſtentent, ſed ſpontaneis dumtaxat oblationibus & eleemoſynis alantur, &, abjectâ prorsùs rerum terrenarum ſollicitudine, in ſolo providentiæ ſinu quieſcant. Hic Ordo, quem *Clemens VII.* Pontifex Maximus Conſtitutione datâ die XXIV. menſis Junii anni MDXXIV. approbavit ac plurimis gratiis auxit, non potuit propter arctiſſimum Vitæ inſtitutum latè propagari. Si enim excipias Italiam, in qua hic Ordo plures habet domos, in Galliis unicam, in Germania quatuor, in Hiſpania quinque, in Luſitania unam, in Polonia unam, & in Urbe Goa unam tantùm poſſidet. Verùm, quamvis hic Clericorum Regularium Theatinorum Ordo non ſit latè diffuſus, innu-

innumeros tamen è ſuo ſinu emiſit Miſſionarios, qui in Indiis Orientalibus, in Ruſſia, & aliis Provinciis adjacentibus Catholicam Fidem ardentiſſimo zelo ſuccenſi propagarunt. Protulit etiam idem Ordo Clariſſimos Concionatores, qui in Italia & aliis regionibus reformationem Cleri, & morum populi depravati emendationem fervidis ſuis Concionibus feliciter promoverunt. Peperit quadringentos & ampliùs Scriptores eximios, qui de Theologia Scholaſtica, Polemicâ, Exegeticâ, Aſceticâ complures ediderunt libros omnigenâ eruditione refertos. Dedit Eccleſiæ ducentos & amplius aut Archiepiſcopos, aut Epiſcopos; Cardinales quinque, quorum unus, ſeu *Joannes Petrus Carafa* ad Summum Pontificatum provectus eſt, dictusque *Paulus IV.* Denique, inter plures Alumnos ſuos Vitæ ſanctimoniâ conſpicuos, duos hic Ordo habere meruit ſolemni ritu ab Eccleſia in Sanctorum album adſcriptos, videlicet S. *Cajetanum Tienæum*, quem *Clemens X.* Summus Pontifex Sanctorum numero accenſuit, & S. *Andream Avellinum*, quem nuperrimè, hoc eſt, die XXII. menſis Maji anni MDCCXII. *Clemens XI.* Sanctorum Faſtis inſeruit. Horumce Sanctorum veſtigia preſſit *Joſephus Maria Thomaſius*, Cardinalis ejuſdem Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Alumnus, qui, ut ſuperiùs obſervavi, paucis ab hinc annis Romæ ſanctè obiit, & quinto ab ejus obitu menſe *Venerabilis* titulo donatus eſt à Summo Pontifice *Clemente XI.* qui etiam juſſit, ut quamprimùm fierent Proceſſus & Scripturæ de fama ſanctitatis Venerabilis illius Servi Dei, de Heroicis ejus virtutibus, Miraculiſque ab eo patratis,

tratis, ut plenâ ac distinctâ de iis omnibus habitâ relatione, ad solemnem piissimi hujus Cardinalis Beatificationem procedi possit.

D. Perge, quæso, aliorum Regularium Ordinum, qui Sæculo XVI. fuerunt instituti, breviter, quoad ejus fieri poterit, referre originem.

M. Ordo Charitatis, ut in Gallia nuncupatur, à *Joanne de Deo*, natione Lusitano, ad officia charitatis erga pauperes, præsertìm infirmos, institutus, initium Granatæ, anno MDXXXVIII. habere cæpit, sed non nisi Kalendis mensis Ianuarii anni MDLXXII. confirmatus est à S. *Pio V.* Pontifice Maximo, eumque tandem in Italia, Germania, Gallia, & Polonia propagatum *Paulus V.* Pontifex Maximus, tribus solemnibus votis, obedientiæ, castitatis & paupertatis, quarto addito voto de curandis infirmis, in Cætum verè regularem erexit anno MDCXVII. Hic Ordo apud Italos vulgò nominatur: *Fate ben Fratelli*, totusque, non in acquirendis scientiis versatur, sed in curandis infirmis pauperibus occupatur, quibus summâ charitate inservit. S. *Joannes de Deo* istius Ordinis Parens, vitæ Sanctimoniâ & miraculis clarus, in Beatorum numerum ab *Vrbano VIII.* die XXI. Septembris anni MDCXXX. relatus est, & posteà ab *Alexandro VIII.* Catalogo Sanctorum adscriptus fuit XVII. Kalend. Novembris anni MDCXC.

Ordinem Carmelitarum ad antiquam primæ Regulæ, & priscæ Disciplinæ observantiam restituit Sæculo XVI. Sancta *Theresia de Jesu*, nobilis virgo Abulensis, quæ plurima tum Discalceatorum Fratrum, tum Sacrarum ejusdem Instituti ac Reformationis Virginum condidit intra breve tempus

pus

pus Monasteria, bonum Christi odorem ubique spirantia. In ea promovenda Carmelitarum Ordinis instauratione consiliis & operâ Dominicanorum usa est Beata *Theresia*. Illa quippè, dùm mente agitaret egregium istud facinus, scripsit Epistolam ad S. *Ludovicum Bertrandum*, Dominicanum, eximiis virtutibus ornatum, eumque rogavit, ut consilium mentemque suam eâ de re aperire non gravaretur. Annuit vir ille Sanctissimus, & post tres menses, quibus divinum numen ferventioribus solitô precibus solicitavit, rerum omnium serie, futurique Ordinis cumulatissimâ gloriâ divinitùs agnitâ, rescripsit, admovendam esse absque ulla cunctationes operi manum, & post quinquaginta annos nullum futurum clariorem in Orbe Ordinem, nullique Sanctitate & doctrinâ inferiorem, quem Sancta illa Virgo moliebatur. Quo responso accepto, confestim jacta sunt reformationis Carmelitarum Ordinis fundamenta, & oraculi simul & voti S. *Ludovici Bertrandi* veritatem brevì eventus subsecutus comprobavit. Et sanè, ut nihil in præsentia dicam de innumeris penè viris, qui Sanctitate conspicui, & in Perside pro Fidei propagatione Apostolicis laboribus clari ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum promanarunt, certum est, hunc Ordinem doctissimos protulisse Theologos, quorum accessione maximè illustrata est Schola S. *Thomæ*, cujus illibatæ doctrinæ speciali Statuto, hactenùs sanctissimè observato, hujus Ordinis Viri Religiosi sese addixerunt. Quot enim & quàm egregii Theologi Carmelitæ Discalceati in Divo Thoma Aquinate illustrando sudarunt, quibus non habuit Angelicus Doctor for-

tiores pugiles, nec acriores vindices adversarii etiamnùm persentiunt? Norunt omnes, quantum in eo scribendi genere laudis consecuti sint Carmelitæ Discalceati Complutenses Philosophi, & Salmanticenses Theologi, qui fidelissimi doctrinæ S.*Thomæ* interpretes, Scriptis luculentissimis germanam Sancti illius Doctoris mentem, ejusque reconditos sensus toti Orbi litterario patefecerunt. Hæc Clarissima Theresiani Ordinis Lumina inter sua Scholæ Thomisticæ ornamenta reponere non dubitat Dominicana Familia, maximè cùm inviolabile utriusque Instituti, Theresiani videlicèt & Dominicani, fœdus, junctis mutuâ Charitate, quæ nunquàm dissolvetur, animis, utriusque Ordinis gloriam & communem & individuam efficiat. Sed de Sacro illo Carmelitarum Discalceatorum Ordine, qui proprium Præpositum Generalem habet, quemque *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus die XXII. mensis Junii ann. MDLXXX. approbavit, plura legesis in ejus Annalibus, & apud *Aubertum Miræum* in Originibus Monasticis.

D. Quem Authorem habuerunt illæ Congregationes, quas Sæculo XVI. ad Regularis Disciplinæ incrementum institutas pauló superiùs memorasti?

M. Congregatio Clericorum Regularium, qui *Somaschi* appellantur à loco ita dicto, qui est Mediolanum inter & Bergomum, Authorem habet *Hieronymum Æmilianum*, nobilem Venetum & Senatorem, qui multos nobiles Laicos, & nonnullos Sacerdotes anno MDXXXI. congregavit ad gerendam Orphanorum curam, ut videlicet certis

tis in locis collecti educarentur, & in pietate, litteris, vel artium Mechanicarum tyrocinio instituerentur. Hanc Congregationem *Somaschorum* (qui etiam appellantur *Clerici Regulares S. Majoli de Papia*, à loco, ubi fuit primum hujus Congregationis Collegium) approbavit *Paulus III.* anno MDXL. Privilegiis ornavit *Paulus IV.* Facultatem verò emittendi solemni ritu tria vota Regularia concessit *Pius V.* Cum hac Clericorum Regularium Congregatione *Somascha* Sodalitatem *Christianæ Doctrinæ*, quæ sub *Pio V.* anno MDLXXI. institui cœperat, ut pueri, aliique divinæ legis ignari sacrâ doctrinâ erudirentur, *Paulus V.* anno MDCXVI. certis legibus unitam voluit.

Congregatio Fratrum Minorum S. *Francisci* strictioris Observantiæ instituta est à quibusdam ejusdem Ordinis Professoribus, quos postea *Recollectos* nuncuparunt, eò quòd Regulam S. *Francisci* purè, juxta Litteram & Declarationes *Nicolai III.* & *Clementis V.* Romanorum Pontificum, observare satagerent. Hanc *Recollectorum* Congregationem confirmavit *Clemens VII.* decimo sexto Kalendas Decembris anni MDXXXII.

Congregationi Clericorum Regularium S. *Pauli Decollati* initium dederunt Mediolani anno MDXXVI. viri quidam ejusdem Civitatis Nobiles, qui ferventissimis *Seraphini Firmani* Canonici Regularis concionibus ad contemptum mundi, & Dei amorem inflammati, homines ad pœnitentiam adhortari, eosque publicâ S. *Pauli* Epistolarum lectione benè vivendi normam edocere cœperunt, ac multis ex illis in suum consortium adsciverunt, ex quibus tandem coaluit hæc Con-

gregatio Clericorum Regularium S. *Pauli Decollati*, qui vulgò appellantur *Barnabitæ*, à S. *Barnabæ* apud Mediolanum Basilicâ, quæ ipsis ad peragenda officia sua concessa est. Hanc Congregationem *Clemens VII.* die XVIII. Februarii anni MDXXVIII. approbavit, multisque Privilegiis donarunt *Paulus III. Julius III. Gregorius XIII. Sixtus V.* & *Paulus V.* quorum Constitutiones in Bullario Romano legi possunt.

Congregatio Clericorum Regularium ministrantium Infirmis Authorem habet *Camillum de Læliis*, Theatinæ Diœcesis Presbyterum, à quo Romæ fuit instituta, & posteà à *Sixto V.* Pontifice Maximo approbata est die XVIII. mensis Martii anni MDLXXXV. Ejusdem Congregationis Regulam confirmavit *Gregorius XIV.* die XXI. Septembris anni MDXCI. eamque deinde reformavit *Clemens VIII.* Kalendis Januarii anni MDC. Horum Pontificum Romanorum Constitutiones eâ de re editæ extant in Bullario Romano. Congregationi *Beatæ Mariæ Fuliensis*, exordium dedit anno MDLXXVII. *Joannes Barreria*, gallicè *De la Barriere*, Cadurcensis, Monasterii Fuliensis, Ordinis Cistercienfis, in Diœcesi olim Tolosanâ, nunc Rivensi, Abbas, qui Monachos ad severiorem disciplinam, primævumque SS. *Benedicti & Bernardi* Institutum, per carnis abstinentiam, aliaque arctissima Statuta reduxit. Hanc *Fuliensium* Congregationem approbavit *Sixtus V.* die V. Maji anni MDLXXXVI. eamque posteà *Clemens VIII. & Paulus V.* Abbatis Cistercienfis jurisdictioni ac subjectioni exemerunt, variisque Privilegiis auxerunt. Congregatio Clericorum Regularium Minorum insti-

instituta est à *Joanne Augustino Adorno*, Genuensi Presbytero, fuitque confirmata à *Sixto V.* anno MDLXXXVIII. Præter has Congregationes, aliæ Sæculo XVI. prodierunt, nimirùm Congregatio Discalceatorum Ordinis S. *Augustini*, quæ à *Clemente VIII.* anno MDXCV. approbata est; Congregatio Discalceatorum *Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum*, quæ itidem à *Clemente VIII.* fuit confirmata. Monasteria Ordinis S. *Basilii* in Italia, Sicilia, & Hispania in unam Congregationem sub Abbate Generali anno MDLXXIX. reduxit *Gregorius XIII.* Pontifex Maximus. Annuens etiam idem Summus Pontifex precibus S. *Philippi Nerii*, Presbyteri Florentini, ac Præpositi nonnullorum Presbyterorum Sæcularium in modum Congregationis sub ejus directione viventium, concessit ei anno MDLXXV. Ecclesiam Parochialem S. *Mariæ Vallicellæ*, in qua ab ipsis & cura animarum excerceri, & peculiaria eorumdem Presbyterorum & Clericorum Instituta celebrari possent, indèque fluxit *Oratorii Congregationis* institutio, cujus Constitutiones anno MDCXII. approbavit *Paulus V.* Summus Pontifex. Hæc Congregatio *Oratorii* (teste Spondano ad annum MDLXXV. Num. XI.) viguit sub eodem *Philippo Nerio*, ejus Institutore, pietate & doctrinâ, viros producens, utrâque eâ virtute, aliisque Christianis dotibus insignes. Inter quos eminentissimè præcelluit *Cæsar* ille *Baronius*, cujus nomen per universum terrarum Orbem in benedictione & laude existit, eratque jam tum in contubernio *Philippi Nerii*, celebris hujus Congregationis conditoris. Si plura de Congregationis Oratorii Instis-

tutione ſcire deſideres, legeſis mox citatum Cardinalem *Baronium*, qui Tomo I. Annalium Eccleſiæ ad annum Chriſti LVII. Num. 164. pluribus oſtendit, Congregationis *Oratorii* inſtitutionem apprimè reſpondere formæ Conventûs ab Apoſtolo *Paulo* præſcripti Capite decimo quarto Epiſtolæ ſuæ primæ ad Corinthios. Hìc tantùm obiter dicam, S. *Philippum Nerium*, celeberrimæ Oratorii Congregationis Parentem, Ordini quoque FF. Prædicatorum amantiſſimum juxtà ac beneficentiſſimum Patrem ſe ultrò, dùm viveret, præbuiſſe. Solebat quippè, ut teſtatur *Riccius* in ejus Vita, Choro cum Dominicanis, ſæpè nocturno etiam tempore, adeſſe, Theologos hujus Ordinis libenter auſcultare, Juvenes Novitios Conventus Minervitani ad pietatem informare, frequentibus colloquiis dignari, eorum corda ſuperno gaudio replere, tantoque ſtudio Familiæ Dominicanæ commoda procurare, ut, quotiès res Dominicanæ Familiæ, ſibi chariſſimæ, in diſcrimen aliquod adducerentur, illicò *Philippus Nerius* Oratione, ſui corporis afflictionibus, miraculis etiam, imminentia damna procul depelleret. Hæc S. *Philippi Nerii* ergà Prædicatorum Ordinem, cujus ipſe alumnus ſum, ſingularis benevolentiæ, ac paterni amoris argumenta, non ſolùm publicis Ordinis noſtri conſignata monumentis, verùm etiam cordibus omnium Dominicanorum, velut tabulis ære perennioribus, ſemper inſculpta permanebunt, noſque ad ſinceris animis colendam ac ſingulari veneratione proſequendam Oratorii Congregationem, à Sancto illo Benefactore noſtro & in Cœlis patrono inſtitutam, continuò, velùt admotis ſtimulis,

mulis, provocabunt. Hic tamen velim advertas, hanc Oratorii Congregationem, quam S. *Philippus Nerius* in Italia fundavit, & *Gregorius XIII.* approbavit, esse planè diversam ab eâ Congregatione piorum Sacerdotum, quam anno MDCXIII. sub nuncupatione *Oratorii Jesu Christi Domini Nostri*, ad petitionem *Mariæ Mediceæ* Reginæ, & *Henrici Gondii*, Archiepiscopi Parisiensis, in Regno Galliæ institutam *Paulus V.* Pontifex Maximus approbavit. Hujus siquidem Gallicanæ Congregationis *Oratorii Jesu*, quæ paulatim per omnes penè, aut saltèm præcipuas Galliarum Regni Civitates, non exiguo populorum fructu, dilatata est, quæque doctissimos Theologos, eximios Concionatores, egregios Scriptores Asceticos & Scripturæ Sacræ Interpretes protulit, Institutor, primusque Generalis Præpositus fuit *Petrus de Berulle*, Presbyter Parisinus, posteà S. R. E. Cardinalis.

D. Quænam Sæculo XVI. viguit in Religiosis Ordinibus Monastica, sive Regularis Disciplina?

M. Synodus Tridentina circa Monasticam seu Regularem Sæculi XVI. Disciplinam Sess. XXV. multa decrevit, quæ hìc delibare sufficiet. Et primò quidem in antecessum observare debes, gravem abusum in Galliis Sæculis Ecclesiæ XV. & XVI. irrepsisse circà nominationem ad Abbatias Regulares, quæ non Viris Religiosis conferebantur, sed Clericis Sæcularibus commendabantur, indèque dicebantur *Abbates Commendatarii*, qui Monasteriorum bona dilapidabant, quodque gravius est, in causa erant, cur Disciplina omnis Monastica in Cœnobiis cessaret, frigeret ac penitùs extin-

 guere.

gueretur cultus divinus, omniaque ædificia tàm lapidea, quàm spiritalia funditùs diruerentur. In hunc pestilentem abusum in Galliis grassantem *Joannes Caruajal*, Portuensis Episcopus & Cardinalis, coram *Paulo II.* Pontifice Maximo (sicut refert Cardinalis Papiensis Epistolâ nonagesimâ tertiâ) acritèr invectus est in hunc modum: *Vereor, Beatissime Pontifex, ne propediè m audiamus omnia Galliarum Cœnobia commendata esse, & nullum reliquum quod Abbatem suum habeat: ita quidquid ibi à nobis decernitur, Commendatio est....... Approbavit Judicium Pontifex, & adjecit, credere se à Pantificatu Callixti in eam diem ampliùs quàm quingenta Monasteria esse jam commendata, atque adeò in metu sibi esse, ne corruptela hæc maturiùs opinione in scandalum grave erumperet.* Subdit Cardinalis Papiensis: *Commendandorum ab initio Cœnobiorum non ea fuit ratio Patribus nostris, ut saginæ Ecclesiasticorum illa darentur, sed ut fide & studio Majoris alicujus ea, quæ occupata à Sæcularibus essent, redimerentur, & divinus cultus in pristinum statum revocaretur. Deflexit res, & in abusum hunc venit odibilem Deo, & sorti nostræ infamem.* Ad quæ Cardinalis Papiensis verba *Henricus Spondanus* in Annalibus Ecclesiæ ad annum MCCCCLXIV. hæc subjungit: *Si Cardinalis Papiensis infamiam erubescebat Commendationum Ecclesiasticis factarum, quid dixisset de infamissimo subsecuto abusu concedendi illas non solùm Sæcularibus, verùm & persæpè turpibus & indignis personis? Sed quoniam in hæc frequentissimè conclamatum est, semperque in cassum; ne nos inutili labore stylum in eadem acuamus, Papirii Massoni, pii Viri, in suis Pontificum ac Regum Fran-*

Francorum Historiis, verba referre liceat, exclamantis: O incestuosas Beneficiorum perpetuas Commendationes! quo errore Gallia in funestum penè morbum incidit. Absentibus enim Episcopis, & Monasteriorum legitimis verisque Patribus, oves deglubi necesse est, templa dirui, disciplinam ruere, plurimos ab Ecclesia abigi, litterarum studia deseri, & aulicos, corruptissimum hominum genus, pinguedine Ecclesiasticà inflatos intumescere, vendique & emi passim Sacerdotia, quod cùm olim simonia esset, hodiè industria censetur. Sed hujusmodi homines immortalis Deus, etsi serò, graviter tamen ulciscetur. Ad hunc itaque abusum, qui præsertim in Galliis Sæculo XV. & XVI. gliscebat, penitùs exterminandum omnem curam ac diligentiam Romani Pontifices adhibuerunt, præcipuè *Leo X.* in Concilio Lateranensi Sessione IX. ac tandem Synodus Tridentina, quæ Sessione XXV. Cap. XXI. *de Regularium Reformatione*, sanxit ut Monasteria deinceps Regularibus conferrentur, & Ordinum Capita nemini commendarentur: *Cùm*, inquiunt Patres Tridentini, *pleraque Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositura, ex mala eorum, quibus commissa fuerunt, administratione, non levia passa fuerint tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus detrimenta; cupit Sancta Synodus ea ad congruam Monasticæ Vitæ Disciplinam omninò revocare. Verùm, adeò dura difficilisque est præsentium temporum conditio, ut nec statim omnibus, nec commune ubique, quod optaret, remedium possit adhiberi. Ut autem nihil prætermittat, undè prædictis salubriter aliquandò provideri possit, primùm quidem confidit, Sanctissimum Romanum Pontificem pro sua pietate & prudentia cura-*

curaturum, quantùm hæc tempora ferre posse viderit, ut iis, quæ nunc commendata reperiuntur, & quæ suos Conventus habent, Regulares Personæ ejusdem Ordinis expresè professæ, & quæ gregi præire, & præesse possint, præficiantur. Quæ verò in posterum vacabunt, nonnisi Regularibus spectatæ virtutis, & sanctitatis conferantur. Quoad ea verò Monasteria, quæ Capita sunt ac Primates Ordinum, sive Abbatiæ, sive Prioratus, quæ filiæ illorum Capitum nuncupantur, teneantur illi, qui in præsenti ea in Commendam obtinent, nisi sit eis de Regulari Successore provisum, infra sex menses Religionem illorum Ordinum propriam solemniter profiteri, aut iis cedere; aliàs Commendæ prædictæ ipso jure vacare censeantur.
Optandum quidem fuisset, ut hoc saluberrimum Concilii Tridentini Decretum ubique locorum fuisset executioni mandatum, sed non tulit temporum iniquitas, ut istud Disciplinæ Caput in omnibus Regnis ac Provinciis obtineret. Hinc etiamnùm Galliarum Rex, Sedis Apostolicæ indulgentiâ, consuetudine & possessione firmatâ, Clericos Sæculares ad Abbatias & Prioratus Regùlares nominat, sed eâ tamen lege, ut solo Commendationis titulo ea Beneficia Regularia possideant. Hìc tamen obitèr advertere debes, non esse per se & intrinsecùs deformes illas Monasteriorum Commendationes, quæ Sæcularibus Clericis benè meritis fiunt, immò in Ecclesiæ bonum cedere, si Abbates Commendatarii Ecclesiasticis redditibus, tanquàm fideles dispensatores, utantur, non ut domini; si credita sibi Monasteria, omni adhibitâ curâ tueantur, si res ipsorum cùm spirituales, tùm temporales, pro viribus promoveant,

veant, nec dissipari sinant, si ut Patres ac protectores Monachorum se gerant, si ædificia collabi, si pessumdari disciplinam Monasticam, si numerum Monachorum debitum ad Officia divina ritè celebranda, eorumque jura ac privilegia imminui non permittant, si eleemosynas erogent, hospitalitatem exerceant, vel ut hæc pietatis & justitiæ officia à Monachis impleantur, ex sua reddituum portione aliquid decerpant & conferant. Hanc esse Ecclesiæ mentem, Monasteria, seu Abbatias aut Prioratus Regulares Clericis Sæcularibus commendantis, certissimum est, contra quam qui operantur, æternam sibi damnationem accersunt.

Secundò, ad restaurandam Monasticam Disciplinam Synodus Tridentina in Decreto de Regularibus & Monialibus, quod XXII. Capitulis constat, jubet, ne professio religiosa, sive virorum, sive mulierum fiat, nisi exacto integro probationis anno, & decimo sexto ætatis anno completo, professionem verò ante hunc annum factam, irritam declarat. Tertiò, præcipit eadem Sancta Synodus, ut Regulares omnes tàm viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant: *Quò faciliùs ac maturiùs ubi collapsa est vetus & regularis Disciplina instauretur, & constantiùs, ubi conservata est, perseveret, præcipit* (Sancta Synodus) *ut omnes Regulares, tàm viri, quàm mulieres, ad suæ professionis perfectionem, obedientiæ, paupertatis, & castitatis ac si quæ alia sunt alicujus regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, necnon ad communem vitam, victum & vestitum pertinentia, fideliter observent, omnisque cura & diligentia à*

Superioribus adhibeatur, tàm in Capitulis Generalibus & Provincialibus, quàm in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedant: cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim ea, quæ bases sunt & fundamenta totius disciplinæ regularis exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. Quartò, Synodus Tridentina omnibus Monasteriis, exceptis tamen Conventibus Capuccinorum, & Minorum de Observantia, permittit, ut bona immobilia possideant, omnibus tamen Regularibus proprietatem vetat, ipsisque districtè prohibet, ne à suis Conventibus recedant, *etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum, tanquàm desertor sui Instituti, puniatur, illi autem, qui studiorum causà ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, alioqui ab Ordinariis contra eos procedatur.* Quintò, statuit Synodus Tridentina, ut *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Sextò, præscribit eadem Synodus rationem eligendi Superiores, decernitque, id fieri debere per vota secreta. Declarat insuper, quo pacto procedendum sit erga eos, qui post emissam professionem reclamant, & ad sæculum redire volunt: *quicumque*, ait

ait Sancta illa Synodus, *Regularis prætendat, se per vim aut metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum esse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quàcunque ex causa, aut etiam cum habitu sine licentia Superiorum discedere: non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die professionis & tunc non aliter nisi causas, quas prætendit, deduxerit coram Superiore & Ordinario. Quòd si ante habitum spontè dimiserit, nullatenus audiatur, nec ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur*. Postremò, Synodus Tridentina prohibet Regularibus, ne in Ecclesiis, etiam suorum Ordinum, *contradicente Episcopo*, Conciones habeant: Ne promulgent Indulgentias absque Episcoporum licentiâ & mandato: Ne privatis in domibus, seu Oratoriis, quæ sunt extra Ecclesiam, Missæ sacrificium celebrent: Ne in minori ætate, quàm quæ ab eadem Synodo Tridentina præscripta est, & sine diligenti Episcopi examine ordinentur: Ne confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum audiant, nisi sint ab Episcopis approbati: Ne Monasteria tàm Virorum, quàm Mulierum erigant, sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentiâ priùs obtentâ. Hæc sunt in summâ utilissima Decreta, quæ pro Reformatione Monasticæ seu Regularis Disciplinæ sanxit Synodus Tridentina, ad quorum normam faxit Deus, ut omnes Monasticæ, aut Regularis vitæ professores vitam suam exigant, morum innocentiam sectentur, mundi negotiis & illecebris non implicentur, atque primitivam Observantiam jugitèr colant, ne, si laxiori Disciplinâ à san-

à sanctissimis Majorum suorum Institutis desciscant, experiantur tandem verum esse, quod S. *Bernardus* in Apologia ad *Guillelmum* Abbatem scripsit: *Quis in principio cùm Ordo cœpit Monasticus, ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantùm distamus ab iis, qui in diebus Antonii extiterunt Monachi! sic Macarius vixit? sic Basilius docuit? sic Antonius instituit? sic Patres in Ægypto conversati sunt?*

D. Ediditne Concilium Tridentinum aliqua Statuta ad conservandum vigorem Disciplinæ, quam Moniales juxta Sacros Canones observare tenentur?

M. Concilium Tridentinum Sess. xxv. nonnulla pro Monialibus edidit Decreta, quæ hic inserere non abs re erit. Primùm quidem jubet Sancta Synodus Tridentina Episcopis, ut Clausuræ Monialium curam habeant, eamque, ubi violata fuerit, diligenter restituant, ac inobedientes, per Censuras Ecclesiasticas, quâcumque appellatione postpositâ, compellant. Verùm, quia non sufficit, ut Moniales, quæ mundo nuncium penitùs remiserunt, Clausuram observent, sed debent insuper soli Deo, orationi, precibus, piorum librorum lectioni, & aliis id genus spiritualibus exercitiis vacare, atque à vanis hominum Colloquiis abstinere; ideò justâ de causa Sacra Congregatio, Concilii Tridentini Interpres, declaravit, peccare mortaliter Regulares, qui absque licentia Crates Monasteriorum Monialium adeunt, ut cum eis colloquantur. Hæc Sacræ Congregationis Concilii Interpretis Declaratio à Summo Pontifice *Clemente IX.* approbata, his verbis concepta est:

Die

Die 11. Maji 1669. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, habitâ notitiâ, quòd nonnulli Regulares absque licentia Crates Monasteriorum Monialium adire & frequentare non dubitent, prætendentes, non esse interdictum per breve tempus, etiam usque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquandò metiuntur, Moniales, aliasque personas intra Clausuram existentes, alloqui, & hanc opinionem tanquam tutam affirment, disseminent, & etiam in scriptis forsan evulgent, proprias graviter illaqueantes conscientias, & scandala confoventes; ad hujusmodi perniciosos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, rejiciens & damnans, declaravit, Regulares cujuscumque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, Instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad Monasteria Monialium, quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibèt exempta, & etiam ipsis Regularibus subjecta, vel aliàs speciali mentione digna, absque legitima facultate accedunt, colloquendo, etiam per quodcumque modicum tempus, cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis & privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasteria Monialium statutis pœnis posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato, carcerari. Et die 7. Junii ejusdem anni, facta relatione SS. D. N. Sanctitas Sua præsentem declarationem approbavit, ac typis dari, servarique jussit. Eamdem Declarationem, quæ districtè prohibet, ne Regulares colloquia misceant cum Monialibus, cùm aliqui, variis adhibitis interpretationibus, emollire, aut eludere

dere tentarent, Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, denuò confirmavit, & confictas illas Interpretationes damnavit die 21. mensis Maji anni 1678.

Præterea, Sancta Synodus Tridentina ejusdem Sessionis xxv. Cap. xviii. anathemati subjicit omnes & singulas personas cujuscumque qualitatis & conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laïcos, Sæculares, vel Regulares, atque etiam quâlibet dignitate fulgentes, si quomodocùmque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam ad ingrediendum in Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium, vel favorem dederint, quique scientes, eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Id autem sapientissimè decrevit Concilium Tridentinum ad cohibendam insatiabilem cupiditatem parentum, qui (ut ait Concilium Remense anno MDLXXXIII. Titulo de Regularibus & Monasteriis Num. 3.) *Liberis ingressum Religionis procurant, vel quòd naturà sint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitiosi, aut valdè deformes, vel certè ut aliis liberis, istorum quasi ablegatione, ampliores relinquant opes.*

Tertio, Synodus Tridentina sancit, ut Moniales singulis saltem mensibus Confessionem peccatorum faciant, Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant,

ſcipiant, eoque ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortitèr ſuperandas. Jubet tamen eadem Synodus Epiſcopis, & aliis Superioribus, ut bis, aut ter in anno offerant Confeſſarium extraordinarium, qui omnium Monialium Confeſſiones audiat. Denique, ne Moniales cauſas identidèm prætexerent exeundi è Monaſterio, & hàc illàc vagandi, Synodus Tridentina ſtatuit, nemini Sanctimonialium licere, poſt Profeſſionem, exire è Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, *niſi aliqua ex legitima cauſa ab Epiſcopo approbandà, Indultis quibuſcumque, & Privilegiis non obſtantibus*. Hanc autem facultatem S. *Pius V.* Pontifex Maximus in Conſtitutione, quæ incipit: *Decori*, ad tres dumtaxat caſus reſtringit, ſcilicèt *magni incendii*, vel *infirmitatis, lepræ, aut epidemiæ*. Quapropter, peccant mortaliter Superiores, qui præter tres illos caſus à S. *Pio V.* præfixos, Monialibus è Monaſterio exeundi facultatem impertiuntur.

D. Supereſt, ut ſub finem noſtri Colloquii Synopſim exhibeas doctrinæ Moralis, quæ viguit Sæculo XVI. eâdemque operâ aliquot ejuſdem Sæculi proponas Scriptores, ex quorum Operibus ſaluberrima poſſim Diſciplinæ Moralis, Vitæque Aſceticæ haurire documenta.

M. Diſciplinam morum Sæculi XVI. pleniſſimè nos docet S. *Carolus Borromæus* Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui mores ſui Sæculi, à quibus profectò mores Sæculi, in quo vivimus, non diſcepant, nativis coloribus depingit, & ad morum Diſciplinam reſtituendam efficàciſſima ſuppeditat remedia, quæ ſi mox executioni manda-

mandarentur, omni procul dubio brevì in melius mores hominum mutarentur. Audi igitur primò sanctum illum Cardinalem, animarum salutis sitientissimum, sic graphicè in Oratione Provincialis Concilii Mediolanensis sexti mores sui Sæculi describentem: *superbiæ vitio, quàm multi turgescunt? quanta indè morborum pestis, quàm profusus vestium luxus, quàm novus & inauditus pomparum apparatus, quàm varius barbarico opere ornatus, quàm innumerabilis servorum grex, quàm effusa omnium rerum profluvies..... At verò, quàm latè patet inexhausta illa pecuniæ sitis, & idolorum servitus avaritia, & illa malorum omnium radix cupiditas. ex hoc morbo nefaria quæque existunt. Hinc fæneraticii contractus, hinc mendacia, perjuriaque commerciis contrahendis, hinc falsa quæque, hinc adulterinæ & corruptæ merces, hinc doli, fallaciæ, fraudes, & subdola quæque artificia, hinc alienorum bonorum quasi aucupia, hinc judiciorum iniquitas, judicum corruptelæ, pupillorum oppressiones, viduarum desolatio, & injuria denique omnis .... Juvenes quibus cupiditatum flammis, quasi summis febrium caloribus, & concupiscentiæ igne non exardescunt? delitiis affluunt, oculos habent plenos adulterii, & flagranti isto ardore concitati, bibunt quasi aquam iniquitatem omnem.... Quàm isti petulantes! quàm contumaces! quàm effrænati! quàm projectà audacià præcipites! quàm turbulenti & domi & foris! quàm impudenti licentia ad nefaria quæque concitati! sunt plerique alii homines, qui ethnico more, & joculari quadam licentia Satanæ, larvis induti furiunt & bacchantur, choreas ducunt, tripudia agunt, spectacula prophana edunt, atque in aliis istiusmodi actionibus usque adeò insaniunt, ut*

in

in tanta peccatorum, quæ indè existunt, colluvie, ne culpam quidem agnoscant. Sunt qui præ quadam virtutum torpedine, tanquàm in mollitie carnis jacentes; ne desideria quidèm rectè agendi concipiunt, nedùm Sanctarum actionum officia exequuntur. Alii quàm plurimi ad terram proni, humi repentes, non cælestia, sed terrena tantùm spectant, & tanquàm filii terræ animo dimisso, ut pecudes ad pastum, ad crapulas & comessationes abjecti, gulæ, ventri & ganeis deditì sunt. Alii in divinis laudibus muti, & in maledictis, blasphemiis, diris imprecationibus, contumeliis exercitati sunt. Permulti item rerum divinarum, atque adeò rudimentorum fidei ignari, verè cæci sunt. At surdi quàm infiniti, qui in malè agendo sunt pertinaci animo, voluntateque obfirmata, Dei vocibus obsurdescunt. pietate non molliuntur, minis non cedunt, precibus non commoventur, mentis sensu hebescentes, pericula salutis non timent, homines non metuunt, & quod gravissimum est, Deum non verentur. Post hæc, idem Sanctus Cardinalis deplorat sui Sæculi Clericorum mores, quorum *alii*, inquit, *avari sunt, alii lites intendunt, alii studiorum prætextu ab Ecclesia absunt, à functionibus Ecclesiasticis sese abducunt, & à Clericali disciplina refugiunt. Alii scientia inflati, præ se alios etiam seniores, quos vereri debent, superbè contemnunt, Beneficia Ecclesiastica tenuia contumaciter respuunt, ampla præposterè ambiunt &c.* Viden, quàm accuratè S. *Carolus Borromæus*, vero salutis animarum zelo accensus, vitia & mores sui Sæculi describat?

D. Video sanè; sed optarem ut ea indicares remedia, quæ ad restituendam morum Disciplinam suggerit sanctus ille Cardinalis.

M. Inter multa, eaque efficacissima, quæ ad restituendam morum Disciplinam sufficit S. *Carolus Borromæus* remedia, quatuor potissimùm seligam, quæ si ad praxim redigantur, benè profectò de proxima morum emendatione sperare debemus. Primum remedium insinuat sanctus ille Cardinalis in Oratione jam citatâ, quam habuit in sexto Concilio Provinciali Mediolanensi, ubi hæc habet: *Eam ob causam, summâ animi nostri Episcopalis consensione, unâ conspiratione, uno spiritu explodantur illæ voces hominum, qui populum nostrum decipiunt, dicentes: Pax, & non est pax: quàm imperitè hoc jactitant: quàm iniquo etiam animo sunt isti, qui curant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, & non est pax. An ubi malorum lues; pacis, concordiæ, & bonorum status? an ubi variæ morborum species, recta valetudo? an ubi adhùc morum corruptelæ, disciplinæ Christianę perfectio? attendite, quæso, qui isti homines sunt cùm talia dictitant: Liniunt parietem luto absque paleis, absque temperatura: vident visionem pacis, & non est pax .... Longè absint à nobis voces istorum, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas omnes animas. Næ istis adulationum vocibus, vocumque blanditiis, cùm nos fallere studeant, tùm istis etiam illecebris populos nostros decipiunt: dicunt enim bonum malum, & malum bonum. O popule meus, quis poterit omnia mala, quæ te undique premunt, enumerando percensere? audent tamen isti à salutis via te adulationibus longiùs abducere. Popule meus, qui te in tanta malorum colluvione beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Ex quibus

bus S. *Caroli Borromæi* verbis facili negotio intelligere potes, quàm jure meritò Romani Pontifices *Alexander VII.* & *Innocentius XI.* proscripserint varias opiniones quorumdam Theologorũ, qui puras Ethices Christianæ Regulas, teneris, cereis, flexibilibus, & in quamcumque formam ductilibus institutis, dùm mollire conabantur, depravabant; atque peccatoribus, nimiâ facilitate veniæ, tribuebant incentiuum peccandi.

Alterum ad restituendam morum disciplinam remedium exhibet S. *Carolus Borromæus* in Oratione Concilii primi Provincialis Mediolanensis, ubi sic effatur: *In delictis corrigendis illa nobis ineunda ratio est, ut pro vi & modo morborum, ægrorumque natura, medicinam accommodemus, nunc lenibus admonitionis & objurgationis remediis errata castigantes, nunc acriori curatione utentes, denique exulceratis partibus ferrum & ignem admoventes, quemadmodùm mali ratio, & contagionis periculum postulabit, memores semper nos esse Patres, non Dominos. Morum autem Disciplinam facilè restituemus, si qua ratione, quibusve factis primùm constituta, diùque conservata est, eamdem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo authore, suâ virtute pepererunt. Proponamus nobis, quæso, illorum vitæ sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam. Erant integri, casti, simplices, modesti, humiles, benè morati, in oratione & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi, consilio & operâ benigni, hospitales, in domestico cultu, & victu parci, in alios benefici & liberales. Pascebant assiduè oves sibi commissas, triplici salutis*

 cibo

cibo, Verbo, Exemplo, & Sacramentis ..... Hæc si, ut debemus, Patres, ante oculos habebimus, facilè intelligemus, quid in restitutione Ecclesiasticæ Disciplinæ nobis sit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animadvertendum erit, ut quemadmodùm in conformanda & constituenda Ecclesiastica ratione Christus Dominus ab ipsis Apostolis, quos Christianæ vitæ Magistros esse voluerat, initium fecit; sic nos à nobis ipsis Pastoribus, quos vivendi exempla aliis tradere oportet, in confirmanda restituendaque morum Disciplinà exordiamur. Qua in re palàm ostendit S. *Carolus Borromæus*, ad restituendam morum disciplinam multùm juvare Episcoporum Sanctimoniam, quâ cæteris verbo & exemplo præfulgere debent, eorumque constantiam, quâ Sacrorum Canonum observationi sedulò invigilare, & irrepentibus aut invalescentibus abusibus vehementiùs obniti ac reluctari tenentur. Ad ipsos quippè Episcopos, ut ait *Vincentius Lirinensis* spectat *clarissimam posteris formulam præmonstrare, quonam modo deinceps per singula queque errorum vaniloquia, sacrà vetustatis authoritate, prophanæ novitatis conteratur audacia. Neque hoc sanè novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque floreret religiosior, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet.* Proprium igitur Episcoporum officium est, pravas consuetudines & morum corruptelas, quoquo modo invectas, confestim extirpare, nec ullo pacto permittere ut radices agant, quia *mala consuetudo*, inquit Concilium Suessionense III. anno 866. celebratum, *quæ non minùs quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi radicitùs evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur; & incipiunt*

piunt prævaricationes & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ, pro legibus venerari & privilegiorum more perpetuò celebrari.

Tertium ad restituendam morum disciplinam remedium præbet S.*Carolus Borromæus* Part.I. *Instructionum Pastorum* cap. XIII. ubi monet Concionatores, ut omni persuasionum vi publicorum peccatorum illecebras, quas homines, depravatæ consuetudinis errore decepti, pro nihilo putant, graviter reprehendant, atque in summum odium adducere contendant, præsertim spectacula, ludos, ludicrasque res id generis, quæ ab Ethnicorum moribus originem ducunt: Choreas, saltationes ac tripudia, à quibus mortiferæ cupiditates excitantur: scenicas, personatasque actiones, unde, tanquàm è quodam seminario, semina malefactorum, ac flagitiorum penè omnium existunt: omnem insuper insectentur in muliebri vestitu luxum, caudatas vestes, superbum ornatum, deformem illam capitis ornandi speciem, muliebres fucos ac pigmenta, cæteraque ad mollitiem, atque ideò ad libidinis incitamentum fœdè excogitata: Effusam etiam virorum impensam & omnem intemperantiam omni studio coarguant: Epulas sumptuosas, & commessationes immoderatas, à frugalitate Christiana alienas, omnis intemperantiæ, impudicitiæ, libidinis, aliorumque vitiorum illecebras increpent, atque planè dissuadeant: in omnem aleam, omnemque ejus generis ludum, undè jurgiis, furto, maledictis ac aliis malis, maleficiisque quasi fores aperiuntur, invehantur, & multorum otiosam vitam ac voluptariam objurgare atque exagitare non desinant. Nec solùm in vitiis

& moribus hominum increpandis zelum suum exercere debent Concionatores, sed etiam, uti jubet idem S. Cardinalis cap. xx. 1. Partis *Instructionum*, sæpissimè monere debent parentes, liberos, Uxorem, Dominum, Servum, Clericum, Laïcum, Privatum, Magistratum, ejus officii, quod cujusque proprium erit, ut hoc pacto sequantur exemplum Apostoli *Pauli*, qui excellens, omnibusque numeris absolutus universarum gentium Concionator, omnes ad officii sui functiones erudivit. Ab hoc fine, quem ad promovendam salutem fidelium sibi unicè præscribere debent Christiani Oratores, videant quantùm absint illi Concionatores, qui lenocinantis odore laudis, & illecebroso gloriolæ gustu titillati, non quærunt, quid accommodatè dicere possint ad persuadendum vel instituendum populum, sed quid novi, subtilis & inauditi, quod in nullius unquam imaginationem venerit, & ejuratis omnibus humanæ & Ecclesiasticæ eloquentiæ legibus, uni student novitati conceptuum, & nescio quarum cogitationum, quibus ad emendandos mores, tollenda vitia, inserendasque virtutes nihil ineptius, nihil frigidius, nihil infructuosius esse potest.

Quartum denique, illudque cæteris longè efficacius ad restituendam morum disciplinam remedium tradit S. *Carolus Borromæus* Parte 2. *Instructionum Pastorum* cap. 15. & sequentibus, ubi multas præscribit Regulas, quæ à Confessariis in Sacramento Pœnitentiæ observari debent. Et primò quidèm docet, *non solùm absolvi non debere illos, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed esse prætereà consultum absolutionem differre,*

re, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant ac polliceantur, quòd se eximent à peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat: Ex hoc genere esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam & amores inhonestos sequuntur, libidinibus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odiis ac detractionibus versantur quotidiè: & Confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies. Idem faciendum est cum iis (scilicèt ut differatur absolutio) qui cùm multos annos in peccatis suis perdurant, nullâ interim adhibitâ operâ in emendationem Vitæ, in eadem peccata iterùm atque iterùm labuntur. Deindè, nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus, simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Idem prorsùs inculcat Sanctus ille Cardinalis *Actorum Parte 4. in Instructione Confessariorum* pag. 767. his verbis: *Sacerdos neminem sic affectum absolvere debet, ut probabile censeat in eadem peccata recasurum, si in iisdem occasionibus perseveret; sed certum temporis spatium sumere ad emendationem ejus explorandam.* Et paulò superiùs: *Confessarios*, inquit, *monitos volumus, ut iis, quos peccata non dimissuros, probabiliter existimabunt, quamtumvis polliceantur ac spondeant, ea se dimissuros, absolutionem procrastinent, quoad emendationem perspexerint, necnon iis, qui per multos annos in eadem peccata prolapsi erunt, neque operam ullam ac correctionem vitæ contulerint.* Hanc disciplinam, ad peccatorum conversionem perutilem, à S. *Francisco Xaverio* Societatis Jesu, Indiarum Apostolo, & *S. Carolo Borromæo* coævo, fuisse in Sacramento Pœnitentiæ ergà solutioris vitæ homines diligen-

tissimè observatam asserit *Tursellinus* libro VI. *Vitæ S. Francisci Xaverii* cap. XVI. eamque suo calculo approbant omnes sanioris Moralis doctrinæ Theologi, qui constanter docent, non statim concedendum esse absolutionis beneficium tum iis, qui diuturnam & inveteratam habent peccandi consuetudinem, atque iteratis lapsibus firmum sibi vitæ in melius commutandæ propositum non adesse fidem faciunt; tum etiam illis, qui in proxima peccandi occasione versantur, nec eam tamen, sæpiùs licèt admoniti, deserere, & ad meliorem frugem se recipere nolunt. Hinc justissimâ de causâ Sanctissimus Pontifex *Innocentius XI.* ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, inter sexaginta quinque quorumdam laxiorum Casuistarum propositiones die 2. Martii anni 1679. à se proscriptas, tres istas sequentes confixit, quarum prima, quæ est ordine quinquagesima octava, sic habet: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Altera, quæ est ordine sexagesima, his verbis concepta est: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*. Tertia, quæ est ordine sexagesima prima, hæc est: *Potest aliquandò absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quin immò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*. Has tres Propositiones ab *Innocentio XI.* Pontifice Maximo jure optimo censurâ fuisse inustas, constans est omnium Theologorum doctrina, tum quia, ut inquit

S. Au-

S. *Augustinus* Sermone 7. de Tempore: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*, & ut optimè ait Cardinalis *Bellarminus* Sermone 8. de Adventu: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.*

Præter hanc tutissimam Regulam, quam Confessariis præscribit S. *Carolus Borromæus*, aliam non minus necessariam statuit Capite xx. Partis secundæ *Instructionum Pastorum*, ubi hæc habet: *In satisfactionibus vel pœnitentiis Confessarius circumspectus esse debet, ne adeò leves illæ sint & faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat & consors aliorum peccatorum, neque nimis graves, aut longæ jubeantur, ut vel recusent ea exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plenè non perficiant. Idcircò Confessarius Canones Pœnitentiales ad unguem sciat oportet, nam quamvis illi possint, & debeant secundùm prudentis & timorati Confessoris arbitrium mitigari, prout Pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, utilissimum tamen est, semper ipsos Canones præ oculis habere, atque eos tanquàm adamussim respicere, quantùm conveniens erit: Et quidem Confessarius etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen Pœnitenti nonnunquàm articulos in eis explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacriùs exequatur, & interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie Sancta Mater Ecclesia cum Pœnitentibus observat, quandò disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantoperè moderatur. Curet etiam ut satisfactiones peccatis commissis respondeant.*

Hac

Hac Regulâ S. *Caroli Borromæi* docentur Confessarii consentaneas peccatorum gravitati pœnitentias, seu pœnas satisfactorias imponere, quæ, ut ait Concilium Tridentinum Sessione 14. Cap. 8. *procul dubio magnoperè à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent, cautioresque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt. Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ecclesia Dei unquàm existimata fuit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Sit ergò Confessarius in condonandis peccatis nec rigidus, nec mollis; Peccatori oleum infundat & vinum; oleum benignitatis ne desperet; vinum severitatis, ne plaga putrescens periculosior fiat. Dispositiones Pœnitentium diligenter exploret, fit omnibus omnia factus, ac præsertim caveat, ne intempestivâ severitate Peccatores à pœnitentiæ tribunali arceat, vel, si ex adverso perniciosis palpationibus vulnera, quæ secari & exuri debent, operiat, si levissima satisfactionis opera pro gravissimis delictis injungat, si pauculorum Psalmorum recitationem pro infinitis perjuriis, blasphemiis, pro multorum annorum adulteriis & libidinum monstris imponat, in se alienorum peccatorum onera suscipiat, sicut loco mox à me laudato asserit Concilium Tridentinum. Cæteras Regulas, quas ad restituendam morum disciplinam S. *Carolus Borromæus* Confessariis præstituit, ne longior sim, missas facio. Consultius est ut eas attento animo legas in eâ, quam Sanctus ille Cardinalis edidit, *Confessariorum*

riorum Instructione, quam ad conservandam Christianæ Moralis integritatem adeò utilem & necessariam esse judicavit Clerus Gallicanus, ut eam anno MDCLVII. publicâ luce donari curaverit, quò, ut ait idem doctissimus Clerus, *grassantes ad Evangelicæ morum institutionis perniciem novarum opinionum labes, opposito velut obice, coercerentur, & tanquàm aliquâ mole reprimi posset novarum opinionum torrens, qui Christianam morum Doctrinam perditum ibat*. Quin, & jubente *Innocentio XII.* Pontifice Maximo, Cardinalis *Carpegna*, ejusdem Pontificis Vicarius, anno Jubilæi, seu MDCC. ejusdem S. *Caroli Borromæi* Institutionem Confessariorum italico idiomate exaratam in publicam lucem emisit, eique Pastorale Mandatum præfixit, quo omnibus Confessariis præcipit, ut in Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ, administratione, ad praxim, quam præmonstravit & docuit S. *Carolus Borromæus*, totam ovium sibi creditarum regiminis rationem exigant, nec unquàm privatis patiantur se abduci nonnullorum Theologorum corruptelis, qui, dum Sanctorum Patrum doctrinæ, & incorrupto Ecclesiæ lumini propriæ mentis lumen anteposuerunt, à via veritatis exorbitarũt.

D. Necdùm mihi indicasti ea Scriptorum Sæculi XVI. Ascetica Opera, quorum frequens lectio ad probè informandos mores multùm conferre, meumque animum opinionibus Christiano dignis imbuere, & adversùs omnes doctrinæ moralis corruptelas communire potest.

M. Sicut Pictores nonnisi optimas tabulas sibi proponunt, ita & ipse tres Sæculi XVI. Vitæ spiritualis Scriptores omnibus suis numeris absolutos

solutos tibi proponam, ex quorum Operibus perfectæ pietatis exempla, & modum benè beatèque vivendi excerpere debes. Primus est *Ludovicus Granatensis*, Ordinis Prædicatorum, quem omnes agnoscunt ut Magistrum & Asceticorum Scriptorum parentem, cujus Opera tanti fecit S. *Franciscus Salesius*, ut Episcopum sibi amicissimum in Epistola XXXIV. libri primi ad ea jugitèr lectitanda adhortetur his verbis: *Ludovicum Granatensem integrum habeas, tibique Breviarium sit alterum. Cardinalis Borromæus alià ad concionandum Theologia non utebatur, & tamen concionabatur egregiè. At non hic illius præcipuus usus est. Animum scilicèt ad veræ devotionis amorem diriget tuum, & ad omnia exercitia spiritualia. Ipsius lectionem à Duce Peccatorum auspiceris velim, tùm ad Memoriale transeas; tandèm totum perlegas. Verùm, ut fructuosè legatur, non raptim legendus & quasi devorandus, sed ponderandus & æstimandus est. Per singula capita in eo meditandum, ejusque doctrina magnà consideratione, & precibus ad Deum, animæ applicanda. Cum reverentia & devotione legendus est, ceu liber, utilissima, quibus anima cœlitùs afflari ac erudiri possit, continens documenta, ex quibus omnes animæ facultates reformandæ &c.* Pervolve igitur sæpiùs Opera *Ludovici Granatensis*, qui inter Asceticos Scriptores, eum locum, quem S. *Thomas*, Doctor Angelicus, habet inter Scholasticos, occupat primum. Alter Sæculi XVI. Scriptor Asceticus, cujus Operum lectioni sedulò itidèm incumbere debes, est *Bartholomæus à Martyribus*, Archiepiscopus Bracarensis, Ordinis Prædicatorum, cujus extant duo libri in lucem editi, piorum omnium virorum commen-
datione

datione digni. Primus inscribitur *Stimulus Pastorum*, Episcopis, & Sacerdotibus curam animarum gerentibus ad munus optimè obeundum informandis apprimè utilem, cujus adeò lectionem amico Episcopo *Franciscus Salesius* Epistolâ mox à me laudatâ commendat. Alterum *Bartholomæi à Martyribus* librum, seu *Compendium spiritualis Doctrinæ*, edendum curavit *Ludovicus Granatensis*, eique istud elogium præfixit: *Quo tempore quidquid de Mystica Theologia à Summis Viris, hoc est, Dionysio, Bernardo, Bonaventura, Gersone scriptum est, studiosè legens, has gemmas super aurum & topazion pretiosas Novis ministravit* (Bartholomæus à Martyribus) *Quibus ego legendis tantoperè delectatus sum, ut ferè affirmare possem, me nihil hactenùs in vita legisse, quod acriores piis hominibus stimulos ad hujus cœlestis Philosophiæ amorem adderet, majoremque lucem his, qui huic studio dediti sunt, præferret.* In hoc *Compendio spiritualis Doctrinæ*, quod concinnavit noster *Bartholomæus à Martyribus*, memini me legisse Num.xxI. cap.7. præclaram Sententiam, quam hìc prætermittere minimè debeo, quippè quæ, instar Regulæ, te ad benè tutòque operandum poterit dirigere: *in quolibet negotio agendo* (inquit) *si incertus sis, quid potiùs eligas, antequàm statuas quid agendum sit, priùs ipse considera, quid tu fratri in ea re consuleres. Item quid acturus esses, si instaret tunc hora mortis. Item cogita quid malles egisse cùm steteris in die judicii coram Domino, & illud age. Si dubitas adhuc, elige illud quod naturæ tuæ ac affectionibus molestius est, ac magis adversatur.* Hanc verè auream *Bartholomæi à Martyribus* Sententiam si semper præ oculis habeas, certus sum,

te

te in momentoso salutis tuæ negotio opinionem minus probabilem minusque tutam, relictâ probabiliori ac tutiori, nunquàm secuturum. Postremò, ad benè instituendos mores tuos, sæpiùs legesis Opera Moralia S. *Theresiæ* Virginis, & Ordinis Carmelitarum excalceatorum Fundatricis dignissimæ, quæ germanam pietatem ubique spirant, Lectores *cœlestis Doctrinæ pabulo*, ut ait Ecclesia, nutriunt, & ad summum perfectionis Vitæ spiritualis culmen provehunt. Hos Sæculi XVI. Scriptores Asceticos, quos præsertim perpensa rerum spiritualium cognitio, librata judicii maturitas, opinionum delectus, & servandæ Doctrinæ Moralis castimoniæ studium commendant, nocturnâ debes versare manu, versare diurnâ. At quorumdam Scriptorum Opera, quæ Ethicæ Christianæ integritatem labefactant, & in quibus nihil singulare reperire est præter promiscuam loquacitatem, temerariam de rebus ignotissimis, & minimè meditatis aut digestis disserendi fiduciam, incredibiles à veris purisque fontibus evagationes, inanes ratiunculas ad excusandas excusationes in peccatis excogitatas, importunè solùm repetitos vulgarium cantilenarum susurros, quodque gravius est, periculosas, & noxias in doctrina Morali opiniones, Vaticano protritas fulmine: hæc, inquam, Scriptorum Opera, quæ tibi, aliisque incautis venenum propinare possunt, ne digito quidem attingere debes, nedùm legere; optandumque esset, ut natalitiis tenebris damnarentur Morales illi libri, in quibus propositiones aut sententiæ à Sede Apostolica proscriptæ vulgantur, recoquuntur, refiguntur.

D. Cùm

D. Cùm vera virtus nihil aliud sit, quàm scientia fugiendorum atque expetendorum, curabo, quàm diligentissimè potero, ut eos dumtaxàt libros pervolvam, qui mihi veræ, & Christianæ pietatis semina, Divinæ Legis amorem, atque salubria Moralis Doctrinæ Christianæ documenta instillare poterunt; ab his verò libris, qui meos mores corrumpere possent, & quorum immensâ mole oppressus jam jam gemere cœpit universus litterarius orbis, penitùs abstinebo, secutus hac in re consilium *Theophili Raynaudi* Societatis Jesu Theologi, qui, ut nuperrimè legebam, in Opere, quod edidit *De Malis ac Bonis libris, seu de justa aut injusta eorumdem confixione*, hæc Erotemate primo scribit: *Nihil deterius, inutilius, & damnosius scriptione malâ & libro malo; eò quippe virus non modò præsens, & raptim transiens, sed durabile, & in innumeros eàdem nocendi facultate grassari aptum, continetur .... Liber enim malus, non secùs ac pannus pestilens, quoscumque attactu ejus pollui contigerit, facillimè inficit, atque in mortem abripit, quod malo suo compererunt, qui minùs cautè se ea in parte gesserunt*. Et, paucis interjectis, subdit: *Sanè, si pravum Collocutorem, qui perpaucos unà operà potest inficere, devitandum studiosè in confesso est, quia corrumpunt bonos mores colloquia mala, quantò certius est, devitandum esse authorem mali Operis, qui simul infinitos potest corrumpere*. Prudentissimo itaque hujus Theologi Societatis Jesu consilio utar, in tantis lascivientium Scriptorum acervis, non plus negotii deinceps cum illis, qui in doctrina Morali malè audiunt, habere volo, quàm Romani cum Gallo Provinciæ hominibus, quos hoc an-

no

no· MDCCXX. peste afflatos esse dicunt, commercium aut societatem ullam, se habere velle optimo jure nuperrimè, Pontificio promulgato Edicto, declararunt.

Finis septimi Tomi.